37.26.9.5

37
26 D
5

Digitized by Google

Digitized by Google

Sanctiſſimo Patri, ac Domino Noſtro

CLEMENTI XII.

PONT. OPT. MAX.

DE SACRAMENTIS IN GENERE

BAPTISMO,

E T

CONFIRMATIONE

QUÆSTIONES

Scholaſticæ Dogmaticæ Hiſtoricæ;

A D D I T Á

DISPUTATIONE UNICA

D E

EXTREMA UNCTIONE.

A U C T O R E

D. FORTUNATO VENERIO

PRESBYTERO BARNABITA, &c.

T O M U S V.



R O M Æ, M. DCC. XXXVIII.
Ex Typographia Petri Roſati, & Joſephi Borgiani in via Parionis.
SUPERIORUM FACULTATE.

Digitized by Google

SANCTISSIMO PATRI,

Ac Domino Noſtro

CLEMENTI XII.

PONT. OPT. MAX.

FORTUNATUS VENERIO
PRESBYTER BARNABITA.

Summam felicitatem.

ETSI omnia ſtudia mea, BEATISSIME PATER, excelſo tuo nomini, nec non ſupremæ Pontificiæ dignitati tuæ, quam ſplendidiſſime geris, ſacra ac devota eſſe non mediocriter glorier, & exultem, ad eam tamen partem in præſentiarum deveni, quæ jure ſuo non alteri, quam Tibi demiſſiſſime, ut ſoleo, ſiſtendam eſſe poſtulabat;

Digitized by Google

Hęc, ut paucis dicam, de Sacramentis inſcribitur, quæ tam ſacrilego pervicaciq; animo hoſtes fidei noſtræ Lutherani ac Calviniſtæ hiſce etiam temporibus perſequuntur, ut nihil humanæ fraudis, nihil ferini odii, nihil diabolici furoris intentatum relinquant, quo illa prorſus evertere, ac noſtrum eſſe deliramentum, vel magicam ſuperſtitionem perſuadere ſibi contingat. Contigiſſet profectò, ſi Eccleſia illa, adverſus quam portæ inferi prævalere non poterunt, Romanique Pontifices, quibus in Petro datæ ſunt claves Regni Cœlorum, validiſſimas ſuas acies non inſtruxiſſent, & loculentiſſimum theſaurum ſibi depoſitum imperterrita invictaque fronte non ſervaſſent; Quare factum eſt, ut quemadmodum à prædeceſſoribus tuis, Teque ipſo feliciter ſe cuſtodita ſenſerunt, ita & à me in hoc opuſculo vindicata ad ſinum tuum, velut ad tutiſſimum portum confugerent ac convolarent. Quid verò Beatissime Pater, Tibi pretioſius, aut gratius exhiberi unquam potuiſſet? Hæc ſunt eximia illa beneficia, quæ ſervator noſter piiſſimus Eccleſiæ ſuæ tanquam poſtrema amoris ſui pignora uſque ad ſæculi conſummationem reliquit; Hæc ſaluberrimi fontes, e quibus aqua in æternam vitam ſaliens uberrime profluit, Hæc, quorum primariæ, atque omnium maximæ diſpenſationi Tu in eccleſiaſtica divinitus inſtituta hierarchia, tanquam caput emines, Chriſtique Vicarius ſumma omnium gratulatione enites conſtitutus. Dum iſta rudi quidem calamo recenſeo, obſequenti tamen animo perpendo, majoris tuæ gloriæ ſeſe mihi exhibet argumentum. Plura te certè ſpectabilem longè latèque effecerunt; atque tui nominis, præclarèque geſto-

geſtorum magnitudo nullo unquam tempore conticeſcet. Verum, cœtera quæcumque ſint, quæ revera peregregia ſunt, te prçclariſſimum virum declarant, nec alius eſſe poteras, quippè qui è Nobilliſſimo Corſinorum genere, & bello & ſago, & infula, & purpura tam noſtris, quàm elapſis multo ante temporibus celeberrimo ortum duxiſti; at myſteria Dei tua authoritate diſtribuere, cœteriſque facultatem impertiri, te ſupra virum omnibus manifeſtat. Et Mehercle; Quod tam effuſas in pauperum inopia ſublevanda eleemoſynas erogaveris, te liberalem agnoſcimus; Quod pro bono publico noctu diuque tam ſedulò evigiles, te optimum Principem fatemur; Quod in exornanda augendaque Urbis, & Capitolii pulchritudine, ac Majeſtate tot aureorum millia impenderis, te magnanimum prædicamus; Quod in ſacris ædibus vel reparatis, vel à fundamentis tam magnifice evectis opes tuas aperta manu, hilarique fronte diffuderis, te pium attollimus; Quod publicas vias æquaveris, quod fluminum atque ruentium aquarum impetum cohibueris, quod portus etiam munitiſſimos reſtituto undequaque commercio paraveris, terra marique te dignum imperio celebramus; Quod vero tibi Sacramentorum cura, atque ſuprema diſpenſatio commiſſa fuerit, hoc illud ſummum eſt, quo Te Pontificem Optimum Maximum veneramur.

Vides itaque SANTISSIME PATER, quçſtiones iſtas, quç de Sacramentorum inſtitutione, numero, dignitate, virtute, rectaque adminiſtratione inſtitutç ſunt, tuo tantummodo omnium maximo patrocinio, tuç dumtaxat omnium moderatrici authoritati fuiſſe

humi-

humiliter committendas. Illas te alacri animo ſerenaque fronte excepturum eſſe pro divinę propemodum clementię tuę magnitudine ſpero ac confido, nec aliud mihi ſupereſt, quam Tibi pro Catholicę Eccleſię gloria ac utilitate annos plurimos à Deo Opt. Max. enixe deprecari, mihi vero, à Te ipſo Apoſtolicam Benedictionem, ac benevolentię argumenta humillime flagitare.

LE-

Digitized by Google

LECTORI THEOLOGO.

QUOD à me primo loco exhibendum nonnulli poſtulaverant, in hoc quinto theologicarum Quæſtionum libro publicum in conſpectum produco. Facillimum ſimul ac difficillimum opus ſuſcepi; facillimum quidem, ſi dumtaxat morales diſputationes, vel tantum ſcholaſticas abſolvere ſtatuiſſem, in quo tamen aut nimium trita, aut plura inutilia datum eſſet exponere; difficillimum verò, cum moralibus, ac ſcholaſticis illas etiam, quæ ad fidei Dogmata, atque hiſtoricam eruditionem pertinent, non omittere exiſtimaverim, atque illud difficultatem addere expertus ſum, quod in hiſce controverſiis reſolvendis eaſdem doctrinas non ſemel afferre contingat. Ut hoc evitaretur, non mediocri ſtudio animadverſum, ex quo inde factum eſt, volumen iſtud, ut ſoleo, nequaquam oneroſum apparere, cum tamen quæſtiones de Sacramentis generatim inſpectis, nec non de Baptiſmo, & Confirmatione; imo & unicam de Extrema Unctione complectatur.

Qualecumque ſit opus, illud benevolentiæ tuæ commendo; Te autem ſummopere benevolum judicabo, ſi, quod ſcripſi, præjudiciis omnibus ſepoſitis leges. Laudari nolo, contemni patiar, ſi tamen juſte; Contemnar ab aliquibus certè; novi enim Joſeph ſomnia nugas, atque invidiæ cauſam, ut ſcriptura tradit, apud fratres fuiſſe. Qualem te velim, & humiliter exoptem, ſatis compertum habes. Vale.

DON

DON JO: HIERONYMUS
GAZONI
Congregationis Clericorum Regularium Sancti PAULI
PRÆPOSITUS GENERALIS.

CUM Librum, cui titulus eſt: *De Sacramentis in genere; Baptiſmo, & Confirmatione. Quæſtiones*: à Patre D. Fortunato Venerio Congregationis Noſtræ Presbytero profeſſo compoſitum, duo ejuſdem Congregationis Noſtræ Theologi Viri, quibus id commiſſimus, accurata Lectione, & gravi judicio recognoverint, & poſſe in lucem edi, probaverint; Nos, ut typis mandetur, quantum in nobis eſt, facultatem facimus. In quorum fidem, has manu ſigilloque Noſtro munitas, fieri juſſimus. Datum Romæ in Collegio noſtro SS. Blaſii, & Caroli die 2. Maii 1738.

Don Joannes Hieronymus Gazoni Præpoſitus Generalis.

Don Ubaldus Cinotti Pro-Cancell.

IM.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo P. Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

Ph. Epiſcopus Viceſgerens.

QVæſtiones de Sacramentis in genere, de Baptiſmo, Confirmatione, & Extrema Unctione, quas in publicam lucem profert Reverendiſſimus P. D. Fortunatus Venerio Clericus Regularis Barnabita, jubente Reverendiſſimo P. Jo: Benedicto Zuanelli Sac. Apoſt. Palatii Magiſtro attente legi, eaſque non tantum Fidei, & bonis moribus conſonas, verum etiam Theologica eruditione, & doctrina refertas reperi, & idcirco prælo dignas cenſui. In quorum fidem &c.

D. Antonius Andreas Galli Abb. Canon. Regul Sanctiſſimi Salvatoris, & Sac. Congreg. Indicis Conſultor.

Q*Uæſtiones de' Sacramentis in genere*; & in ſpecie *de Baptiſmo Confirmatione*, *&* *Extrema Unctione* à Reverendiſſimo Patre D. Fortunato Venerio Clerico Regulari Barnabita, exaratas cum ex mandato Reverendiſſimi P. Jo: Benedicti Zuanelli Apoſtolici Palatii Magiſtri, attentè perlegerim, idem dè illis judicium fero, quod tuli dè aliis Operibus, ab eodem Auctore feliciter in lucem editis. Sive ergo ſpectetur prudentia in rebus theologicis pertractandis, ſive ſtyli perſpicuitas, ſive eruditionis, quanta poteſt cum brevitate conjungi, ac doctrinæ amplitudo, nihil in iis eſt, quod ad amuſſim ſanæ Theologiæ elaboratum non ſit, & numeris omnibus abſolutum. Eas proinde digniſſimas cenſeo, quæ in Reipublicæ literariæ emolumentum, Typis mandentur.

Joſeph Carpani Soc. Jeſu Cleri Romani Examinator, & in Collegio Romano Generalis Studiorum Præfectus.

IMPRIMATUR,

Fr. Joachim Pucci Sac. Theol. Magiſt., & Socius Reverendiſſimi Patris Sac. Palatii Apoſtolici Magiſt. Ordin. Prædic.

IN-

INDEX

Eorum, de quibus in hoc Libro Quinto.

QUÆSTIO I.

De eſſentia; & exiſtentia Sacramenti.

Art. I. R*Eferuntur nonnulli errores circa Sacramenta.* pag. 2.
Art. II. *De Nomine, & eſſentia Sacramenti.* 3.
Art. III. *Utrum Sacramenta debeant perfectam animæ ſanctitatem ſignificare.* 5.
Art. IV. *Utrum neceſſe ſit, Sacramenta eſſe ſigna ſenſibilia, & permanenter inſtituta.* 6.
Art. V. *Utrum Sacramenta componantur ex rebus & verbis, tanquam materia & forma.* 9.
Art. VI. *Utrum res & verba ſint* partes *intrinſecè conſtituentes Sacramenta.* 11.
Art. VII. *Utrum requirantur determinatæ res, & determinata verba, & à quo habeatur hujuſmodi determinatio.* 13.
Art. VIII. *Refelluntur Hæreticorum argumenta.* 16.
Art. IX. *Quænam mutatio fieri poſſit in materia, & forma Sacramentorum.* 17.
Art. X. *De forma Sacramentorum ſub conditione.* 19.
Art. XI. *Utrum intentio Miniſtri, vel aliquid aliud præter res & verba conſtituat intrinſece Sacramenta.* 20.

QUÆSTIO II.

De exiſtentia Sacramentorum pro diverſis humani generis ſtatibus:

Art. I. A*N in ſtatu innocentiæ fuerint, vel fuiſſent Sacramenta.* 22.
Art. II. *Utrum in ſtatu legis naturæ fuerit remedium pro peccato originali, & hoc fuerit Sacramentum.* 24.
Art. III. *An in ſtatu legis ſcriptæ fuerint vera Sacramenta, & quomodo cauſaverint gratiam.* 27.
Art. IV. *Refelluntur argumenta contraria.* 32.
Art. V. *Quomodo inter ſe differant Sacramenta novæ, & veteris legis.* 36.
Art. VI. *An, quot, & quæ Sacramenta exiſtant in ſtatu legis novæ.* 36.

QUÆSTIO III.

De cauſis extrinſecis Sacramentorum novæ Legis.

Art. I. *Utrum Chriſtus tum ut Deus, tum ut Homo conſtituerit Sacramenta novæ legis.* 42.
Art. II. *Utrum poteſtas inſtituendi Sacramenta poſſit hominibus communicari.* 45.
Art. III. *Quiſnam ſit, vel eſſe poſſit Miniſter pro conficiendis Sacramentis novæ legis.* 48.
Art. IV. *An ad valorem Sacramenti requiratur fides in Miniſtro.* 53.
Art. V. *Refelluntur argumenta contraria.* 56.
Art. VI. *Utrum ad valorem Sacramenti ſit neceſſaria probitas in Miniſtro.* 59.
Art. VII. *Refelluntur argumenta contraria.* 61.
Art. VIII. *Quomodo intentio requiratur in Miniſtro, ut valide Sacramentum conficiat.* 63.
Art. IX. *Reſolvitur difficultas.* 67.
Art. X. *Rejiciuntur argumenta contraria.* 69.
Art. XI. *Quid ſentiendum in hac re de mente S. Auguſtini, S. Thom., & Innoc. IV.* 72.
Art. XII. *Reſolvuntur alia de Miniſtri intentione.* 77.

QUÆSTIO IV.

De Sacramentorum ſubjecto.

Art. I. *An ſolus homo viator ſit ſubjectum Sacramentorum.* 79.
Art. II. *An voluntatis conſenſus, ſeu intentio requiratur in ſubjecto, ut vere &c.* 80.
Art. III. *Refelluntur argumenta contra prædicta.* 82.
Art. IV. *Qualis eſſe debeat, & ſufficiat ſuſcipientis intentio.* 84.
Art. V. *Quid ſentiendum de fide ad valide ſuſcipiendum Sacramentum, & quid neceſſarium ſit ad licitam Sacramentorum ſuſceptionem.* 86.

QUÆSTIO V.

De Sacramentorum novæ Legis efficacia.

Art. I. *An Sacramenta novæ legis producant gratiam ex opere operato.* 88.
Art. II. *Reſolvitur propoſita difficultas.* 91.
Art. III. *Refelluntur argumenta Hæreticorum.* 95.
Art. IV. *Quomodo Sacramenta cauſent gratiam phyſicè vel moraliter.* 100.
Art. V. *Refelluntur argumenta contraria.* 102.
Art. VI. *Quamnam gratiam habitualem Sacramenta cauſent, primam, vel ſecundam.* 104.

Art. VII.

Art. VII. *In quo conſiſtat gratia habitualis.* 107.
Art. VIII. *Utrum Sacramentum inæqualiter diſpoſito inæqualem conferat gratiam.* 109.

QUÆSTIO VI.

De Charactere.

Art. I. *Quid ſit Character.* 112.
Art. II. *An aliqua, & quęnam Sacramenta imprimant characterem.* 114.
Art. III. *Nonnulla alia ad characterem ſpectantia.* 118.

DISPUTATIO UNICA.

De Cœremoniis Sacramentorum in genere, ſeù de Sacramentalibus.

§. I. *Nonnulla prẹmittuntur.* 119.
§. II. *An Eccleſia habeat poteſtatem inſtituendi cæremonias, atque iſtę debeant obſervari.* 120.
§. III. *An uſus cæremoniarum, ſeù Sacramentalium ſanctus ſit, & Eccleſię conveniens.* 122.
§. IV. *Utrum cæremonię, ſeù Sacramentalia aliquem effectum ſpiritualem producant.* 124.

De Sacramento Baptiſmi.

QUÆSTIO I.

De Baptiſmi nomine, eſſentia, exiſtentia, & neceſſitate.

Art. I. *De pluribus baptiſmi nominibus, diviſionibus, ac definitionibus.* 129.
Art. II. *De baptiſmi exiſtentia.* 130.
Art. III. *An baptiſmus ſit neceſſarius ad ſalutem.* 136.
Art. IV. *Reſolvitur difficultas de baptiſmo in voto.* 140.
Art. V. *Refelluntur argumenta contra dicta art. 3.* 143.
Art. VI. *Refelluntur argumenta contra dicta art. 4.* 148.
Art. VII. *Quid ſentiendum de baptiſmo ſanguinis.* 150.
Art. VIII. *Refelluntur argumenta contraria.* 155.

QUÆ-

QUÆSTIO II.

De materia, & forma Baptiſmi.

Art. I. Quænam ſit materia baptiſmi. 158.
Art. II. De proxima baptiſmi materia. 161.
Art. III. De forma baptiſmi. 165.
§. I. Apud Græcos & Latinos. 165.
§. II. De neceſſitate invocandi expreſſe omnes Trinitatis perſonas. 167.
§. III. Solvuntur argumenta contraria. 170.
§. IV. Reſolvuntur aliqua dubia circa formam baptiſmi. 173.
§. V. An neceſſario proferenda ſint illa verba, Ego te baptizo. 174.

QUÆSTIO III.

De Cauſa Baptiſmi efficiente.

Art. I. Quænam ſit cauſa &c. 176.
Art. II. Refelluntur argumenta contra tertiam aſſertionem. 179.
Art. III. Reſolvuntur alia nonnulla de Miniſtro baptiſmi. 181.

QUÆSTIO IV.

De ſubjecto Baptiſmi.

Art. I. An parvuli ſint capaces baptiſmi. 183.
Art. II. Reſolvuntur nonnulla dubia circa parvulos. 187.
Art. III. An invitis parentibus licitum ſit eorum filios baptizare. 190.
Art. IV. De adultorum baptiſmo. 193.

QUÆSTIO V.

De effectibus Baptiſmi.

Art. I. An per Sacramentum baptiſmi conferatur gratia habitualis, & auferatur prorſus culpa cum pœna. 195.
Art. II. An baptiſmus remota fictione reviviſcat. 197.
Art. III. An baptiſmus imprimat characterem & iterari poſſit. 199.
Art. IV. De diſcrimine inter baptiſmum Chriſti, & Joannis. 200.
Art. V. Rejiciuntur nonnulla contra ſuperius dicta. 206.

QUÆ-

QUÆSTIO ULTIMA.

De Cœremoniis Baptiſmi.

Art. I. De cæremoniis, quæ baptiſmum antecedant. 208.
Art. II. De cæremoniis, quæ baptiſmum ſubſequuntur. 210.
Art. III. De cæremoniis, quæ baptiſmum comitantur. 211.
Art. IV. Traduntur aliqua de Patrinis. 212.

De Sacramento Confirmationis.

PROLEGOM. UNICUM.

De variis hujus Sacramenti nominibus, necnon Hæreticorum erroribus. 214

QUÆSTIO I.

De Confirnatione, ejuſdemque materia.

Art. I. An Confirmatio ſit Sacramentum. 216.
Art. II. Rejiciuntur Hæreticorum argumenta. 219.
Art. III. Quænam ſit hujuſce Sacramenti materia. 224.
Art. IV. Vtrum ad ſubſtantiam prædictæ materiæ neceſſario requiratur benedictio facta ab Epiſcopo. 229.
Art. V. Vtrum hujuſmodi benedictio indiſpenſabili lege debeat eſſe ab Epiſcopo. 232.
Art. VI. Quænam ſit materia proxima Confirmationis. 235.
Art. VII. Vtrum præter Chriſmatis unctionem etiam manuum impoſitio ſit materia proxima. 241.
Art. VIII. Qualis, & quanta debeat eſſe unctio, ut ſit materia proxima. 243.

QUÆSTIO II.

De forma Sacramenti Confirmationis.

Art. I. In quibus verbis conſiſtat eſſentialiter forma Confirmationis. 246.
Art. II. Vtrum expreſſa Trinitatis invocatio ſit eſſentialiter requiſita &c. 250.
Art. III. Vtrum omnia alia verba, ſigno te &c. ſint &c. 251.

QUÆ-

QUÆSTIO III.

De Inſtitutore, & Miniſtro Confirmationis.

Art. I. Quinam fuerit Confirmationis author. 252.
Art. II. Quinam ſit hujus Sacramenti Miniſter. 254.
Art. III. Refelluntur argumenta contraria. 257.
Art. IV. Vtrum ſimplex Sacerdos eſſe poſſit Miniſter extraordinarius &c. 260.

QUÆSTIO IV.

De ſubjecto Confirmationis.

Art. Unic. Quinam ſint Confirmationis capaces. 267.

QUÆSTIO V.

De Charactere, quem imprimit, & de Gratia, quam Sacramentum Confirmationis producit.

Art. I. Utrum Confirmatio imprimat Characterem. 170.
Art. II. Vtrum Confirmatio olim ab Hæreticis data fuerit verum Sacramentum &c. 171.
Art. III. De gratia per Sacramentum Confirmationis producta. 277.
Cap. Ult. De cæremoniis Confirmationis. 279.

De Sacramento Extremæ Unctionis.

DISPUTATIO UNICA.

Cap. I. Utrum extrema unctio ſit novæ legis Sacramentum. 303.
Cap. II. Quiſnam fuerit hujuſce Sacramenti inſtitutor. 307.
Cap. III. De materia extremæ unctionis. 308.
Cap. IV. Quænam ſit forma hujus Sacramenti. 311.
Cap. V. De hujus Sacramenti Miniſtro. 313.
Cap. VI. De ſubjecto hujus Sacramenti. 317.
Cap. VII. De obligationibus tam Miniſtri, quam ſubjecti. 321.
Cap. VIII. De effectibus unctionis extremæ. 323.

IN

IN LIBRUM QUARTUM

SENTENTIARUM DE SACRAMENTIS GENERATIM CONSIDERATIS.

VENIT Filius hominis Verbum Patris in Mundum, non Mundum judicaturus, ſed ſervaturus. Perierat peccator homo, quæſivit quod perierat homo Deus; quæſivit, & invenit; atque ut bonus paſtor ovem deperditam ſuis humeris imponere, ac ſuſtinere non recuſavit. Parum tamen totum hoc cenſendum fuiſſet, ſi mortuam non revocaſſet ad vitam, ſi infirmæ medicamina non paraſſet, ſi vitæ ac ſanitati reſtitutæ aptiſſimum pabulum non exhibuiſſet. Fecit & hoc; atque cœleſtis ille Paterſamilias, proferens de theſauro ſuo nova, & vetera, Sacramenta inſtituit, per quæ vitam haberet, & abundantius haberet, per quæ in poſterum non deperderetur, vel facillime inveniretur, vel contra deprædatores hoſtes firmiſſime muniretur. De hiſce cœleſtis amoris, gratiæque fontibus, ſub generica ratione conſideratis, in prima hujuſce libri parte pertractandum ſuſcipimus, nec aliis verbis ad eam perlegendam alliciam, quam illis Iſaiæ 55. *Omnes ſitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum, properate, emite, & comedite abſque ullo argento, & abſque ulla commutatione vinum, & lac*. Quæ omnia de Sacramentis dicta eſſe nemo dubitat, nemo non videt.

QUÆSTIO I.

De eſſentia, & exiſtentia Sacramenti.

ARTICULUS I.

Referuntur nonnulli errores circa Sacramenta.

1. THeodoretus lib. 1. de fabulis Hæreticorum, necnon Epiphanius hęreſi 40. & 42. plures adducunt, qui de Sacramentis perperam ſenſerunt. Aliquos recenſent, qui omni ex parte Sacramenta de medio tulerunt, veram ſalutem ac redemptionem, non in aliquo ſigno ſenſibili, ſed tantum in cognitione ejus, quod eſt, collocantes. Novimus, iſtos fuiſſe Archonticos, & Aſcodritos; ad hos revoca Paulicianos, qui omnem materiam, ut panem, vinum, oleumque negabant, & ſolum verbis aliquibus utebantur, teſte Euthimio 2. par. Panopliæ tit. 21. Revoca inſuper Fraticellos, ſeu Beguinos, qui omnia Sacramenta Eccleſiaſtica deſpiciebant, ut colligitur ex Joannis 22. extravaganti; *Sancta Romana*.

2. Fuerunt alii, qui etſi Sacramenta non inficiarentnr omnia, ipſis tamen nullam virtutem ineſſe exiſtimabant, ſed omnem efficaciam homines à peccatis purgandi, necnon juſtitiæ reſtituendæ propriis precibus & actibus tribuebant; hos fuiſſe Maſſalianos, ſeu Euchitas hoc nomine ab oratione appellatos, præter Theodoretum lib. 4. & Epiphan. hæreſi 80. ſcribunt S. Auguſt. hæreſi 57. & Joan. Damaſc. in lib. de hæreſibus; his necte Armenos, & Catharos, Sacramenta novæ legis gratiam non conferre, dicentes.

3. Alii inſuper Sacramentis fidem præbebant, ſed in ipſorum uſu perperam errabant; Marcoſii, ita dicti a Marco quodam inſtitutore, Baptiſmi neceſſitatem affirmabant, non eſſe tamen in nomine Trinitatis conferendum, ſed ſub invocatione ignoti Dei, necnon veritatis omnium matris; Marcionitæ bis & ter Baptiſmum conferebant, Anabaptiſtæ tantum adultis, non parvulis prodeſſe exiſtimabant; alii in Euchariſtia non contineri verum Chriſti Corpus, dixerunt, quæ hæreſis ipſo fere Apoſtolorum tempore ortum habuit, ut refert Ignatius in epiſt. ad Smyrnenſes; alii in Sacramento pœnitentiæ nullam ſatisfactionem imponendam eſſe, prædicabant, ut Audiani; alii ordines etiam fœminis conferebant, ut Peſmitæ; præterivi Manichæos, & Seleucianos, apud quos nullum Baptiſma, Novatianos, apud quos nec confirmatio, nec pœnitentia. Bogomilos, apud quos Euchariſtia erat ſicut Pater noſter; Petrobuſianos, apud quos fuit tantum Corpus Chriſti ex pane in ejuſdem cœna, poſtea vero nunquam; Albigenſes, & Flagellantes, qui extremam unctionem deteſtati ſunt; ſed cur hoſce, vel alios opus erat commemorarem? Si Calvinum, & Lutherum perſpicio, omnes priſcorum temporum, & perditorum hominum hæreſes collectas intueor; nihil virtutis in Sacramentis poſitum eſſe, iſti uno ore ſacrilego profitentur, utpote quia ſola fides illa eſt, quæ juſtificat. Verum hæc omnia, dum de Sacramentis ſingulis ſermonem inſtituemus, fuſius declarabimus; atque interim quæ dicta ſunt pro brevi notitia accipiantur.

AR-

ARTICULUS II.

De nomine, & eſſentia Sacramenti.

4. Sacramenti nomen poſſe multifariam uſurpari, tam apud profanas, quam ſacras paginas non infrequenter invenitur. Sumitur aliquando pro pecunia in ſacro loco depoſita, pacto inito coram Pontifice, & ita loquitur Tullius pro Milone; aliquando pro juramento, ſeu aliqua re jurejurando firmata, & in hoc ſenſu loquuntur Juriſtæ, imo viri, qui per jusjurandum militibus adſcribebantur, dicebantur Sacramentarii. Aliquando pro aliqua re ſecreta, & occulta, juxta illud Tobiæ 2. *Sacramentum Regis abſcondere bonum eſt*. Et aliud ad Epheſ. 2. *Ut notum faceret Sacramentum voluntatis ſuæ*. Interdum pro quacumque re arcana & ſublimi, ut cum librum ſuum inſcripſit Ambroſius, *De Incarnationis Dominicæ Sacramento*. Tandem pro ſigno alicujus rei ſacræ; unde in epiſt. ad Marcellinum inquit Auguſtinus: *Signa, cum ad divinas res pertinent, Sacramenta appellantur*; atque nos illud ita conſideramus, nempe, ut viſibile ſignum alicujus rei ſacræ, quo pacto etiam Græci appellarunt ſua myſteria, & Hebræi ſuas cæremonias, ita ut in quolibet Sacramento aliquid ſit, quod appareat, aliquid quod lateat, fiatque hominibus maxime accommodatum, cum talis ſit hominum natura, ut conſtet ex re viſibili, nempe corpore, & inviſibili, nempe anima.

5. Nomen hoc Sacramenti, ſic uſurpatum, Hæreticis fuit non mediocriter inviſum; ideo Lutherus lib. 1. de capt. Babyl. cap. de Matrim. inquit, in Scriptura ſacra hoc non reperiri in ſenſu noſtro, & Melanthon in locis communibus cap. de Sacram. dixit: *Quæ alii Sacramenta, nos ſigna appellamus*. Zuvinglius vero in lib. de vera, & falſa religione optat, hanc vocem *Sacramentum* nunquam fuiſſe apud Germanos receptam; quod Lutherus, idem & Calvinus lib. 4. inſtitut. cap. 14. ſſ. 13.

6. Sed proh quam nefaria, ſubdola, & veritatis inimica mens hominum? Videns Lutherus, Carolſtadium, cui infenſiſſimus hoſtis erat, ſicut & Zuvinglium Sacramenti nomen reſpuere, approbavit, non ut revera fateretur, ſed ut ſe ipſis opponeret; atque in lib. contra cœleſtes Prophetas p. 2. ipſis dicentibus, hoc nomen in Bibliis non haberi, neque à nobis rebus divinis imponi poſſe nomina, cum hæc creaturis ſuis impoſuerit Deus; reſpondet; Quamvis in Scripturis hoc non legatur, attamen nec in ipſis prohiberi:. *Quis igitur*, ſunt verba ipſius, *tibi dedit poteſtatem prohibendi, quod Deus non prohibet?*

7. Sic inter ſe contendentes Hæretici ex utraque parte falſum protulerunt; neque enim nomen hoc novum eſt, & à nobis confictum, ut non legatur in Scripturis, aut apud Sanctorum Patrum monumenta non reperiatur. Nonne enim Apoſtolus matrimonium, quo ſignificatur unio Chriſti cum Eccleſia, & Verbi divini cum natura humana ad Epheſ. 5. Sacramentum magnum appellat? *Propter hoc*, inquit, *relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una, Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto & Eccleſia*. Quod ſi ibi affert verba Adami, proinde videatur loqui de ipſius & Evæ conjugio, quod novæ legis Sacramentum non fuit; attamen obſerva, eadem verba dici de conjugiis, quæ ſuo tempore fiebant, & eſſe duo in carne una omnibus convenire conjugiis; atque ideo non dixit, Sacramentum hoc magnum fuit, ſed, *eſt*.

8. Sed quamvis id expreſſe ex Scripturis probare non poſſemus, attamen Patrum, & quidem antiquorum, nobis traditio ſufficeret. Tertullian. lib. de præſcript. cap. 16. ait: *Ipſas quoque res, Sacramentorum divinorum, in idolum, myſteriis diabolus æmulatur; tingit & ipſe quoſdam, ſignat in fronte milites ſuos*;

ſuos; loquitur autem ibi de baptiſmate, in quo tinguntur homines, & confirmatione, in qua Chriſti militiæ adſcribuntur. Cyprianus vero lib. 2. epiſt. 72. *Eſſe Filii Dei poſſumus, ſi utroque Sacramento naſcamur*, ideſt baptiſmate, & confirmatione. Quoties vero Auguſtinus non dicit: *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum?* Nomen igitur hoc novum eſt ignorantibus.

9. Pluribus vero definitionibus, ſeu deſcriptionibus explicata fuit eſſentia Sacramenti, quas omnes omittendo legendas, cui placuerit, apud Bellarminum, ad hanc revoco, qua dico: *Sacramentum eſſe ſignnm ſenſibile ſacrum, & practicum gratiæ ſanctificantis homines, ex ſolemni, & permanente inſtitutione.*

Omnes haſce particulas explicandas arbitror, cum plura notatu digna contineant; dicitur itaque *ſignum*, & generis loco apponitur, cum per hoc detur convenientia inter Sacramenta novæ, ac veteris legis; *ſacrum* tam ad innuendum, convenire cum cæteris ſignis, quæ ſacra ſunt, licet non ſint Sacramenta, quam non eſſe ſigna naturalia, ſed ad placitum; quamvis enim Sacramenta habeant aliquam ſimilitudinem illius effectus, quem producunt, ut ablutio corporis in baptiſmate, indicans ablutionem animæ, attamen nulla res naturalis poteſt eſſe ex propria conditione ſignum ſupernaturalis effectus. Neque ex hoc ſequitur, Sacramenta eſſe entia rationis; nam licet ſignum, quod ad placitum nuncupatur, conſiſtat formaliter in relatione rationis, attamen cum relatio rationis fundatur in re, & non in ſola cognitione, id, quod talem ſuſcipit relationem, abſolutè ens rationis dici non poteſt, ut patet in Deo creatore, qui, juxta ſic opponentes, per relationem rationis refertur ad creaturas: *ſenſibile*; atque hoc verbo utuntur Dionyſius cap. 1. cœleſtis Hierarch. Auguſt. tract. 80. in Joan. Concilium Trident. omneſque Scholaſtici; ratio autem eſt, quia Sacramenta, de quibus nos agimus, ſunt Sacramenta pro hominibus inſtituta, & res illæ, quæ per Sacramenta ſignificantur, ſunt bona ſpiritualia, quibus homines ſanctificantur; unde, cum homines, nonniſi per ſenſibilia cognoſcant inſenſibilia, & ſpiritualia, congruum fuit, quod divina Sapientia, omnia ſuaviter diſponens, per res ſenſibiles Sacramenti ſignificationem impleret, ſicut etiam in divinis Scripturis per rerum ſenſibilium ſimilitudines ſpiritualia deſcribuntur; *Practicum*, & per hoc diſtinguuntur Sacramenta ab aliis ſignis ſenſibilibus ſacris, ex. c. manna, & ſerpente æneo, ſignificantibus tantum gratiam modo ſpeculativo; non eſt autem Sacramentum practicum in hoc ſenſu, quod debeat gratiam producere vel phyſice, vel moraliter, non enim hoc ſpectat ad eſſentiam Sacramenti, ſed quia ordinem ſervat ad conjungendam gratiam illi, cui Sacramentum applicatur, vel per ſe, vel per accidens; dicitur: *Gratiæ ſanctificantis homines*, quia Sacramenta debent ſignificare perfectam animæ ſanctitatem per gratiam, ut colligitur ex Concil. Trident. Magiſtro ſent. & S. Th. atque hoc de Sacramentis veteris legis tradidit Florentinum in lit. Unionis, dicens, ea figuraſſe gratiam dandam per Chriſti paſſionem, ſed gratia per Chriſti paſſionem danda, eſt perfecta ſanctitas, ergo. Quod ſi non deberent talem animæ ſanctitatem ſignificare, quodnam diſcrimen eſſet inter Sacramenta, & Sacramentalia ex. c. aquam benedictam, & ſignum Crucis? Dicitur tandem: *Ex ſolemni, & permanente inſtitutione*, quia Sacramenta ſunt inſtituta, ut fideles, tanquam ab infidelibus ſegregati in unam religionem, quam publice profiteantur, conveniant: & quia ſunt & alia ſigna gratiæ, ex. c. martyrium, nec tamen ſunt Sacramenta, quia non ſunt ſolemniter, & permanenter in ſigno gratiæ inſtituta.

10. Ex hiſce omnibus manifeſtum eſt,

eſt, ſatis apte definiri, ſeu deſcribi Sacramentum generice acceptum, ideſt, ut conveniens Sacramentis novæ, ac veteris legis, in qua tamen re nonnullæ difficultates apud Doctores excitantur, ſed eas prætereundas exiſtimo, cum ſint illis ſimiles, quæ promoveri ſolent, dum inquiritur, an ens ſit univocum Deo, & creaturæ, proinde juxta eam doctrinam reſolvi poſſunt; alias tamen omittere non poſſum, quarum prima eſt: Utrum Sacramenta perfectam ſanctitatem animæ ſignificare debeant; Secunda, utrum neceſſe ſit, Sacramenta eſſe ſigna ſenſibilia, & permanenter inſtituta. Unde.

ARTICULUS III.

Utrum Sacramenta debeant perfectam animæ ſanctitatem ſignificare.

11. PArs affirmativa jam in antecedente concluſa fuit; hanc tuentur Doctores citati, & ſequuntur Suarez, Amicus, & communiter Doctores; quæ quidem concluſio, licet ſit contra aliquos Doctores Catholicos, ex eo tamen tenenda videtur, quod maximè opponatur Hæreticis, qui negant hanc ſignificationem non tantum Sacramentis veteris legis, ſed etiam novæ.

12. Prob. Convenit unicuique Sacramento ſignificare occultam ſanctitatem, cum ex dictis Sacramentum à re ſacra, non quovis modo, ſed abdita, & arcana dicatur, proinde apud Græcos appellatur myſterium, ſed ſanctitas occulta eſt ſola ſanctitas perfecta, quæ habetur per gratiam ſpiritualem, inviſibilem, & internam; non ſic imperfecta, & legalis conſiſtens in uſu ſacrarum cæremoniarum, & exteriore ad divinum cultum deputatione, vel in exterioribus expiationibus, ac emundationibus corporis, ergo convenit cuicumque Sacramento ſignificare ſanctitatem perfectam. Hinc à Concilio Tridentino approbatur, recte à Magiſtro ſententiarum in 4. diſtinct. 2. Sacramentum in genere definitum eſſe, quod *ſit inviſibilis gratiæ viſibilis forma*, inviſibilis autem gratia perfecta ſanctitas eſt. Addo S. Auguſtinum lib. 19. contra Fauſtum dicentem cap. 16. *Sacramentum, donum temporale, ſignificare donum æternum*. Et 10. de Civit. cap. 5. *eſſe ſignum rei ſacræ ſanctificantis animam*; quæ omnia vera non eſſent, niſi perfectam animi ſanctitatem ſignificaret, pro Sacramentis veteris legis habes Florentin. adductum in anteced.

13. Op. 1. Si Sacramenta ſignificarent perfectam animi ſanctitatem, ſignificarent gratiam ſenſibiliter, & infallibiliter; quia ſignificarent ut ſigna ſenſibilia, & ex divina inſtitutione, ſed nequeunt ſignificare gratiam ſenſibiliter, & infallibiliter, ergo. Prob. mi. gratia eſt quid inſenſibile, ergo non poteſt ſignificari ſenſibiliter, ſicut nec ſenſibiliter ſignificare, & ſi infallibiliter ſignificaretur, ſuſcipiens Sacramentum infallibilitatem ſuæ ſalutis haberet, quod nequaquam concedi poteſt juxta etiam doctrinam Trident.

14. Reſp. conc. maj. ne. mi. ad prob. conc. primam partem antec. diſ. conſ. non poteſt ſignificari ſenſibiliter propria ſenſibilitate conc. aliena, ne. conſ. rem enim inſenſibilem ſignificari ſenſibiliter aliud non eſt, quam ejus ſpeciem excitari per ſpeciem rei ſenſibilis, in quo certe nulla eſt, vel apparet repugnantia; ſi enim per ſpecies rerum viſibilium excitamur ad intelligendas res prorſus inviſibiles, ut eſt Deus, quare per ſpecies rerum ſenſibilium non excitabimur ad res inſenſibiles, ut eſt gratia? Quod vero res inſenſibilis nequeat ſenſibiliter ſignificare, vel negatur, cum de facto dolor internus in ſe inſenſibilis poſſit ſenſibilitate alterius partis in confeſſione ſignificare gratiam Sacramentalem, vel ſi admittitur, illatio non tenet, non enim ſignificans, & ſignificatum in eodem ordine debent eſſe, ſic non tenet hoc argumentum, ſola vox poteſt ſignifica-

ficare vocaliter, ergo ſola vox poteſt ſignificari vocaliter, ideo in noſtro caſu non valebit hoc aliud. Sola res ſenſibilis poteſt ſignificare ſenſibiliter, ergo ſola res ſenſibilis poteſt ſignificari ſenſibiliter. Ad ſecundam partem minoris dico, Sacramenta infallibiliter ſignificare gratiam, dummodo in ſuſcipiente non ſit impedimentum; unde cum nemo infallibiliter ſciat, hujuſmodi impedimentum non eſſe; inde fit, neminem ſuæ ſalutis infallibilitatem habere; & hæc procul dubio eſt doctrina Tridentini, cujus expreſſa verba ſeſſ. 6. cap. 9. in fine ſunt iſta: *Sicut nemo pius de Dei miſericordia, de Chriſti merito, deque Sacramentorum virtute, & efficacia dubitare debet, ſic quilibet, dum ſe ipſum, ſuamque propriam infirmitatem, & indiſpoſitionem reſpicit, de ſua gratia formidare, ac timere poteſt.*

15. Op. 2. quantum ad Sacramenta veteris legis. Sacramenta illa ſignificabant tantum gratiam dandam per Chriſtum, non præſentem, & quæ daretur ſuſcipientibus; ſed ita non ſignificabant perfectam animæ ſanctitatem, quia hæc in ſuſcipientibus eſſe debuiſſet, ergo, vel illa non fuerunt vera Sacramenta, vel Sacramentis non convenit eſſentialiter ſignificare, &c.

16. Reſp. conc. maj. ne. mi. ſignum enim figurativum gratiæ in aliis futuræ eſt revera ſignum ſacramentale, quoties ſimul ſignificat perfectam animæ ſanctitatem, quæ de præſenti conferatur ſuſcipientibus; unde argumentum probat, Sacramenta veteris legis non effeciſſe veram ſanctitatem, ſicut efficiunt Sacramenta novæ legis, ſed fuiſſe tantum figuras, & typos; ſed hoc ad rem non intereſt noſtram, cum ſermo ſit tantum de ſignificatione generice ſumpta, nequaquam ſpecifice; erant igitur nihilominus vera Sacramenta, ſicut quamvis canis ſit imperfectius animal, quam ſit homo, eſt tamen verum animal. Si autem loquamur de circumciſione, illa etiam ſignificabat gratiam in ſuſcipientibus, ut ſuo loco oſtendetur.

ARTICULUS IV.

Utrum neceſſe ſit, Sacramenta eſſe ſigna ſenſibilia, & permanenter inſtituta.

17. Dico 1. Sacramenta, de quibus nunc agitur, debent eſſe ſigna ſenſibilia; hæc eſt communis ſententia Doctorum cum Magiſt. ſentent. in 4. diſt. 1. contra Ocham. Aliacenſem, & paucos recentiores diverſimode ſe explicantes.

Rationem jam adduxi in explicanda illa particula, *ſenſibile*, cui modo dumtaxat addam nonnulla dicta Sanctorum Patrum; quæ idem inſinuant; ait Dionyſ. cap. 1. de cœleſt. Hierarch. *Nec enim aliter fas erat infirmitati noſtræ lucere divinum radium, niſi ſacrorum varietate velaminum, quibus ad ſuperiora ferremur opertum, & his, quæ nobis familiaria ſunt, providentia paterna naturæ mortalium ſeſe accommodante, veſtitum.* Et cap. 1. de Eccleſ. Hierarch. *Nos viſibilibus imaginibus ad divinas intelligentias pro virium noſtrarum modo conſcendimus.* Clarius vero Chryſoſt. hom. 83. in Mat. ubi ſic loquitur: *Si incorporeus eſſes, incorporea tibi dediſſet ipſe dona, nunc autem, quoniam conjuncta eſt corpori anima tua, ſub ſenſibilibus tibi intelligibilia tradit.*

18. Aliæ etiam congruentiæ, quibus opus erat, Sacramenta ſenſibilia eſſe, ex aliis Sanctis Patribus poſſunt inferri; una eſt, quia, cum homo conſtet ex anima & corpore, neceſſe eſt, ut non tantum anima credat, ſed etiam ſui corporis actibus fidem profiteatur, & cum Deum anima & corpore offendat, æquum eſt, ut per corporea Sacramenta curetur, atque ſanetur. Unde Gregor. Nyſſen. in orat. de baptiſ. inquit: *Compoſitus eſt homo, atque ideirco cognata, ſimiliaque medicamenta ad curationem ei deſtinata ſunt.*

Alia

19. Alia eſt, qua utitur ſubtilis Doctor in 4. diſt. 1. q. 2. quia, ſi homines naturali ducti ratione in unum populum adunantur, ita per Chriſtum in unum Eccleſiæ viſibile corpus ad Dei cultum profitendum conveniunt, debebant igitur per aliqua viſibilia ſigna, quæ toti corpori communia eſſent, ad hunc finem perduci; quod & factum eſſe in veteri lege perpendit Chryſoſt. hom. 39. in Geneſ. dicens: *Quando Deus ſibi voluit peculiarem populum congregare, dedit illi proprias, ac definitas cæremonias*.

20. Op. Ideo Sacramenta, de quibus nunc agitur, debent eſſe ſigna ſenſibilia, quia ſunt pro hominibus inſtituta, ſed hæc ratio nulla eſt, ergo. Prob. mi. ratio ſigni per reſpectum ad gratiam non eſt affixa alicui rei ſenſibili & materiali, imò ad gratiam ſignificandam, utpote aliquod ſpirituale, major convenientia concedenda eſt rei ſpirituali. Neque dicas, hoc verum eſſe de ratione ſigni utcumque abſtrahentis ab Angelico, vel humano, non vero humani, cum homo conſtans eſſentialiter parte ſenſitiva operetur eſſentialiter dependenter a corpore, proinde ſignum humanum debet inducere in cognitionem alterius per ſpecies ſenſibiles, juxta definitionem Auguſtini lib. 2. doctr. Chriſt. c. 1. dicentis: *Signum eſt res præter ſpeciem, quam ingerit ſenſibus, aliud aliquid ex ſe faciens in cogitationem venire*.

21. Contra enim, poteſt eſſe aliquod ſignum humanum, licet in alterius cognitionem per ſpecies ſenſibiles non perducat; & de facto ſpecies intentionales, mentiſque conceptus ducunt in cognitionem alterius, tanquam ſigna humana, nec tamen ſunt ſpecies ſenſibiles, quia ſunt ſpirituales; ergo.

Sed contra. ne. ant. ad prob. ſpecies illæ intentionales, ſi admittuntur, ſunt ſigna humana, ſed formalia & ignota, non inſtrumentalia, & nota; Sacramenta autem ſunt ſigna inſtrumentalia, quæ, ut humana, debent eſſe ſenſibilia, etiam propter alias rationes, præter illam, quæ tanquam pro cauſali allata eſt in argumento.

22. Non me latet, quoſdam opponere, contritionem eſſe partem Sacramenti pœnitentiæ, nec tamen ſenſibilem eſſe; Chriſtum etiam in Sacramento Euchariſtiæ eſſe modo inſenſibili, & tamen eſſe Sacramentum; ſed neminem præterit, tam contritionem ſenſibilem fieri per aliud, ideſt per confeſſionem, ut dictum eſt num. 14. quam Corpus Chriſti per ſpecies, ſi tamen verum eſt, Chriſti Corpus eſſe Sacramentum, quod a pluribus negatur; de qua re in proprio tractatu. Non eſt autem neceſſe, ut detur ſignum ſenſibile, omnes illius partes ſenſibiles eſſe; niſi ad ſummum per aliud: eſt enim homo ſenſibilis, & tamen conſtat inſenſibili anima, quamvis per actiones corporis ſeſe faciat ſenſibilem.

23. Dico 2. ſignum, quod in Sacramento, ut genus apponitur, debet neceſſario eſſe permanenter inſtitutum.

Prob. quantum ad inſtitutionem. Signum, quod in Sacramento genus eſt, non eſt naturale, ſed ad placitum; ergo debet eſſe inſtitutum; Prob. ant. ſignum, quod eſt naturale, debet ab intrinſeco, & ex natura ſua ducere in cognitionem rei ſignificatæ, cum qua propterea intrinſecam, ac neceſſariam connexionem ſervare debet; ſed ſignum, quod in Sacramento eſt genus, non poteſt ab intrinſeco, & ex natura ſua ducere in cognitionem rei ſignificatæ, nempe gratiæ, cum hæc ſit qualitas ſupernaturalis, a Deo nobis infuſa; ſignum autem Sacramento conveniens eſt aliquod materiale, & ſenſibile; ergo. Hinc Auguſt. lib. 2. de doctr. Chriſt. cap. 23. Sacramentorum ſignificationem verborum comparat ſignificationi; ergo ſi hæc ab humana eſt inſtitutione, a fortiori illa, cum res ſignificatæ, & verba ſignificantia ſint in eodem ordine, Sacramenta autem & gratia nequaquam.

24. Dices. Sacramentum naturaliter, & ab intrinſeco habere ſimilitudinem

nem cum re ſignificata, ex. c. in baptiſmate ablutio externa à ſordibus carnis habet ex natura ſua ſimilitudinem cum ablutione interna à ſordibus animi; in Euchariſtia nutritio naturalis per panem, & vinum cum nutritione ſpirituali per Corpus, & Sanguinem Chriſti; unde Auguſt. epiſt. 23. inquit: *Sacramenta quamdam ſimilitudinem habent earum rerum, quarum ſunt Sacramenta, quam ſi non haberent, omnino Sacramenta non eſſent*. Et Hugo Victorin. lib. 1. de Sacram. p. 9. cap. 1. definit Sacramentum, *eſſe materiale elementum, foris ſenſibiliter propoſitum, ex ſimilitudine repræſentans, &c.*

25. Sed contra. Similitudo, quam ante inſtitutionem habent Sacramenta cum re ſignificata non eſt univoca, formalis, & propria, ſed analoga, fundamentalis, & metaphorica; hujuſmodi ſiquidem eſt, dicere, gratiam abluere ſordes animæ, & augmentum gratiæ eſſe nutritionem ſpiritualem, ſicut peccatorum remiſſionem eſſe ſolutionem à vinculis; Ex hac autem analoga, fundamentali, & metaphorica ſimilitudine infertur, convenientius inſtituta eſſe in hac materia, quam in alia, non vero ex natura ſua per talem materiam talem effectum ſignificari. Etiam voces, ut ajunt logici rationabili quodam modo ſignificant res, & cum ipſis, quantum fieri potuit, proportionem ſervant; nemo tamen negat, ad placitum ſignificare; Ex his patet quomodo intelligendi ſint laudati Patres; addit tamen Hugo Victorinus: *& ex inſtitutione ſignificans*.

26. Prob. quantum ad permanentiam; primo per rationem adductam art. 1. num. 9. in fine. Secundo à poſteriori, nam omnia Sacramenta, hucuſque data, fuerunt inſtituta ſtabiliter, & omnia diuturno tempore perſeverarunt; perpende circumciſionem, & vetera Sacramenta, illa Gen. 17. hæc Exodi 12. dicuntur inſtituta in ritum perpetuum, ideſt pro toto tempore Synagogæ; Illa vero novæ legis ab inſtitutione ſua adhuc perſeverant, & uſque ad conſummationem ſæculi perſeverabunt; ergo. Confir. omnia alia ſigna ad placitum permanenter inſtituuntur, ita ut, quemadmodum pro multis inſtitui ſolent, ita pro multo tempore; ergo ſic etiam Sacramenta.

27. Dices; dubitari poteſt, an omnia Sacramenta hucuſque data fuerint inſtituta permanenter, forte enim impoſitio manuum Moyſis, qua Deuteron. ultimo datus eſt Joſue ſpiritus ſapientiæ, fuit verum Sacramentum, nec tamen fuit permanenter, ergo. 2. Nullum argumentum deſumi poteſt vel a fine, vel a ratione ſigni ad placitum; nam etiam Sacrificia ſunt inſtituta ad Deum colendum, & ad proteſtandam religionem, & quidem tanquam ſigna ad placitum, nec tamen erant neceſſario inſtituta permanenter, alioquin nec Abraham, ſi filium immolaſſet, nec Chriſtus in Cruce verum Sacrificium obtuliſſet; ergo rationes adductæ non ſatis probant, Sacramenta eſſe permanenter inſtituta.

28. Sed contra. ne. ant. ad prob. qui ſic argumentatur, nullum fundamentum poſitivum adducit; eodem modo in dubium revocari poſſet, an tranſitus maris rubri, an deſcenſus linguarum ſuper Apoſtolos, & alia hujuſmodi fuerint vera Sacramenta, quod nullus vel ex Patribus, vel ex Theologis aſſerit; & ideo, quod dixerit Chriſtus Luc. 7. *Remittuntur tibi peccata tua*, & Joan. 20. *Accipite Spiritum Sanctum* nemo dicit, actionem illam exteriorem fuiſſe Sacramentum; etſi fuerit ſignificativa gratiæ; quia lege ſtabili facta non fuit. Ad 2. dico, in ea hypotheſi non futura amplius ea Sacramenta, quæ de facto ſunt, & hoc eſt diſcrimen inter Sacramentum, & Sacrificium, quod hoc inſtitutum eſt etiam ſtabilitate ſecluſa, non ſic Sacramentum; & revera tu ipſe profers Sacrificia ſine permanentia inſtituta, ſed nullum proferre potes Sacramentum; Aliquam tamen diſparem

rem

rem rationem afferre non prohibemur, quod Sacrificia aliquam etiam peculiarem perſonam reſpiciunt, Sacramenta autem totam communitatem, & recurrit ratio adducta in Confirm. num. 26.

Quod ſi inſtares, permanentiam, vel non permanentiam rei eſſentiam non variare, proinde, quod ſignum ſit lege ſtabili inſtitutum, vel non, nequaquam variare rationem ſigni, adeoque nec Sacramenti; Reſponderem, hoc verum eſſe in ratione ſigni metaphyſice accepti, non vero in ratione morali, & quantum ad uſus humanos.

ARTICULUS V.

Utrum Sacramenta componantur ex rebus, & verbis tanquam materia, & forma.

29. DE Sacramentis veteris legis nullam difficultatem promoveo; fateor enim in lege naturæ remedium pro parvulis, & poſtea circumciſionem fuiſſe verum Sacramentum, ut ſuo loco probabo, nec tamen in illis aliqua verba ſtatuta ſunt, tanquam neceſſaria, & ad eſſentiam pertinentia; quamvis enim Sacerdos, & Populus orarent, tamen preces illæ arbitrariæ erant, & ſolum ad divinum cultum, & ad reddendas gratias pro beneficiis acceptis dirigebantur. Rationem autem affert hic D. Th. quia nempe ſtatus antiquæ legis erat imperfectus, & in eo fides erat obſcurior, & magis implicita, proinde non oportebat rebus adjungi verba, per quæ clarior fieret, atque explicatior.

30. Itaque ſit quæſtio de Sacramentis in lege Evangelica; atque in hac re compoſitio ex materia & forma non eſt adeo ſtricta, ut inveniri poſſit in Sacramentis, ſicut invenitur in compoſito phyſico ex materia, tanquam potentia phyſica, & ex forma, tanquam ex actu phyſico, ſed ſolum per quamdam analogiam, ita ut per materiam intelligatur aliquod determinabile, per formam aliquod determinativum in linea morali.

31. Dicendum; omnia Sacramenta novæ legis componi ex rebus, & verbis ſaltem æquivalenter, tanquam ex materia & forma. Hæc eſt communis Theologorum ſententia contra Durandum in 4. diſt. 1. qu. 3. de pœnitentia & matrimonio oppoſitum docentem, & Adrianum q. 2. de baptiſmo, quod tamen ſaltem ut temerarium damnant Doctores, præſertim Nugnez, & Gonetus. Dixi ſaltem *æquivalenter* propter Sacramentum matrimonii, in quo non ſunt neceſſaria verba formalia, ſed ſufficiunt nutus, vel alia ſigna; ſicut in quolibet alio contractu, quæ dum ponuntur pro verbis ad explicandum conſenſum, poſſunt dici verba æquivalentia.

Prob. Concilium Florentinum in Decreto unionis poſt recenſita omnia Sacramenta, inquit: *Hæc omnia tribus perficiuntur, rebus tanquam materia, verbis, tanquam forma, & perſona miniſtri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia.* Ergo.

32. Magis autem hoc oſtendetur omnia ſingillatim Sacramenta enumerando; Pro baptiſmate, habetur Mat. 28. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Pro Confirmatione, Act. 8. *Cum veniſſent oraverunt pro ipſis*, ecce verba, *tunc imponebant manus ſuper illos*, ecce res. Pro Euchariſtia panis & vinum ſunt materia remota, ſpecies panis, & vini proxima, forma vero: *Hoc eſt Corpus meum. Hic eſt Calix, &c.* Pro extrema unctione Jacobi ultimo: *Ungentes eum oleo*, ecce res, & *Oratio Fidei alleviabit infirmum*, ecce verba. Pro ordine jam conſtat eſſe traditionem inſtrumentorum, & verba ab Epiſcopo prolata; de quibus omnibus dicetur in ſuis locis.

33. Quantum vero ad Sacramentum pœnitentiæ, & matrimonii, de quibus laudati Doctores negativè ſentiunt, dico, in Sacramento pœnitentiæ con-

confeſſionem peccatorum affectam dolore interno eſſe rem & materiam; verba vero illa: *Ego te abſolvo*, eſſe formam; in Sacramento matrimonii traditionem corporum eſſe rem, acceptationem vero & conſenſum eſſe verba, non quidem formalia, ſed æquivalentia, ut dictum eſt.

34. Neque dicas, hoc dato verba eſſe materiam, & verba eſſe formam; etenim concedo, ſed dico, verba per confeſſionem vel formaliter, vel æquivalenter per nutus expreſſa, materialiter eſſe verba, formaliter tamen eſſe res, quia ſe habent adinſtar alicujus moraliter determinabilis; ideo fortaſſe Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 3. loquens de Sacramento pœnitentiæ, ait, actus pœnitentis eſſe quaſi materiam.

35. Non deſunt autem plures congruentiæ, quas afferunt communiter Doctores Theologi; atque in primis ex parte illius, qui noſtræ ſanctitatis eſt author; ſicut enim cauſa ſanctitatis noſtræ agens per Sacramenta eſt Verbum Patris unitum carni ſenſibili, ita congruum fuit, in Sacramentis addi verba ſenſibilibus rebus. Secundo ex parte illius, qui ſanctitatem recipit, nempe hominis; ſicut enim homo conſtat anima & corpore, ita Sacramentum perfici debuit ex rebus, quæ ſpectant ad corpus, & ex verbis, quæ progrediuntur, & creduntur ab anima; Tandem ex parte ſignificationis Sacramentalis, nam res ſenſibiles plura poſſunt ſignificare; debent igitur per aliquid determinari ad unum tantum ſignificandum, per quid autem, ſi verba deficerent, ſenſibiliter determinarentur?

36. Op. 1. Verba non ſunt de ſubſtantia, vel eſſentia Sacramentorum novæ legis, ergo non ſunt eorumdem forma, prob. ant. verba adveniunt rebus tanquam aliquid accidentarium, non ſubſtantiale, & a Sacramento reſpiciuntur in obliquo, ſicut accidentalis forma à concreto accidentali, ergo non ſunt de ſubſtantia, ſeu eſſentia Sacramentorum.

Reſp. ne. ant. quantum ad ly *eſſentia* ad prob. conc. ant. ne. conſ. ſicut enim quælibet forma accidentalis ſpectat ad eſſentiam compoſiti accidentalis, licet non ſit de ſubſtantia, cum per illam tribui nequeat eſſe ſubſtantiale, ita verba, quæ in Sacramentis accidentaliter afficiunt materiam, licet non ſint de ſubſtantia, erunt tamen de eſſentia, unde etiam conceſſo, verba tantum in obliquo per Sacramenta connotari, adhuc pertinerent ad eorum eſſentiam; ſed falſum eſt etiam, verba ſubſtantialiter non convenire Sacramentis in ratione propria Sacramentorum, nempe in eſſe morali, non phyſico, in qua ſola conſideratione Sacramenta dicuntur quid ſubſtantiale.

37. Op. 2. Sacramenta novæ legis non conſtituuntur eſſentialiter rebus, & verbis; prob. ſi Sacramenta novæ legis conſtituerentur eſſentialiter, &c. conſtituerentur tanquam per conceptum genericum, & differentialem, ſed neutro modo, ergo. Prob. mi. conceptus genericus idem eſt in Sacramentis novæ ac veteris legis; & hæc ex rebus & verbis non conſtabant, conceptus differentialis inter Sacramenta novæ, & veteris legis deſumitur a majori perfectione, & virtute cauſativa gratiæ, quæ virtus non eſt eſſentialiter affixa rebus, & verbis, cum poſſit communicari vel rebus ſolis, vel ſolis verbis, ergo.

Reſp. totum argumentum probare præciſa hac vel illa inſtitutione, non tamen loquendo juxta præſentem.

38. Dices. Accidentarium eſt in novis Sacramentis, quod ſubſint huic inſtitutioni, non alteri; ergo accidentarium eſt, quod conſtituantur ex rebus & verbis, tanquam materia & forma.

Sed contra. diſ. conſ. ergo accidentarium eſt, &c. ſecundum ſe conc. una ſimul cum præſenti inſtitutione ne. conſ. ſicut licet parieti ſecundum ſe ſit accidentaria albedo, attamen parieti ſumpto

pto

plo cum albedine non eſt accidentaria ratio diſgregandi viſum; ita pari modo accidentarium eſt Sacramentis componi ex rebus & verbis ſecundum ſe, non eſt tamen accidentarium, ſi ſumantur cum præſenti inſtitutione, vi cujus componi debent ex rebus & verbis uti probatum fuit.

ARTICULUS VI.

Utrum res & verba ſint partes componentes, & intrinſecè conſtituentes Sacramenta.

39. QUamvis in hac re pauciſſima dicenda forent, cum ex dictis facillime reſolvi poſſe videatur, attamen Doctores varia opinantes ad illam nos examinandam compellunt.

Aliqui generatim negant, formam Sacramenti eſſe partem ipſius, ita præſertim Sot. in 4. diſt. 3. art. 1. dicens conſequenter Baptiſmum conſiſtere in ablutione, atque in iſta totam ejus ſignificationem poſitam eſſe, quod docet etiam de Sacramento pœnitentiæ in 4. diſt. 14. art. 1. atque hoc potiori jure aſſerendum eſt de Euchariſtia, cum ſit Sacramentum permanens; Ratio hujus eſt, quia in artificialibus materia tantum eſt ſubſtantia totius rei, & pro ea ſupponunt nomina, quæ res artificiales ſignificant: Aliqui vero aſſerunt, materiam & formam Sacramentorum aliquando eſſe partes intrinſecas Sacramenti, aliquando non eſſe juxta varias Sacramentorum ſignificationes; iſtæ enim interdum ſunt in toto compoſito, ut in baptiſmo, confirmatione, & extrema unctione, interdum ſunt in ſola materia, ita ut forma ſe habeat reſpectu materiæ adinſtar tantum cauſæ efficientis, & materia ſit totum Sacramentum, quod de Euchariſtia docent Scotiſtæ cum ſuo Doct. in 4. diſt. 3. q. 1. & alibi; interdum ſunt in ſola forma, ut in Sacramento pœnitentiæ; ita ut ſola forma ſit totum Sacramentum, & materia concurrat tantum ut aliquod prærequiſitum; Atque totum hoc videtur colligi ex Concilio Florentino, quod ſolum dixit, Sacramenta ex tribus perfici, rebus, tanquam materia, verbis, tanquam forma, & perſona miniſtri cum debita intentione, ut ſi unum ex his deſit, Sacramentum non fiat, non vero ſtatuit materiam & formam eſſe partes, ſicut nec perſona miniſtri eſt pars.

40. Hoc poſterius fuiſſe juxta mentem Doctoris ſubtilis aliqui Scotiſtæ arbitrati ſunt; ſed falſo, nam ſi loco ſuperius adducto inquiit, relationem ſigni in baptiſmo haberi per ſolam ablutionem, attamen infra addit, verius haberi per ablutionem, & verba, & ſi in 4. diſ. 14. q. 4. ait, Sacramentum pœnitentiæ conſiſtere in abſolutione, attamen ibidem definit pœnitentiam eſſe abſolutionem hominis pœnitentis, proinde fatetur, etiam actus pœnitentis eſſe partem illius Sacramenti. Atque ita ſentiendum eſſe poſt Concilium Tridentinum, affirmat Maſtrius, quod tamen non ſatis firme aſſeri poteſt; ſiquidem Concilium ſeſſ. 14. cap. 3. habet hæc verba: *Sunt autem quaſi materia hujus Sacramenti ipſius pœnitentis actus, nempe contritio, confeſſio, & ſatisfactio, qui quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenamque, & perfectam peccatorum remiſſionem ex Dei inſtitutione requiruntur, hac ratione pœnitentiæ partes dicuntur*. Ex quibus, ut verum fatear, potius evinci poſſet oppoſitum, etenim ſicut recenſet contritionem, & confeſſionem, ita etiam ſatisfactionem, ſed hæc non eſt pars intrinſeca Sacramenti, ergo nec illæ. Unde si momenta alia non occurrerent, videretur potius, materiam non eſſe partem intrinſecè componentem. Sed redeundo ad Scotum, iſte in 4. diſ. 8. q. 1. inquit, in Sacramento Euchariſtiæ verba non eſſe partem intrinſecam, quia Sacramentum permanens eſt, oppoſito vero modo ſentiendum eſſe de aliis Sa-

Sacramentis, quia in uſu consiſtunt, eadem ratione demonſtrat.

41. Dicendum; res & verba, ſeu materiam & formam in Sacramentis eſſe partes eorumdem intrinſecas. Hæc eſt communis Theologorum ſententia cum S. Th. hic art. 6. ad 2. & art. 7. Alenſ. 4. par. q. 8. &c. Quid autem dicendum ſit de Sacramento Euchariſtiæ, in proprio tractatu reſolvetur.

Et quidem in hac re potior ratio afferri non poteſt, quam illa, quæ deſumitur ex intrinſeca ratione materiæ, & formæ, quæ sicuti in aliis compoſitis ſunt eorum partes intrinſecæ, ita etiam eſſe debent in Sacramentis, ſervata ſemper proportione, ita ut sic loquamur de compoſito physico per reſpectum ad ſuas partes physicas, & de compoſito morali per reſpectum ad ſuas partes morales; si enim determinabile physicum, & physicum determinativum manent intrinſecè in ſuo physicè conſtituto, cur non determinabile morale, & morale determinativum non manebit intrinſecè in ſuo moraliter conſtituto; quale eſt Sacramentum?

42. Verum & aliud momentum afferri poteſt, si ipſa Sacramenta perpendamus, in quibus perfecta significatio nec per ſolas res, nec per ſola verba habetur, ſed per illas, & iſta; atque ne in singulis immorer; baptiſma conſiderabo, de quo dubitat, ſeu negat Sotus laudatus; si tantum habeatur ablutio, non verba, nunquid animæ ablutio significabitur? minime perfecto, quia ablutio tantum indifferens eſt ad humectationem, frigefactionem, imo determinata ex natura ſua tantum ad ſordes corporis abſtergendas; si verba tantum, & non ablutio, propoſitio *ego te baptizo* falſa erit; ergo utrumque complet ſacramentalem significationem, adeoque utrumque eſt pars intrinſeca Sacramenti; atque hoc brevius sic poteſt oſtendi. Sacramenta id efficiunt, quod significant, ſed non efficiunt per materiam ſolam, vel per formam ſolam, ergo neque significant vel per ſolam materiam, vel per ſolam formam. Quod si etiam dici poſſet, res, ſeu materiam non eſſe partem intrinſece conſtitutivam Sacramenti, nunquam dici poſſet, non eſſe verba, ſeu formam, ut aſſerit ille Doctor, etenim tota virtus communicata in verbis eſt, juxta id quod ait Auguſtinus tract. 80. in Joan. interrogans: *Unde tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat? faciente verbo*, reſpondet, & ibidem, *accedit Verbum ad elementum, & fit Sacramentum*. Concilium Trident. ſeſſ. 13. cap. 3. inquit: *Docet ſancta Synodus, Sacramenti pœnitentiæ formam, in qua præcipue ipſius vis ſita eſt, &c.*

43. Neque ratio deſumpta ex artificialibus illud probat; imo contrarium; siquidem domus ex. cau. conſtat ex fundamentis parietibus, & tecto, non utcumque, ſed prout ſubſtant tali formæ, proinde etiam in Sacramentis significatio non deſumitur a materia ſola, ſed a materia, ut affecta tali forma, ideſt talibus verbis, cum quibus integrum perfectumque habeatur Sacramentum.

44. Quod vero pro ſecunda opinione dicebatur ex Concilio Florentino, non urget, nam dicendo, res ſe habere, ut materiam, verba, ut formam, ſatis dixit, ut innueret, eſſe partes intrinſecas, quæ fuit noſtra probatio.

45. Solet tamen excitari difficultas quædam; nempe ad partes intrinſecè conſtituentes pertinere eſſe simul, quod nequaquam contingit in rebus, & verbis, quæ ſunt res ſucceſſivæ. Manifeſtum eſt hoc in Sacramento pœnitentiæ, etenim abſolutio eſſe poteſt poſt horam, & etiam diem, a quo quis confeſſus eſt; rurſus in Sacramento matrimonii, quod etiam contrahi poteſt inter abſentes.

Sed paucis hæc reſolvitur, si dicamus, quod cum materia & forma, quæ eſt in Sacramento, non sit propriè materia & forma physica, ſed tantum per quan-

quandam analogiam, & accommodationem, ſequitur, quod non debeant ſimul eſſe, ſicut in compoſito phyſico iſtæ ſunt, ſed ſatis eſt, si moraliter ſint, ſicut etiam Sacramentum non phyſicum compoſitum eſt, ſed morale. Si autem petas, quid requiratur ad hanc moralem unionem, ſeu ſimultatem, certiori regula ſtatui non poteſt, quam Sacramentorum diverſitatem perpendendo; Quando enim materia eſt ipſa actio miniſtri, tunc major requiritur propinquitas, & ita contingit in baptiſmo, confirmatione, extrema unctione, & etiam ordine, cum in hoc ſignificetur traditio poteſtatis per traditionem libri, calicis, &c. In Sacramento matrimonii tanta propinquitas requiritur inter mutuam traditionem, & acceptationem, quanta neceſſaria eſt ad humanum contractum; Quia vero Sacramentum pœnitentiæ fit adinſtar judicii, nec materia eſt actio miniſtri, ſed pœnitentis, materia debet eſſe ante abſolutionem, & ea ſimultas neceſſaria eſt, quæ moraliter ſufficit, ut judicium peragi, & per ſententiam conſummari intelligatur. Non me latet, aliorum ſententiam eſſe, loquendo de baptiſmo, aliiſque Sacramentis primo recenſitis, ita peragendum eſſe, ut non deſinat materia, priuſquam initium detur formæ, neque deſinat forma, nisi prius incipiat adhiberi materia, & hoc ſatis mihi placet.

ARTICULUS VII.

Utrum ad Sacramenta requirantur determinatæ res, & determinata verba, & à quo habeatur hujuſmodi determinatio.

46. Nihil in præſenti puncto de rerum determinatione dicendum occurrit, ſicut etiam nihil de verbis pro ſingulis Sacramentis, nam de hac re, quando de ipsis ſingillatim pertractabitur, ſermonem inſtituemus, tantum res noſtra peragenda eſt tali pacto, ut confundatur Hæreticorum error, qui negant, requiri in Sacramentis definita verba, quæ nos conſecratoria vocamus, & tantum aſſerunt, neceſſaria eſſe hæc, vel illa, dummodo ad inſtructionem ſint apta, quæ ipſi vocant concionatoria; tantum enim, inquiunt excitari debet Fides in ſuſcipiente, & in memoriam revocari id, quod Chriſtus Dominus in Sacramentorum inſtitutione operatus eſt: de reliquo certa verba præſcribere non hominum ſanctificationis, ſed ſuperſtitionis ac artis magicæ argumentum eſt; & antequam rem contra Hæreticos ex inſtituto aggrediar.

47. Dico 1. Eſſe dogma Fidei, in Sacramentis requiri determinatus res, & determinata verba; atque hanc determinationem habitam eſſe ex Chriſti inſtitutione.

Porro hujuſmodi determinationem dari, de pluribus Sacramentis dictum eſt art. 5. num. 32. & de omnibus evincitur ex praxi Eccleſiæ, & traditione nunquam interrupta, ita ut, quamvis ex Scripturis Sanctis id non colligamus; attamen regulam æque certam habemus; ideo dixit Dionyſ. lib. de Eccleſiaſt. Hierarch. cap. 1. *Primi ſacerdotalis muneris duces viſibilibus ſignis cœleſtia Sacramenta tenuerunt, & partim ſcriptis, partim non ſcriptis inſtitutionibus nobis tradiderunt.*

48. Hanc vero determinationem nonniſi à Chriſto derivatam eſſe, ex eo oſtendi poteſt, quia ſi aliunde, vel à miniſtro, vel ab Eccleſia; non ab illo, alioqui miniſter non eſſet, ſed agens præcipuum; non ab iſta, cum in Concilio Tridentino congregata ſe ipſam excluſerit, & ſeſſ. 21. cap. 2. declaraverit, nequaquam eſſe in ſui poteſtate aliquid ſtatuere, vel mutare in iis, quæ pertinent ad Sacramentorum ſubſtantiam; Propterea, idem Concilium ſeſſ. 7. can. 1. inquit: *Si quis, dixerit, Sacramenta novæ legis non fuiſſe omnia à Jeſu Chriſto Domino noſtro inſtituta, anathema ſit.* Congruum autem valde fuit, determinationem hanc à Chriſto fieri; hic

enim

Digitized by Google

enim caput eſt, quem decebat tribuere omnibus Eccleſiæ membris æqualem in ſubſtantia Sacramentorum ritum; neque hoc melius præſtare poterat, quam ſtatuendo Sacramentorum materias, & formas, nempe res, & verba. Præterea quis poterat, aut debebat definire res illas, quibus homo ſanctificaretur, præter illum, in cujus poteſtate, tanquam in cauſa meritoria, eſt noſtra ſanctificatio?

49. Non eſt tamen ita ſentiendum, ut in omnibus Sacramentis æquali modo ſint res determinatæ; etenim in baptiſmate, confirmatione, & extrema unctione habemus res determinatas in ſpecie infima, & athoma, cum ad baptiſma requiratur aqua naturalis, ad confirmationem mixtura ex oleo, & balſamo in eandem ſpeciem convenientibus, & ad extremam unctionem oleum olivarum. E contrario in Sacramento Euchariſtico materia remota eſt panis azimus, vel fermentatus, & vinum album, vel nigrum; materia proxima ſpecies panis, & vini; in Sacramento pœnitentiæ materia remota, & deſtruenda ſunt peccata lethalia, vel venialia; materia proxima eſt peccatorum confeſſio affecta dolore vel contritionis, vel attritionis; Ordinem Diaconatus, ac Presbyteratus per ſolam manuum impoſitionem conferunt Græci; Latini vero etiam per librum Evangeliorum, per Calicem cum vino, & aqua, necnon per Patenam cum Hoſtia; In Sacramento matrimonii eſt contractus validus, ad cujus vim addidit Eccleſia præſentiam Parochi; Ex quibus ſatis probabile fit, in hiſce Sacramentis non eſſe determinatam materiam ex Chriſti inſtitutione in ſpecie infima, & athoma, ſed vel in ſpecie ſuperiori, vel in aliqua ratione generica ſigni ſenſibilis, apti ad poteſtatem indicandam, ut in Sacramento ordinis, vel quantum ad ſubſtantiam, relinquendo Eccleſiæ poteſtati quaſdam conditiones apponendas, ut in illo matrimonii; quod etiam valet, ſi loquamur de formis in verbis conſiſtentibus, conſtat enim, in Sacramento matrimonii non requiri verba formalia, ſed æquivalentia ſufficere, in ſenſu antecedenter explicato.

50. Dixi, id ſatis probabile fieri, nam non deſunt Doctores, inter quos Juvenin, aſſerentes, omnia etiam in ſpecie fuiſſe à Chriſto inſtituta; Quod ſi dicatur, magis firmum eſt, quod à nobis dictum fuit; ſed quantum ad hæc fuſius in propriis locis pertractabitur.

51. Interim contra Novatores hoc argumentum inſtituo. Verba fuerunt à Chriſto determinata, ſi hæc conſecratoria ſint, non, ut ipſi inquiunt, concionatoria; ſed verba in Sacramentis conſecratoria ſunt, non concionatoria, ergo. Prob. mi. & præſertim de Baptiſmo, & Euchariſtia, etenim alia ab ipſis non agnoſcuntur tanquam Sacramenta. Dixit Chriſtus, dum baptiſmum inſtituit: *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Mat. 28. Verba hæc quis dicat ad inſtructionem, ſeu concionem pertinere? Includunt quidem Sanctiſſimæ Trinitatis invocationem, at nullum docendi munus valent exprimere; Hoc oſtendi facile poteſt ex aliis Scripturæ locis, in quibus idem loquendi modus nobis exhibetur; Marci ultimo: *In nomine meo Dæmonia eiicient*. Act. 3. *In nomine Jeſu Chriſti ſurge, & ambula*. Profecto neceſſe non erat, ut prædicaretur, aut in Chriſti nomine promitterentur hæc omnia, ſed tantum ut invocaretur.

52. Jamjam dicentes audio; dictum fuiſſe ibidem: *Docete omnes gentes, baptizantes eos, &c.* itaque inferunt, baptiſmum à doctrina, ſeu concione nequaquam diſtingui.

Verum aſſerunt in aliquo ſenſu; ſed falſum omnino in re noſtra. Si de adultis fiat ſermo, utique plerumque doctrina debet baptiſmi Sacramentum præcedere; præſertim vero Apoſtolorum tempore, quo nullus in noſtræ Fidei myſteriis edoctus erat, ſed vel Moſay-

ſayca lex colebatur, vel profanorum Deorum ſtultiſſima religio vigebat; docendi igitur erant populi, ſicuti & nos adultos prius inſtruimus, antequam baptiſmi Sacramentum ipſis conferamus; In hoc difficultas nulla; ſed aliud eſt, doctrinam præcedere, & aliud concionatoria verba Sacramentum conficere; Hoc negamus, imo ex textu ipſo Hæreticorum errori contrarium evincitur, ut optime obſervavit Hieronymus in ejus commentario dicens: *Ordo præcipuus, juſſit Apoſtolis, ut primum docerent omnes gentes, deinde fidei intingerent Sacramento, & poſt fidem, ac baptiſma, quæ eſſent obſervanda, præciperent.* At ſi de parvulis ſermo ſit, quid ipſis verbum concionatorium prodeſt? nunquid audiunt, nunquid percipiunt? Percipiunt, inquies, qui interſunt; ſed quid, ſi nemo adeſſet? ſed quid adſtantium auditus, & perceptio, cum baptiſmate ipſis collato? Non me latet, per iſtorum fabulas in baptiſmate à parvulis exerceri quoſdam motus adinſtar fidei; ſed de hoc putido errore ſatis dictum eſt in noſtro primo Tomo, & ſecundo.

53. Eodem modo improbandum eſt etiam; quod Calvinus lib. 4. inſtit. cap. 16. ff. 20. inquit, videlicet, parvulis pro eo tempore baptiſma non prodeſſe, ſed poſtea utile ipſis futurum; Quid eſt hoc Deus bone? Cur igitur baptizantur? cur tempus illud non expectatur, quo poſſint verba percipere? Nonne ſtatim deletur originale peccatum? Si ſtatim pereant, nonne ſalutem aſſequuntur? Dicas potius, majoris virtutis fuiſſe in lege veteri circumciſionem, quam in nova baptiſmum, & tunc blaſphemiam blaſphemia confirmabis.

54. Eſt igitur non concio, qua habeatur inſtructio, neceſſaria; ſed Trinitatis invocatio, *in nomine*, nempe, *Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*; nomen enim invocationem ſignificat, juxta illud Pauli 1. ad Corint. 1. *Nunquid in nomine Pauli baptizati eſtis?* Unde Cyprian. ſerm. de baptiſm. Chriſti ait: *Verborum ſolemnitas, & ſacri invocatio nominis, & ſigna Apoſtolicis inſtitutionibus, & Sacerdotum miniſteriis attributa, viſibile efficiunt Sacramentum.* Quod ſi hæc verba tanquam Cypriani negas, non contendam, certe tamen alicujus magni Doctoris fuerunt; & ſi hæc non ſufficiunt, alii nobis non deſunt, qui noſtram veritatem confirment. Dionyſius Areopag. in lib. de Eccleſiaſtica Hierarch. cap. ultimo verba Sacramentorum appellat *conſecratorias invocationes*. Juſtinus in Apolog. ad Antoninum Pium ait: *Super eo, qui renaſcendum ſibi eſſe ſtatuerit, parentis rerum omnium, & Domini Dei nomen nominatur, atque id ipſum ſolum lavaturum iſtum ad lavacrum ducentes invocamus.* Baſilius lib. de Spir. Sanct. c. 15. inquit: *Tribus merſionibus, & totidem nomenclaturis, ſive invocationibus magnum baptiſmatis myſterium perficitur.* Dicam tandem, ut prætercam ex Latinis Ambroſ. lib. 2. de Sacram. cap. 5. & Auguſtinum lib. 3. de baptiſm. contra Donatiſt. cap. 10. cum Gregor. Niſſeno in lib. de baptiſm. *Omitte manum confligere, & oppone te, ſi potes, Domini vocibus, quæ invocationem, & cognominationem baptiſmatis hominibus inſtituerunt; & quæ ſunt verba Dominici præcepti? Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Et ſi plura velint, audiant Paulum 1. ad Corint. 1. dicentem: *Non miſit me Chriſtus baptizare, ſed evangelizare.* Et inde intelligant, diverſa eſſe verba, quæ baptiſmum conficiunt, ab illis, quæ concionem efformant.

55. De Euchariſtia dicam tantum, tunc à Chriſto Domino confectam eſſe, cum accepto pane, ac benedicto dixit: *Hoc eſt Corpus meum*, & accepto Calice: *Hic eſt Calix Sanguinis mei*, ſeu Sanguis meus; verba hæc certe concionatoria non fuerunt, ſed conſecratoria, atque hujuſmodi appellata ſunt ab Apoſtolo Paulo 1. ad Corint. 10. dicente: *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne*

com-

communicatio Sanguinis Chriſti, &c. De hoc in proprio tractatu fuſius agemus; ſed ut magis firmentur, ac appareant, quæ dicta ſunt, Hæreticorum argumenta afferamus oportet.

ARTICULUS VIII.

Refelluntur Hæreticorum argumenta.

56. PRimum argumentum, quod contra nos promovere ſolent cum Calvino, illud eſt, quod deſumitur ex verbis S. Auguſtini tract. 80. in Joan. *Unde tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat? addit, faciente verbo, non quia dicitur, ſed quia creditur; Nam & in ipſo verbo aliud eſt ſonus tranſiens, aliud virtus manens, hoc eſt verbum fidei, quod prædicamus; Unde in actis Apoſtolorum, fide mundans corda hominum, & Petrus Apoſtolus: Sic nos baptiſma ſalvos facit, non depoſitio ſordium carnis, ſed conſcientiæ bonæ interrogatio, hoc eſt, verbum fidei, quod prædicamus.* Igitur baptiſmi Sacramentum conficitur per verbum, quod prædicatur, & ideo verba ſunt concionatoria.

57. Pluribus reſponſionibus huic occurrunt argumento Doctores Catholici; quæ legi poſſunt apud Bellarminum, ego tamen exiſtimo; id ſic dictum eſſe ab Auguſtino, ſicut actum eſt ab Apoſtolis; Iſti enim antequam baptiſma conferrent, prius fidem prædicabant, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo, & quæ eſt radix juſtificationis noſtræ, & nullum adultum baptizabant, niſi prius crederet, in baptiſmo eſſe virtutem delendi peccatum, & à Chriſto fuiſſe inſtitutum; quod etiam à nobis ſervatur. Hoc igitur eſt verbum fidei, quod prædicamus, & hæc eſt fides mundans corda hominum; ſine qua in adultis nullam baptiſma haberet virtutem, non quia Sacramentum verum non eſſet, ſed defectu neceſſariæ diſpoſitionis, quæ vel baptiſmum antecedat, vel ſubſequatur. Quia tamen aliquando contingit, juſtificationem fieri extra Sacramentum re ſuſceptum, ad quam neceſſaria eſt fides, & fides habeatur per auditum, auditus autem per verbum, hinc fit, ſemper homines mundari per verbum, ſive ſit prædicationis, ſive ſit conſecrationis, & ſic de hoc verbo indifferenter loquutus eſt Auguſtinus, cum ſuſceperit explicandum textum illum Joan. 15. *Jam vos mundi eſtis propter ſermonem quem loquutus ſum vobis.* Inquirit enim, quare non dixerit Chriſtus: Vos mundi eſtis propter baptiſmum, quem contuli vobis, & reſpondet id non dixiſſe, quia ſive mundatio fiat per baptiſma, ſive extra, ſemper à verbo progreditur, & ideo promiſcue affert teſtimonia, quæ interdum referuntur ad verba concionis, aliquando ad verba conſecrationis. Quod vero Auguſtinus exiſtimaverit, aquæ tantum virtutis ineſſe non propter verba concionis, ſed conſecrationis, ex innumeris ejuſdem teſtimoniis oſtendi poteſt; primo ait: *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.* Verba autem concionis non ad elementum accedunt, ſed ad auditores. Secundo ibidem inquit: *Detrahe verbum ab aqua, quid eſt aqua niſi aqua?* atqui detracto verbo concionis, aqua non remanet pura aqua, ſed eſt ſacra, vel ipſo teſte Calvino lib. 4. inſtit. cap. 15. ergo. Tertio lib. 3. de baptiſm. contra Donatiſt. cap. 15. hæc habet: *Quamobrem, ſi evangelicis verbis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Marcion baptiſmum conſecrabat, integrum erat Sacramentum.* Igitur illa tantum verba baptiſmati conficiendo ſufficiunt: Quomodo autem intelligenda ſint illa verba: *non quia dicitur, ſed quia creditur* alibi declarabo; nunc ſufficiat illa ratio, quæ ibidem ſubditur: *nam & in ipſo verbo aliud eſt ſonus tranſiens, aliud virtus manens*; ideſt verbum eam vim non habere, ut eſt aliquid materiale tranſiens, quædam res naturalis & aer percuſſus, ſed ut eſt res ſpiritualis continens invocationem Trinitatis, & habens anne-

xam

xam Chriſti inſtitutionem, quæ eſt fidei objectum.

58. Secundum argumentum ejuſdem Calvini lib. 4. inſtit. cap. 14. colligitur ex Chriſti authoritate, ex conſuetudine Apoſtolorum, & primitivæ Eccleſiæ, nunquam enim, inquit, datum eſt aliquod ſignum Patribus, quin inſeparabilis foret doctrinæ copula, & ita etiam oportere, ut in verbo ſacramentali mentio fiat promiſſionis, quæ clara voce à miniſtro prolata, ac prædicata plebem eo manu ducat, quo ſignum tendit, ac dirigit.

Sed proh quam fallitur? quam enim concionem habuit Chriſtus, dum Sacramentum Euchariſticum inſtituit, confecit, deditque diſcipulis ſuis? nihil invenio Luc. 22. Mat. 26. & 1. ad Corint. 11. quod ſi Joannes cap. 14. 15. & 16. diuturnum Chriſti ſermonem deſcribit; In hoc nihil eſt, quod ad inſtitutionem Euchariſtiæ pertineat; & jam Euchariſtia inſtituta fuerat, cum Jeſus ita loquutus eſt. Neque verum eſt, Apoſtolos, aut Eccleſiæ primitivæ Patres verba concionatoria habuiſſe, ut aliquod Sacramentum conficerent, ſed ſi quandoque habuerunt, illa ad inſtruendos homines, non ad Sacramentum conficiendum adhibita ſunt; quod clariſſime oſtenditur ex Act. 20. ubi Petrus Cornelium per prædicationem inſtruxit, & inde juſſit, ut Cornelius, aliique baptizarentur, non igitur baptizavit, qui concionem habuit, ſi autem verba concionaroria eſſent pars eſſentialis Sacramenti, neceſſe fuiſſet, ut idem eſſet concionator, & Sacramenti miniſter, ſeu conficiens. Jam de hoc diximus etiam de Paulo, qui evangelizabat, ſed minime baptizabat; Et certe, cum de valore Sacramentorum aliqua controverſia ſuborta eſt, nunquam Patres inquiſierunt, utrum concio habita eſſet, vel facta aliqua promiſſio, ſed tantum, utrum verba evangelica, v. g. in baptiſmate invocatio SS. Trinitatis, a miniſtris fuerint prolata. Hac de re Concil. Nicænum can. 19. jubet rebaptizari Paulianiſtas, & Laodicenum can. 8. Cataphryges, Arelat. vero 1. can. 8. & Syricius epiſt. 1. cap. 1. prohibent, Arianos rebaptizari. Quare? non alia ratione; niſi quia, ut ſcribit Innocent. I. epiſt. 22. primi nec credebant Trinitatem, nec Trinitatem invocabant; Ariani vero, quamvis in unitate eſſentiæ Trinitatem non crederent, attamen baptiſmum conferebant in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, utrique tamen in prædicatione, & inſtructione errabant; igitur non inſtructio, ſed invocatio baptiſmum conſtituit. Sed vellem, ab Hæreticis afferri Scripturam aliquam, afferri Patres; non attulerunt, niſi unum Auguſtinum, & quod perperam intellectum eſt.

59. Opponunt tandem; Magicam incantationem eſſe, artemque ſuperſtitioſam, determinata verba ſuper aquam, vel ſuper panem, & vinum proferre.

Si ita res eſt, magus ergo, & incantator fuit Chriſtus, qui illa protulit, ac aliis proferre juſſit; Habuit ne Chriſtus poteſtatem, verbis determinatis virtutem hanc communicandi? ſi habuit; non eſt cur magos, & incantatores nos exiſtiment, ſi illis utamur; ſi non habuit, Deum negant; & ſi olim Deus verba quædam inſtituit, ut ſuper aquam prolata, vim haberent adulteras mulieres interficiendi, ut legitur Num. 5. cur Deus virtutem Sacramenta conſtituendi verbis non dedit? Dicis, noluit; ſed nos voluiſſe probavimus; noluiſſe nunquam probabunt Novatores.

ARTICULUS IX.

Quænam mutatio fieri poſſit in materia, & forma Sacramentorum.

60. Sentiendum; in rebus & verbis conſtituentibus Sacramenta novæ legis fieri non poſſe mutationem ſubſtantialem, ut Sacramentum ſit va-

lidum, fieri tamen poſſe variationem accidentalem.

Ratio primæ partis deſumitur ex Concilio Trident. ſeſſ. 21. cap. 2. juxta dicta num. 48. ſtatuente, quantum ad Sacramentorum ſubſtantiam nullam eſſe in Eccleſia poteſtatem; atque etiam naturali ratione oſtenditur, ſicut enim ad compoſitum phyſicum ita requiruntur partes, ut ſi varietur earumdem ſubſtantia, etiam varietur totum; ita ad compoſitum morale, ſicut eſt quodlibet Sacramentum, ſi varientur res & verba quoad ſubſtantiam, variari debet compoſitum, proinde nullum Sacramentum.

61. Quantum vero ad ſecundam partem, primo attendenda eſt ſuavitas divinæ providentiæ, & inſtitutoris Sacramentorum, nempe Chriſti, juxta quam conveniens fuit, res & verba cum aliqua accidentaria latitudine determinari, ita ut ea data adhuc valor Sacramentorum ſervaretur; Secundo confugiendum eſt ad praxim Eccleſiæ, quæ de facto in cap. Retulerunt de conſecrat. diſt. 4. ſtatuit, baptiſmum, collatum per hæc verba: *Ego te baptizo in nomine Patria, & Filia, & Spiritua Sancta*, eſſe validum, nec iterandum. Tertio id ratio ſuadet, ſicut enim in phyſicis mutatio accidentaria veras phyſicas ſubſtantias non deſtruit, ita nec in moralibus.

62. Ex hiſce reſolvuntur ſequentia, nimirum variationem idiomatis ſive in tota propoſitione, ſive in aliquo verbo ſynonimo, ut ſi quis diceret in baptiſmo: *Ego te abluo*, Sacramenti valorem non impedire, ſicut neque impedit translatio verbi activi in paſſivum, ut de facto ſe gerunt Græci dicentes: *Baptizatur ſervus Chriſti in nomine, &c.* In Sacramento pœnitentiæ non officere, ſi dicatur Principi: *Abſolvo ſerenitatem tuam*. Et ita ſervata proportione loquendum de cæteris. Pariter non obſtat aliquid addere, dummodo verus ſenſus permaneat; v. g. ſi quis diceret: *Ego te baptizo in nomine Patris ingeniti, Filii unigeniti, Spiritus Sancti paracliti. Et Beata Virgo te adjuvet*. Si autem diceretur: *In nomine Beatæ Virginis*, diſtinguendum eſt; Vel enim Miniſter putaret, Beatam Virginem aliquid operari in baptiſmate, & ſic valor baptiſmatis nullus eſſet, quia contingeret variatio in ſubſtantia; vel invocaret tantum nomen Beatæ Virginis ad ejuſdem patrocinium obtinendum, & ſic adhuc fieret Sacramentum, quia tantum contingeret variatio in accidente; & hæc eſt doctrina S. Th. 3. par. q. 60. artic. 8. in corpore, cujus verba non refero.

63. Non licet igitur juxta dicta Pontifici, vel Eccleſiæ aliquid in ſubſtantia variare, licet tamen in accidente murare res & verba, præſertim urgente gravi neceſſitate; Si quis autem ſine tali facultate, vel ſine aliqua neceſſitate mutaret etiam accidentaliter ſciens, & volens, vel ex gravi negligentia, & ignorantia culpabili, peccaret lethaliter; quia ſe opponeret Eccleſiæ præcepto, à qua ritus alius prohibetur.

64. Utrum vero aliquis utens ritu contrario animo ritum ſuum inducendi, & abolendi ritum Eccleſiæ peccet lethaliter, & conficiat Sacramentum. Reſpondeo; procul dubio peccare lethaliter; & quantum ad ſecundum, diſtinguo: Vel enim ſic agens cognoſcit ſe errare, & facere contra veram Chriſti Eccleſiam, & tunc non perficit Sacramentum, quia non videtur facere, quod facit vera Chriſti Eccleſia, ut loquitur S. Th. & ideo illa mutatio accidentalis propter intentionis defectum fit ſubſtantialis; ſi vero ſe exiſtimat contra veram Chriſti Eccleſiam non facere, perficit Sacramentum, ut manifeſtum eſt in Hæreticis, à quibus valide Sacramenta confici definitum eſt, ut dicemus.

65. Si vero miniſter intentione ſua detorqueret ſenſum formæ in erroneum vel hæreticum, vel etiam ſi error, aut hæ-

hæreſis in forma exprimeretur, quid foret ſentiendum?

Reſpond. in utroque caſu perfici Sacramentum, dummodo in ſecundo caſu, dum exprimitur error, vel hæreſis, non impediatur ſenſus formæ; Quotieſcumque enim ſervatur eadem ſignificatio, & non excluditur intentio Eccleſiæ, ſi nihil aliud, pertinens à ſubſtantiam deſit, Sacramenta fieri nihil impedit, & de facto Eccleſiæ conſenſu valuit baptiſmus Arianorum per triplicem immerſionem, quam more Catholicorum adhibebant ad ſignificandam triplicem naturam; & Sacerdos nunc valide conſecraret, ſi proferret hæc verba: *Hic eſt Sanguis meus* errans, vel cum Lutheranis, intelligendo per *hic* ſolum præſentiam localem Sanguinis ſine tranſubſtantiatione, vel cum Calviniſtis, indicari præſentiam ſolum in ſigno, & figura.

66. Dices in laudato cap. *Retulerunt*, approbavit quidem Zacharias Papa baptiſmum ſub recenſita forma, addidit tamen conditionem, videlicet, ſi abluens verbis illis errorem in Eccleſiam non intendat inducere; ſecus vero, ſi per *Filia* intenderet, eſſe in Trinitate filiam, & fœminam.

Sed contra; hæc, & ſimilia in verbis æquivocis conſiſtentia, mihi non opponerent, ſi animadverterent, quod præmonui, ideſt, niſi error pervertat ſenſum formæ, & habeatur animus, quod facit Chriſti Eccleſia faciendi. Si autem per *Filia* intelligeretur in Trinitate fœmina, jam forma corrupta eſſet ſubſtantialiter; ſicuti, ſi per *hic* in forma conſecrationis intelligeretur præſentia localis ſine tranſubſtantiatione, nec intenderet miniſter facere, quod facit Eccleſia, Sacramentum nullum eſſet; atque hoc pacto videas conciliatam utramque ſententiam negativam, & affirmativam; in qua re proferentis intentio ſolummodo poteſt dijudicare. Juxta hæc alia plura, de quibus agunt Doctores, reſolvi poſſunt.

ARTICULUS X.

De forma Sacramentorum ſub conditione.

67. Nunc aliqua tradenda ſunt de Sacramentorum forma, quæ ſub conditione ſolent conferri, quæ conſuetudo, etſi per ſeptem priora ſæcula in Eccleſia Chriſti non fuerit, ut probat Juvenin, attamen circa octavum ſæculum ſumpſit apud Latinos exordium, cum in capitularibus Caroli Magni ſæculo nono lib. 6. cap. 181. legantur hæc verba: *De quibus dubium eſt, utrum ſint baptizati, an non, omnimodis abſque ullo ſcrupulo baptizentur, his tamen præmiſſis verbis: Non te rebaptizo, ſed ſi nondum baptizatus es, baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* E contrario Patres prioribus ſeptem ſæculis in dubio, quo quis baptizatus eſſet, abſoluta forma utebantur, non eſſe tunc periculum iterandi baptiſmum aſſeverantes, Leo enim Magnus ep. 37. inquit: *Non poteſt in iterationis crimen devenire, quod factum eſſe omnino neſcitur*. Et Gregor. Magnus epiſt. 31. ad Felicem: *Non monſtratur iteratum, quod non certis indiciis oſtenditur rite peractum*.

68. Quod autem diximus ex capitularibus Caroli Magni apud omnes Eccleſias Latinorum acceptum eſt, & traditum jam erat ab Alexandro III. ſed fortaſſe omnibus nequaquam notum, ſed poſtea ſæculo 13. in jure Canonico ſub Gregorio IX. promulgatum, nam *Extra de baptiſmo* cap. 2. hæc leguntur: *De quibus dubium eſt, an baptizati fuerint, baptizentur his verbis præmiſſis: Si baptizatus es, non te baptizo, ſed ſi nondum baptizatus es, Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*.

69. Si petas in quibus Sacramentis hæc forma conditionalis incœperit adhiberi, certum eſt, in Sacramentis illis, quæ imprimunt characterem, de iſtis enim

tantummodo ſermo eſt apud Doctores, qui uſque ad Tridentinum Concilium ſcripſerunt; non eſt autem ſuſpicandum, ſi etiam in aliorum adminiſtratione uſus invaluiſſet, id ab illis fuiſſe prætermittendum. Nunc vero etiam in Sacramentis, quæ iterari poſſunt, forma conditionalis uſum obtinuit; puta in ſacramentali abſolutione, cum dubitat Sacerdos, an verba illius rite protulerit, vel an ſubjectum ſit capax, v. g. ſi ſubito morbo correptus obmuteſceret, nec rationis ſigna præberet; atque hoc exigit Sacramenti reverentia, & is, qui bona fide ad Sacramentum acceſſit, ne illius forte neceſſaria receptione privetur. In hac tamen re unuſquiſque conſulat Eccleſiæ propriæ ritualia, & nihil detrahat, nihil augeat.

70. Utcumque vero ſe res habeat, niſi diligens examen, an Sacramentum, de quo dubium eſt, valide collatum fuerit, præcedat, conditionalis forma adhibenda non eſt, præſertim ſi ſermo ſit de Sacramentis illis, quæ characterem imprimunt; nam ſi de aliis, puta de pœnitentia loquamur, tam diligenti examine opus non eſt, ſicuti nec tantum dubium, an validum fuerit, eſt neceſſarium; cur autem id dicamus, facile ratio reddi poſſet, quia nempe, etiamſi peccata ſemel dimiſſa ſint, poſſunt tamen novo titulo iterum dimitti, ut tradetur in tractatu de pœnitentia; atque hæc breviter juxta praxim dicta ſint.

ARTICULUS XI.

Utrum intentio Miniſtri, vel aliquid aliud præter res, & verba conſtituat intrinſecè Sacramenta novæ legis.

71. AN intentio Miniſtri neceſſaria ſit ad Sacramentum conficiendum, alibi agendum erit; Suppoſito tamen, eſſe neceſſariam, inquiritur, quod in titulo propoſitum eſt; Communiſſima Doctorum opinio negativam partem defendit. Aliqui tamen non deſunt, quos maxima veneratione proſequor, qui ſentiunt affirmative, quales ſunt Eminentiſſimis Cardinalis de Lugo, Ariaga, Exparza, ſi ſermo ſit de Sacramentis in uſu conſiſtentibus, de Euchariſtia enim peculiarem rationem eſſe, non inficiantur.

72. Libenti quidem animo iſtis ſubſcribere ſtatuiſſem, ſi eorum argumenta perpendens, parum probare compertum non eſſet, quod & aliis, ejuſdem ſocietatis præſtantiſſimis Doctoribus, viſum eſſe, non eſt ambigendum; cum in ſententia oppoſita eos eſſe, legamus. Porro argumentum primum eſt graviſſimum exiſtimatum, quia illud alicui compoſito intrinſecum eſſe debet, quo ablato, ſi cætera omnia maneant, compoſitum non eſt, at remanente materia & forma Sacramenti præter intentionem Miniſtri, Sacramentum non eſt, ergo id quod deeſt, nempe intentio, eſt intrinſecum conſtitutivum Sacramenti.

73. Ut hujus argumenti robur ſuſtineat De Lugo, opponit ſibi reſponſionem quamdam, nimirum, deficiente intentione Miniſtri, deficere talem materiam, & talem formam requiſitam à Chriſto ad Sacramentum, cum Chriſtus, quando v. g. inſtituit baptiſmum, non aſſumpſerit ad ſignificandam gratiam omnes ablutiones poſſibiles, nec omnes poſſibiles prolationes verborum, ſed aliquam earumdem partem, cum ad Deum pertineat determinare individuum hic, & nunc producendum à cauſa ſecunda; Hinc, cum abſque debita intentione non ſit ablutio, nec verborum prolatio ex illis, quas Chriſtus aſſumpſit, Sacramentum non dari neceſſe eſt; non tamen probatur intentionem intrinſecam eſſe partem.

74. Hanc ipſe rejicit; &, non inficior, apte; ſed nos illa non utimur, imo, ſi apud ipſum legendam nobis non expoſuiſſet, menti noſtræ nunquam occurriſſet; dicimus enim breviſſime, argu-

gumenti ſuppoſitum eſſe falſum, quomodo enim ſine intentione Miniſtri materia, & forma remanere poſſunt, ſi ea deficiente, forma in ſui ſacramentali ſignificatione non eſt? non eſt autem, ſicut quælibet forma non eſſet, ſi cauſa efficiens, & productiva deficeret.

75. Argumentum ſecundum petitum à ratione, quam à priori vocant, eſt, quia Miniſter in Sacramentis novæ legis operatur ut Miniſter Chriſti, & nomine ipſius, à quo delegatus eſt, juxta illud 1. ad Corint. 4. *Sic nos exiſtimet homo, ut Miniſtros Chriſti, &c.* requiritur igitur, quod illius nomine operetur, & propterea intentio erit aliquid integrans operationem illam. Alia nonnulla proferunt, ſed ex dicendis refellentur.

76. Dico 1. Intentionem Miniſtri non conſtituere intrinſece Sacramenta novæ legis.

Aſſertio hæc probatur ex verbis Florentini toties laudatis, ſcilicet omnia Sacramenta tribus perfici, rebus, tanquam materia, verbis tanquam forma, & perſona Miniſtri, quo in loco utitur illo termino *perfici* communi tum cauſis intrinſecis, tum extrinſecis; ſi autem perſona Miniſtri intrinſece conſtitueret Sacramenta, potuiſſet dicere *confici*, & magis limitare modum dicendi ad cauſas intrinſecas. Quod ſi adverſarii putant, aliquid ex hoc textu pro ſe deduci, dicant, non intentionem, ſed perſonam Miniſtri intrinſece ſe habere in Sacramentis, cum de perſona expreſſe loquatur Concilium. Ratio autem naturalis eſſe poteſt, quia quemadmodum ad quodcumque compoſitum phyſicum requiruntur materia, forma, & cauſa efficiens; ita etiam ad quodcumque compoſitum morale, ſicut eſt Sacramentum, ſi autem intrinſece Sacramenta componeret intentio Miniſtri, effectrix cauſa quænam eſſet?

77. Dices, ſaltem in Sacramento matrimonii intentio Miniſtri intriſece conſtituit, ſiquidem talis intentio eſt utriuſque conjugis conſenſus; ſed hic intrinſece conſtituit, ergo.

Sed contra; conſenſus utriuſque conjugis poteſt bifariam conſiderari, vel quatenus uterque conjux intendat facere quod facit Eccleſia, & Chriſtus inſtituit, vel quatenus uterque intendat alteri poteſtatem ſui corporis tradere, Primo modo acceptus eſt quidem intentio Miniſtri, at non ingreditur intrinſece conſtitutionem hujus Sacramenti; in ſecundo ingreditur, ſed habet rationem materiæ, & formæ, ſeu rei, & verborum.

78. Dico 2. neque inſtitutionem, ſeu voluntatem Chriſti inſtituentis, neque perſonam Miniſtri, conferentis, vel conficientis Sacramenta, intrinſece hæc conſtituere.

Prob. per id Sacramentum intrinſece conſtituitur, per quod redditur ſignum ſenſibile, ſed neque per Chriſti inſtitutionem, ſeu voluntatem, neque per perſonam Miniſtri conferentis, vel conficientis, redditur ſignum ſenſibile, ergo. Prob. minor inſtitutio, ſeu voluntas Chriſti non eſt ſenſibilis, perſona vero Miniſtri, quamvis ſenſibilis ſit, attamen præter rationem aliam ſatis claram, per accidens eſt reſpectu Sacramenti; nam, dummodo eſſet ſenſibilis actio, & prolatio verborum, quamvis perſona Miniſtri modum exiſtendi ſpiritualem haberet, valor Sacramenti ſubſiſteret, & haberetur ejuſdem intrinſeca conſtitutio.

Confirmatur. In compoſito phyſico nihil eſt intrinſece ejuſdem conſtitutivum, præter materiam, & formam, ergo etiam in compoſitis moralibus, ideſt Sacramentis; ſed inſtitutio Chriſti, & perſona Miniſtri non ſe habent ut materia, & forma, ergo. Prob. mi. quia non ſe habent vel ut res, vel ut verba, quæ ſunt materia & forma ex Florentino; Quod ſi in compoſitis phyſicis admittitur etiam unio tanquam ingrediens eorumdem conſtitutionem, argumentum non tenet; nam unio, vel non diſtingui-

tur

BIBLIOTECA ... ROMA

tur à materia, & forma, vel ſi diſtinguitur, eſt purus modus, & purum quo, quod de intentione non valet; aliter deberemus diſtinguere plures intentiones, ſicut plures diſtinguimus uniones, ut manifeſtum eſt. Ex hac probatione confutatur argumentum ſecundo loco propoſitum num. 75.

76. Dices: Sacramenta novæ legis ſunt ſignum ad placitum, ſed hoc intrinſece conſtituitur ex inſtitutione, ſeu voluntate inſtituentis, ergo Sacramenta conſtituuntur intrinſece ex inſtitutione, ſeu voluntate Chriſti inſtituentis.

Sed contra diſt. mi. cum ſit vera de ſigno ad placitum, ſumpto adæquatè pro re ſignificante, & ſignificatione, non ſolum pro re ſignificante; Certum eſt enim, ſignum ad placitum, ut includit ſignificationem, includere etiam inſtitutionem, quæ eſt ratio fundandi ſignificationem, ut autem eſt pura res ſignificans, reſpicit tam inſtitutionem, quàm ſignificationem, tanquam aliquid extrinſecum; nam si foret illi intrinſeca ſignificatio, non eſſet ſignum ad placitum, ſed naturale. Brevius etiam dici poſſet; eſſe ſignum ad placitum, non quia Sacramentum intrinſece includat inſtitutionem, ſeu voluntatem Chriſti; ſed quia intrinſece includit reſpectum, & ordinem ad talem inſtitutionem, & voluntatem; ex quo nihil in nos infertur.

QUÆSTIO II.

De neceſſitate Sacramentorum in diverſis humani generis ſtatibus.

1. DE hiſce diverſis humani generis ſtatibus ſatis conſtat, quot fuerint, nempe naturæ in originali juſtitia conſtitutæ, in quo fuit Adam; naturæ lapſæ, in quo vixerunt homines uſque ad Moyſem, legis ſcriptæ à Moyſe uſque ad Evangelium, & tandem legis novæ, in quo, uſque ad conſummationem ſæculi permanſuro, poſt Chriſti adventum nos vivimus.

Dum autem audis, vel legis Sacramentorum neceſſitatem, ne hanc intelligas in ſtricto ſenſu; certum eſt enim, quod in nullo ſtatu Sacramenta neceſſaria fuerunt; cum Deus pro ſui voluntate abſque ullo Sacramento ad æternam ſalutem homines perducere potuiſſet, ſicut perduxit Angelos, ſed neceſſitatem intellige ex præſuppoſita Dei inſtitutione, & lege ſic decernente: unde inquirendo de Sacramentorum neceſſitate, idem inquiritur, quod, ſi diceretur, de Sacramentorum exiſtentia; Titulus autem ſic à nobis expoſitus fuit, ne ab aliorum Doctorum, quos præcipuos prædicamus, appoſitione diſcederemus, quibus præmiſſis.

ARTICULUS I.

An in ſtatu innocentiæ fuerint, vel fuiſſent Sacramenta.

2. STatus ille feliciſſimus innocentiæ tam brevi ſpatio inter parentes noſtros apparuit, ut vix fuiſſe diceres, & doleres.

Dico 1. in ſtatu innocentiæ, qui fuit, nulla Sacramenta extiterunt.

Prob. Non eſt dicendum, aliquod in ſtatu innocentiæ fuiſſe Sacramentum, niſi conſtet vel ex ſcriptura, vel ex traditione perenni, ea enim, quæ pendent à divina voluntate non poſſunt aliunde no-

nobis manifeſta fieri, ſed in ſtatu innocentiæ fuiſſe aliquod Sacramentum non conſtat, vel ex ſcriptura, vel ex traditione, ſi qua enim eſt, afferatur; ergo. Accedit temporis brevitas, talis quidem, ut Sacramentorum uſui locus nullus eſſe potuiſſet.

3. Contra hoc duo videntur eſſe. Unum, quod ſumitur ab Apoſtolo ad Epheſ. 5. de conjugio Adæ, & Evæ dicente: *Erunt duo in carne una*, *Sacramentum hoc magnum eſt*, *ego autem dico in Chriſto*, *& Eccleſia*. Alterum, quod habetur ex S. Auguſtino lib. 8. Gen. ad lit. cap. 4. dicente de ligno vitæ: *Erat in lignis cæteris alimentum*, *in hoc Sacramentum*. Habetur igitur fundamentum dicendi, in ſtatu innocentiæ fuiſſe, &c.

4. Reſpondet tamen S. Th. q. 61. art. 2. ad 3. matrimonium in ſtatu innocentiæ fuiſſe inſtitutum, non prout Sacramentum eſt, ſed ut officium neceſſarium ad naturæ, & ſpeciei propagationem; deinde in lege nova, poſt conjunctionem Chriſti cum Eccleſia, in ratione Sacramenti; ideo dicit Apoſtolus, Sacramentum hoc magnum *eſt* in præſenti, non *fuit* in præterito. Facilius tamen dici poteſt, Sacramentum ibi dici pro re abſcondita, & myſterio, non in ſtatu à nobis in antecedente explicato, & ſic intelligenda authoritas Auguſtini. Certe, ſi argumenta adducta probarent, omnes figuræ, & allegoriæ veteris legis Sacramenta fuiſſent.

5. Hæc pro ſtatu innocentiæ, qui fuit; ſed quid ſentiendum, ſi perſeveraſſet, & Adæ poſteris fuiſſet conceſſus? Reſponſio incerta eſt, cum nihil ex revelatis evinci poſſit; Communior tamen Doctorum ſententia negat, futura fuiſſe Sacramenta; cujus quidem præcipuum momentum eſt hoc, quod ſubdo; ut enim notat S. Th. cum Hugone Victor. lib. 1. de Sacram. par. 9. cap. 3. Sacramentorum neceſſitas eſt noſtra humiliatio, vel eruditio, vel præſervatio, congruum namque fuit, hominem, qui peccando renuit ſubeſſe Deo, & amando ſenſibilia ad ipſa ſe tranſtulit, tanquam ad ultimum finem, per ſenſibilia reverteretur ad Deum, qui finis ultimi ſolus obtinet dignitatem; & amiſſa per peccatum cognitione factus ſicut equs & mulus, quibus non eſt intellectus, omnem cognitionem à corporeis hauriret, per quæ ad gratiam revocaretur, eorumque uſu, ſalubrique exercitio à pravis operibus, & ſacrilegis ſuperſtitionibus poſſet præſervari; atqui in ſtatu innocentiæ nihil horum fuiſſet; ergo.

6. Exiſtimo tamen, Sacramentorum inſtitutionem contra debitum ordinem, & perfectionem illius ſtatus nequaquam fuiſſe futuram, neque iſtorum finis & ſignificatio in illo tantum conſiſtunt, quod ſuperius indicatum eſt; Quis enim inficias ire poteſt, utilia eſſe Sacramenta ad fidei proteſtationem externam, ad excitandam memoriam, & affectum, ad repræſentationem myſteriorum ſupernaturalium, facilioremque eorum apprehenſionem? & ſicuti huic ſtatui non fuiſſet incongruum, res fidei per voces, ac ſenſibilia ſigna percipere, fuiſſent imagines ad res abſentes repræſentandas, & inſignium hominum memoriam, amoremque commovendum; ita nequaquam dedecuiſſet, ſi per ſigna ſenſibilia, à Deo elevata, Deum coluiſſet, atque ſe homo exercuiſſet. Nunquid officit, tunc hominem in gratia fuiſſe creandum? nec ſenſibilibus ſignis ſubdendum? Ut Sacramentornm exiſtentia excludatur, hæc mihi ratio inſufficiens videtur, imo corruit, ſi cum aliis congruentiis eam comparare velimus. Nonne tunc potuiſſet deperdi gratia? nonne augeri? cur igitur non ſolum ex opere operantis, ſed etiam ex opere operato ſervari poterat, & augeri? Non dedecebat propter obedientiam, & humilem erga Deum ſubjectionem, hominem arceri à ſenſibili re, ideſt ab eſu ligni ſcientiæ boni, & mali; ergo neque dedecuiſſet propter eamdem obedientiam ac humilitatem, homi-

minem uti aliqua re ſenſibili, qua Deo cultum præſtaret, & magis ſanctificaretur; neque tunc fuiſſet ſubjectio hominis alicui rei ſenſibili, ſed ſubjectio hominis Deo in uſu ſenſibilis rei.

7. Hoc præſertim mihi dicendum videtur ab iis, qui, ſententiæ Scoticæ ſubſcribentes, affirmant, etiam perſeverante ſtatu innocentiæ futuram fuiſſe incarnationem Verbi divini, tunc enim videtur, etiam futurum eſſe Sacramentum Euchariſtiæ, & quamvis non habeantur ſcripturæ, quæ hoc probant, ſicut illud; attamen eadem eſt utrobique ratio. Ideo enim fuiſſet incarnatio, quia bonum incarnationis eſt ſummum bonum creatum, per ſe amabile independenter à peccato, & myſterium maxime excellens; ſed etiam Sacramentum Euchariſtiæ eſt ſummum bonum creatum, per ſe amabile, & myſterium maxime excellens, imo à Sanctis Patribus omnium miraculorum dicitur maximum, ergo. Fateor quidem, tunc nec futuram eſſe regenerationem per baptiſma, quia tunc filii Adæ non fuiſſent natura filii iræ, ſed filii juſtitiæ, & Dei, quod etiam de Sacramento pœnitentiæ, & extremæ unctionis aſſerendum eſt, cum ſupponant ægritudinem animæ, & corporis mortalitatem, quæ in ſtatu innocentiæ non fuiſſent; Quantum vero ad confirmationem, quamvis hæc non fuiſſet inſtituta ad profeſſionem fidei contra difficultates, pericula, & tyrannorum perſecutiones, quæ tunc fuiſſent nullæ, attamen ad obtinendam majorem Spiritus Sancti abundantiam, quæ omni tempore abſque ulla occaſione maxime optari poteſt, quid prohibet? Matrimonium etiam non ad ſedandam libidinem, & onera matrimonii ſuſtinenda; ſed ad ſignificandum Chriſti myſterium fuiſſet aptiſſimum; De ordine vero ea ratio colligi poteſt, quod ad Euchariſtiam maximam habitudinem habeat; Verum, ut præmonui, hæc omnia incerta ſunt; ſed ſicut ab aliis abſolute negantur, ita à nobis poſſunt abſolute affirmari.

8. Sed quid dicendum de aliis, qui etiam in eo ſtatu peccaſſent, ut ſuppono; habuiſſent ne aliquod Sacramentum in peccati remedium? Aliqui dixerunt, illos homines eſſe ſtatim puniendos, nec ipſis ſpatium aliquod pœnitentiæ relinquendum, ſicut evenit in Angelis; Hoc non approbo, quia peccarunt primi parentes, nec ſtatim pœnam ſubierunt, ſed pœnitentiæ datus eſt locus. Veroſimilius exiſtimo, quod ſicut Adam & Eva ſine aliquo Sacramento, ſed per actum contritionis perfectæ veniam obtinuerunt, & juſtificationem, ita & alii, qui propria voluntate peccaſſent.

ARTICULUS II.

Utrum in ſtatu legis naturæ fuerit remedium pro peccato originali, & hoc fuerit Sacramentum.

9. PRioribus Eccleſiæ ſæculis non ſolum de hac re fuit aliqua controverſia; ſed neque apud Patres verbum aliquod invenimus; imo nec in Scriptura ſancta, in qua ante datam circumciſionem, nihil pro maſculis, & poſt ipſam, nihil pro feminis ſcriptum nobis legendum ſeſe exhibet; S. Auguſtinus ille fuit, qui primus hanc ſibi quæſtionem excitavit; deinde alii ſibi reſolvendam propoſuerunt. Et quidem ſi ſermo fiat de adultis, tanquam dogma fidei tenendum eſt, quovis tempore pro peccato originali fuiſſe remedium; cum habeatur ex divina Scriptura, plures viros fuiſſe juſtos, pluresque feminas ſanctas, de quibus dicitur coram Deo ambulaſſe, & præcepta Domini cuſtodiiſſe; quod affirmari non poſſet, ſi defeciſſet remedium pro orginali, non enim originali retento remitti poſſunt actualia. De parvulis vero.

Sentio; fuiſſe remedium.

10. Si rationem à me petas, hanc aliunde proferre non poſſum, niſi à divina bonitate, ſuavique providentia, qua, cum ſemper voluerit omnes homines

nos ſalvos fieri, omnibus etiam contulit media, & auxilia ſaltem remote ſufficientia, quibus ſalus obtineri poſſet; hoc autem nequaquam ſervatum eſſet, ſi multitudini parvulorum, qui mortui ſunt in lege naturæ, pro originali remedium defuiſſet, ſaltem loquendo ex parte Dei; & quamvis fortaſſe, id dici poſſet de illis, qui nondum ab utero matrum egreſſi, prius mortui ſunt, quam nati; attamen de aliis, qui nati ſunt, & mortui, priuſquam ad rationis uſum pervenerint, nullo modo poteſt affirmari; ſed de hoc puncto actum eſt in ſecundo meo libro.

11. Si vero Patrum ſententias exquiras; celeberrima eſt illa S. Auguſtini lib. 5. contra Julian. cap. 11. ubi ſic loquitur: *Non ideo tamen credendam eſt ante datam circumciſionem famulos Dei, quandoquidem in eis erat mediatrix fides in carne venturi, nullo Sacramento ejus opitulatos fuiſſe parvulis ſuis, quamvis quid illud eſſet, aliqua neceſſaria cauſa ſcriptura latere voluerit*; atque idem docet lib. 2. de nupt. & concupiſc. c. 12. & alibi. Plura alia teſtimonia ex Gregor. lib. 4. moral. cap. 2. Beda lib. 1. in Luc. Hugo. Vict. lib. 1. de Sacram. p. 11. cap. 6. afferuntur ab aliis, ſignanter à Vaſquez. Neque contra dictum Auguſtini aliquid proferri poteſt, niſi fortaſſe ipſe Auguſtinus, cui tribuitur ſententia, docens, non omnibus etiam parvulis parata eſſe auxilia ſufficientia, ſed de hoc puncto dictum ſatis eſt in noſtro libro ſecundo, & ad ſummum hoc admitti poſſet de parvulis, qui nondum nati mortui ſunt, ex quo non evinceretur, non fuiſſe pro ipſis remedium, quo peccatum originale deleretur.

12. Idem, quod aſſeruimus, videtur traditum etiam eſſe ab Innoc. III. in cap. *Majores* de baptiſmo, ubi differens de remedio parvulorum, quod per baptiſmum confertur, & per circumciſionem conferebatur, ita loquitur: *Abſit, ut univerſi parvuli pereant, quorum quotidie tanta multitudo moritur, quin & ipſis miſericors Deus, qui neminem vult perire, aliquod remedium procuraverit ad ſalutem*; quæ ratio cum univerſalis ſit, omnia tempora complectitur, proinde etiam ſtatum legis naturæ.

13. Major difficultas eſſe poteſt in ſtatuenda ſecunda parte quæſiti. Pro qua.

Sentio, in eo ſtatu remedium pro originali fuiſſe Sacramentum pro parvulis, non tamen pro adultis. Primam partem recipiunt communiter Scholaſtici contra Richar. Sot. Vaſq. Secundam tuentur Suarez, Madern. Amic. contra Nugn. Cabrer. Joan. à S. Th. & alios.

Prob. prima pars. Remedium pro peccato originali parvulorum fuit ſignum ſenſibile cauſativum gratiæ; ergo fuit Sacramentum; conſ. tenet ex definitione Sacramenti. Prob. ant. remedium pro peccato originali non fuit aliquis actus internus, vel parvulorum, cum ſint ad quemcumque actum inepti, neque aliorum, ergo fuit aliquod ſignum ſenſibile, ideſt applicatum per aliquam externam, & ſenſibilem actionem. Prob. ſecunda pars ant. ſi fuit actus internus aliorum, præſertim actus fidei parentum; ſed non iſte, ut colligitur ex laudato teſtimonio Auguſtini; ergo.

14. Quod quidem magis dicendum eſt, ſi conſiderantur illa, quæ ad parvulorum ab originali emundationem requirebantur, nimirum applicatio remedii, cum haberi nequeat effectus niſi per cauſam applicatam; infuſio gratiæ, quia ſaltem loquendo ordinarie, non remittitur peccatum, niſi per gratiæ infuſionem; & ſubjectio Eccleſiæ viſibili, in qua omnes conjungerentur ſub Chriſto venturo, tanquam ſub capite; Hæc autem per ſolam fidem internam parentum haberi non poterant; non primum, quia fides pure interna non eſt applicabilis parvulis, ſaltem modo humano; ſicut homines ſolent inter ſe communicare, & aliquid erga ſe facere; & applicari poteſt etiam parvulo in utero matris

tris exiſtenti; quo dato melioris fuiſſent conditionis parvuli in lege naturæ, quam in lege gratiæ, cum parvulis in utero matris exiſtentibus baptiſma conferri non poſſit; non ſecundum, quia fides interna non habet efficaciam ex natura ſua ad gratiam conferendam, nec habuiſſet ex divina ordinatione, quia ſi hæc pro illo ſtatu ab actione externa excluditur, quare non excludetur à fide? aut ſi fidei conceditur, etiam actioni externæ concedatur, non tertium, quia per fidem internam nullam poteſtatem acquirit Eccleſia, ſicuti ſupra fidem pure internam jus nullum obtinet; conſequenter, &c.

15. Hic ſtatim occurrunt verba Gregorii Magni lib. 4. moral. cap. 2. quæ videntur eſſe contraria; ſic enim habet: *Quod apud nos valet aqua baptiſmatis, hoc egit, vel pro parvulis ſola fides, vel pro majoribus virtus Sacrificii*; atque idem tradunt alii Patres, præſertim S. Bernardus, occurrunt etiam verba S. Th. in 4. ſent. diſt. 1. q. 2. art. 6. ubi dicit: *Ante circumciſionem non requirebatur aliquod ſignum proteſtativum fidei, quia nondum homines fideles ſeorſum ab infidelibus cœperant adunari ad cultum unius Dei*.

16. Verum neque ex Gregorio aut aliis Patribus, neque ex S. Th quidpiam in oppoſitum probari poteſt; etenim, ſi de illis loquamur, dum dicunt, ſolam fidem ſuffeciſſe, intelligendi ſunt per excluſionem Sacrificiorum, quæ neceſſaria erant pro adultis, quos ultra peccatum originale detinebant etiam peccata actualia; & certe fides dici poteſt ſola, quamvis addatur ipſi aliqua externa actio manifeſtativa, imo ſic dici ſolet, ſicut illa dicitur hæreſis, aut infidelitas, quæ exterius eſt manifeſtata; ſalvi igitur fiebant infantes per fidem mediatoris Chriſti venturi; ſed oportebat, aliquam actionem externam pro ipſis fieri, ſicuti olim percuſſi à ſerpentibus ſanari non poterant, niſi ad ſerpentem æneum reſpicerent; Tunc pueri Domino offerebantur, & per aliorum fidem ſe ipſos Domino obſtringebant, & voluntas mere interna unum alteri obligare non poteſt.

17. Si vero de S. Th. ſermonem fieri velint, oppoſitum docuit 3. par. q. 70. art. 4. ad 2. dicens: *Probabile eſt, quod parentes fideles pro parvulis natis, & maxime in periculo exiſtentibus aliquas preces Deo funderent, vel aliquam benedictionem eis adhiberent, quod erat quoddam ſignaculum fidei*. Quapropter dicendum eſt, vel priorem opinionem mutaſſe, vel ibi aſſeruiſſe, non requiri aliquod ſignum proteſtativum fidei, quod eſſet determinatum; & q. 4. de malo art. 8. ad 12. ait: *Fides antiquorum cum aliqua proteſtatione fidei valebat parvulis ad ſalutem*.

18. Prob. ſecunda pars concluſionis. Remedium pro adultis non debuit eſſe ſenſibile, ergo neque Sacramentum; prob. ant. ſi debuit eſſe ſenſibile, vel hoc exigebatur ex natura rei, vel ex divina inſtitutione; ſed neque ex natura rei, neque ex divina inſtitutione, ergo. Prob. prima pars min. poterat quilibet adultus elicere actum contritionis, & dilectionis Dei ſuper omnia; Sed per hujuſmodi actum fuiſſet juſtificatus; Si enim eſt ultima diſpoſitio ad gratiam, eſt etiam talis ad remiſſionem peccati originalis, ergo. Prob. ſecunda pars min. ſi exigebatur ex divina inſtitutione; hoc deberet conſtare ex ſcripturis, & Patribus; ſed non conſtat, cum tantum illativè habeatur pro parvulis; quia nequeunt juſtificari per proprios actus.

19. Neque obſtat, actum contritionis, & dilectionis adultis juſtificandis ſufficientes eſſe, ſed non modo hominibus accommodato, neque ſatis eſſe, ut Eccleſiæ viſibili unirentur, quare ſicut ex utroque capite admittitur remedium peccati pro parvulis ſacramentum, ita admitti debeat pro adultis; non obſtat inquam, quia modus humanus debet eſſe ſenſibilis, quando quid aliquis erga alium

alium facit, non ſi aliquid faciat erga ſe. Quod vero ſpectat ad ingreſſum viſibilem in Eccleſiam, hic quidem neceſſarius erat etiam pro adultis, & exerceri debebat aliqua actione ſenſibili, quæ tamen non eſſet ſimul remedium pro originali, poterat enim hæc præſtari poſt habitam per actum internum liberationem ab originali.

20. Neque etiam tunc eſſe debebat unum, idemque ſignum tam pro parvulis, quam pro adultis, ſicut in lege nova eſt baptiſmus; nam ut ait S. Thom. quæſt. 70. art. 4. ad 2. nondum fideles erant ſegregati ab infidelibus, & neceſſitas proteſtandi religionem, & fidem adimplebatur per aliquod ſignum externum varium, & indeterminatum; ſicut etiam pro parvulorum juſtificatione non erat actio determinata, per quam parentes ipſorum nomine fidem profiterentur; ſed ſolum erat determinatum à Deo, quod actio, qualiſcumque eſſet, fieret Sacramentum, & remedium pro originali, quod ſufficit, ne dicamus, tunc authores, inſtitutoreſque Sacramentorum fuiſſe homines; Nam etiam in lege nova non determinavit Chriſtus in omnibus Sacramentis in ſpecie, ut dictum eſt; ſed illud reliquit determinandum ab Eccleſia, & tamen Chriſtus tantummodo fuit author omnium Sacramentorum; ergo à pari.

ARTICULUS III.

An in ſtatu legis antiquæ, ſeu ſcriptæ fuerint vera Sacramenta, & quomodo cauſaverint gratiam.

21. Suppono illarum cæremoniarum notitiam ex iis, quæ leguntur in Exodo, & in Levitico.

Dico 1. fuiſſe vera Sacramenta neque unum tantum, vel alterum. Prima pars apud catholicos eſt indubitata, ſecunda eſt communis contra paucos relatos à Goneto putantes, vel unicam circumciſionem fuiſſe verùm Sacramentum, vel ad ſummum etiam eſum agni paſchalis.

22. Prob. 1. pars, ex quo definitio Sacramenti à nobis expoſita legis antiquæ cæremoniis conveniat, ergo quia tales cæremoniæ fuerunt vera, & propria Sacramenta; & ſi in lege naturæ fuit neceſſitas alicujus veri Sacramenti ex dictis, quarè in ſtatu legis Moſoycæ non admittetur? Hæc quidem fuit meus Concilii Florentini definientis in decreto de unione Armenorum, Sacramenta nova multum differre à Sacramentis antiquis; tum præſertìm Tridentini ſeſs. 7. can. 2. anathemati ſubdentis illos, qui dicerent, Sacramenta novæ legis differre à Sacramentis antiquæ, quia fuerint cæremoniæ, & ritus externi; ergo quia ſupponit, fuiſſe vera Sacramenta.

23. Atque ex hoc ſecunda pars aſſertionis oſtenditur, cum laudata Concilia ſemper in plurali loquantur, quibus etiam adduntur dicta Sactorum Patrum; nam Auguſtin. lib. 19. contra Fauſtum cap. 13. inquit, *Prima Sacramenta, quæ celebrabantur ex lege*, & prius Dionyſ. lib. 6. de Eccleſiaſt. Hierarch. *cap.* 5. aſſerit, *Hierarchiam noſtram habere communes cum cœleſti ſpirituales contemplationes, & cum Synagoga ſigna, quæ ſenſum movent. Hoc eſt Sacramenta.* Ergo ſicuti in lege noſtra plura ſunt Sacramenta, ita & in lege Moſaica. Ex quo colligitur ratio ſatis congrua; Nam Sacramenta veteris legis fuerunt ſigna, & figura Sacramentorum novæ; ergo debuit eſſe pluralitas in illis, ſicut non eſt unitas in iſtis; imo à fortiori; cum enim homines in lege ſcripta fuerint in ſtatu minùs perfecto, magiſque proni ad res ſenſibiles; debuerunt etiam per ſenſibiles res ſibi magis conſulere, & cum illa Sacramenta fuerint minus perfecta, debuerunt eſſe magis multiplicata; cum res, quanto perfectior eſt, tanto magis ad unitatem accedat. Optime propterea dixit ad rem noſtram Auguſtinus loco prælaudato;

dato; *Sacramenta veteris legis ablata ſunt, & alia inſtituta, virtute majora, utilitate meliora, numero pauciora*; ideo &c.

24. Si quis tamen determinare vellet, quot fuerint in lege ſcripta Sacramenta, inaniter prorſus contenderet, multumque laboris deberet inſumere, cum aliunde non poſſit hoc colligi, quam ex laudatis libris Exodi, & Levitici, in quibus cæremoniæ, obſervantiæ, & actiones ad divinum cultum, & religionem pertinentes deſcriptæ reperiuntur. In hac re S. Th. 1. 2. quæſt. 103. art. 5. alia diſtinguit Sacramenta ſpectantia ad totum populum, alia ad Sacerdotes, & Levitas. Ad totum populum pertinebat circumciſio, ſine qua nemo ad legalia accedere poterat; Ad Sacerdotes, & Levitas quædam ipſorum conſecratio; Dei cultus habebatur à toto populo per eſum agni paſchalis; A' Sacerdotibus, & Levitis per eſum panis propoſitionis; Purgabatur totus populus ab immunditiis, & irregularitatibus per quaſdam purificationes, expiationes, vel etiam oblationes; purgabantur Sacerdotes, & Levitæ per ablutionem manuum, & pedum, pilorumque raſionem.

25. Hiſce, in quibus levis controverſia eſt, ſtabilitis, deveniendum eſt ad ſecundam tituli partem, quæ potiſſimùm procedit de circumciſione, & de remedio pro originali; Quæritur autem, utrum cauſaverint gratiam, delendo peccatum, vel ex opere operato, vel ex opere operantis; cauſatur gratia primo modo, dum quis illam conſequitur virtute operis externi, vel à Chriſto, vel à Deo inſtituti, nullo concurrente merito ſuſcipientis, uti ſe habet baptiſmus in parvulis; cauſatur ſecundo modo, dum proprio motu, ac merito gratiam quis recipit, intuitu nimirum propriæ fidei, devotionis, & charitatis.

26. In hac difficultate dirimenda, quam, propter tot Patres pro utraque parte ſententias ſuas proferentes, arduam dixit Pater Suarez, eſt communis Thomiſtarum doctrina, circumciſionem tantum ex opere operantis gratiam contuliſſe atq; inſtitutam eſſe tantummodò ad diſtinguendum populum Iſraeliticum à quocumque alio. Ita Capr. Ferrar. Ledeſma, & ex Neoteric. Vaſq. Valen. Bellarmin. Becan. De Lugo. Atque hæc videtur expreſſa doctrina S. Thom. 3. p. qu. 62. art. 6. in corp. necnon q. 70. art. 4. quamvis in 4. diſ. 1. qu. 2. art. 6. dicat. *Fides aliena non juvabat, in quantum erat actus perſonæ, ſed ex parte illa qua reſpiciebat obiectum ſuum, ideſt Chriſtum, in quantum juſtiſicabat ex obiecto, quaſi ex opere operato, non operante*. Undè non defuerunt aliqui dicentes, Sacramenta veteris legis conluliſſe gratiam, neque ex opere operato, neque operantis, ſed quodam modo inter utrumque medio. Ita ut circumciſio, de qua loquimur, non ſolum fuerit ſignum populi Judaici diſtinctivum; ſed etiam fuerit inſtituta pro maſculis ad delendum peccatum originale adinſtar operis operati, non ex actione & virtute ipſius circumciſionis, ſed ex ſola actione Dei ad Sacramenti præſentiam & ſimul ex merito Chriſti præviſo, & per fidem in Chriſtum, proindè ſe haberet tanquam conditio.

27. Laudatus Suarez perpendens tam clara pro utraque ſententia, nempe pro prima, & tertia mox afferenda teſtimonia, utrique volens ſatisfacere, dixit, quod ſi de fine primario circumciſionis fiat ſermo; hæc data fuit tantum in ſignum, ſi autem de ſecundario, fuerit etiam inſtituta ad delendum peccatum originale, & quidem ex opere operato; Per hanc enim aſſertionem exiſtimat, ſervari dicta illorum Patrum, & ſcripturarum, quibus prior pars demonſtratur, tum etiam illorum, qui poſteriorem tradiderunt, ut infra videbimus. Joannes vero à S.Thom. aſſerit, circumciſionem ex opere operato non cauſas ſe gratiam activè, ſed tantum paſſivè: Quo pacto autem ſe explicent Doctores iſti, apud eoſdem apparet.

Eſt

28. Eſt verò tertia ſententia, quam tradidit Scot. in 4. diſ. 1. quæſt.6. & ſequuntur cum Scotiſtis plures Recentiores, deſendens, circumciſionem fuiſſe verum Sacramentum, & cauſam gratiæ ex opere operato; atque ne tot diſtinctionibus, ac diviſionibus utamur.

Dicendum, hanc poſteriorem ſententiam eſſe probabiliorem.

Et quamvis aſſertio hæc oſtendi poſſet ex Patribus, qui Auguſtinum præceſſerunt, nihilo tamen minus, ex tam præclari Doctoris effatis tam clare apparet, ut in dubium revocari non poſſit, niſi fides dematur Auguſtino. Inquit primo lib. 3. contra Julian cap.18.; *Reſponde, ſi potes, cur ipſe Iſaac niſi baptiſmatis Chriſti ſigno circumciſus octavo die fuiſſet periiſſet anima ejus de populo ſuo? Expl'ca ſi potes, cur merito tanta pœna plecteretur, niſi ab hac tanto Sacramento liberaretur*? Ubi perpendo verba illa, *tanto Sacramento*, quæ energiam, & efficaciam quamdam indicant, aliis Sacramentis minimè conceſſam. Aliis in locis idem contendit comparare circumciſionem veteris legis baptiſmati novæ; & ideo lib.2. contra epiſ. Pitelia: cap.4. ait, *Antiquus populus circumciſione pro baptiſmate utebatur, circumciſio illa octavæ diei gratiam bapt'ſmi geſtabat, & parvulus, qui ea fraudatus eſt, delicto, quod ex Adam traxit, non caruit*. Quod & docet pluribus in aliis locis, lib. 4. de baptiſm. eap. 24. lib. 2. de nupt. cap. 11., 15. de Civit. cap. 16. ſed præſertim lib. 4. de baptiſ. cap. 24. dicens. *Cur ergo ei præceptum eſt, ut omnem deinde infantem maſculum octavo die circumcideret, qui nondum poterat corde credere, ut ei deputaretur ad juſtitiam? Niſi quia, & ipſum per ſe ipſum Sacramentum multum valebat*.

29. Hanc Auguſtini doctrinam ſequuti ſunt poſteriores Patres, Proſper lib.de promiſs.Dei 1.par.cap.14.,Iſidor. lib. in Gen. cap.13., Beda lib.2.in Luc. cap. 8. &c. præ omnibus vero Gregor. Magn. lib.4. Moral. cap.2. dicens. *Quod apud nos valet aquà baptiſmatis, hoc egit pro iis, qui de Abrahæ ſtirpe prodierunt myſterium circumciſionis*; Et generatim comparantur verba, quæ de circumciſione leguntur, & infra afferemus, verbis illis, quæ de baptiſmo prolata ſunt.

30. Hiſce fortaſſe momentis ductus Innoc.III. in cap. *Majores* de baptiſmo, ubi poſtquam dictam comparationem expoſuit, concludit, nunc plus conferri per baptiſmum, quam olim per circumciſionem, non quia diverſo modo remittatur originalis culpa, ſed quia per baptiſmum ad paradiſum habetur acceſſus. Ecce illius verba. *Quoniam, etſi originalis culpa remittebatur per circumciſionis myſterium, & damnationis periculum vitabatur, non tamen perveniebatur ad regnum Cælorum, quod uſque ad mortem Chriſti fuit omnibus obſeratum, ſed per Sacramentum Baptiſmi culpa remittitur, & ad regnum Cælorum pervenitur*.

31. Omnes verò iſti fundamentum deſumpſerant ex illis verbis Gen. 17., *Maſculus, cujus præputii caro circumciſa non fuerit, delebitur anima illius de populo ſuo*, quæ explicarunt ſicut illa; *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & ſpiritu Sancto non poteſt introire in regnum Dei*.

32. Duo præcipue reſpondere ſolent contrarii Doctores. Primo comminationem iſtam & pœnam impoſitam fuiſſe adultis, qui vel circumciſionem pro ſe ipſis contemnerent, vel parvulos circumcidere negligerent, & hoc propter tranſgreſſionem præcepti, quo tenebantur & ſe circumcidere, & parvulos ſuos. Hoc oſtendunt duplici via, primo propter rationem, quæ in textu affertur, nempe, *quia pactum meum irritum fecit*. Pactum iſtud illud eſt, quod iniit Deus cum Abrahamo, ut conſtat ex præcedentibus verbis, *ſtatuam pactum meum inter me, & te, & ſemen tuum; Tu ergo cuſtodias pactum meum, & ſemen tuum poſt te, &c. circumcidetur ex vobis omne maſculinum*; igitur

pœna

Digitized by Google

pœna impoſita fuit hujuſce pacti, ſive legis tranſgreſſoribus, qui non parvuli eſſe poterant, ſed ſolum adulti. Secundo id declarant ex eo quod legitur Exod. 4. ubi Dominus Moyſem occidere voluit, quia filium ſuum non circumciderat.

33. Secundo inquiunt, pœnam illam expreſſam in verbis: *peribit de populo ſuo*, non ſignificare mortem æternam, ſed vel mortem corporis, ut patet ex dictis ſuperius de Moyſe, vel ſeparationem à populo Dei, ſeu excommunicationem; quod colligitur ex aliis ſimilibus, quæ in Scriptura ſancta proferuntur, ut Exod. 19. *Quicumque comederit fermentatum, peribit anima illius de Iſrael*; & Num. 19. *Qui tetigerit humanæ animæ morticinum, & aſperſus hac commixtione non fuerit, peribit ex Iſrael*, & infra, *ſi quis hoc ritu non fuerit expiatus, peribit anima illius de medio Eccleſiæ*. Similiter & illa verba: *peribit de populo ſuo*, nequaquam ad mortem æternam referuntur.

34. Fateor, expoſitiones iſtas prorſus reprobari non poſſe, & prima vim majorem habet, ſi uti velint verſione Græca, Hebraica, & Chaldaica, juxta quas, quod paſſive legitur: *Cujus præputii caro circumciſa non fuerit*; active habetur: *Maſculus, qui non circumciderit carnem præputii ſui*; quod tantum de adultis dici poteſt. Nihilo tamen minus ſententiam noſtram non infringunt, ſi alia conſiderentur. Non inficior, circumciſionem activam ſub præcepto pertinuiſſe ad adultos reſpectu parvulorum, atque ideo graviter peccaſſent illi, qui parvulos non circumcidiſſent, propter quod Deus voluit occidere Moyſem; ſed comminationem illam, & pœnam impoſitam eſſe etiam parvulis, pluribus momentis demonſtrare non prohibeor. Primum colligo ex lectione, quam habent ſeptuaginta Interpretes, quæ eſt iſta: *Maſculus, cujus præputii caro octava die circumciſa non fuerit, peribit, &c.* lex igitur iſta non adultos ſolum, ſed etiam parvulos afficiebat, & quamvis in Hebræa, & Latina vulgata non habeantur illæ particulæ, *octavo die*, parum refert, cum non repugnent, ſed magis rem explicent, atque ideo omiſſæ ſunt, quia iam prius dictum erat: *Infans octo dierum circumcidetur in vobis, eritque pactum meum in carne veſtra, in fœdus ſempiternum*; atque lectionem ſeptuaginta Interpretum adhibuerunt Auguſtinus in locis laudatis, Ambr. epiſt. 77. Origen. lib. 2. in epiſt. ad Rom. cap. 3. & in nova editione retineri juſſit Sixtus V. quare non eſt tam facile contemnenda. Secundum momentum eſt; quia, etiam ſi non apponerentur illa verba, *octavo die*, adhuc cum locutio illa: *Maſculus, cujus præputii caro, &c.* ſit indefinita, & æquivaleat univerſali, non poteſt ad ſolos adultos limitari, aliter eadem ratione limitari etiam poſſent illa verba: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, &c.* ergo ſicuti in hoc non ſolum adulti, & qui active ſe habent, comprehenduntur, ſed etiam qui paſſive; ita in illo.

35. Ad fundamentum primum expoſitum pro illa reſponſione num. 32. Auguſtinus, Iſidorus, Beda inquiunt, illa verba: *Quia pactum meum irritum fecit*, non eſſe referenda ad pactum circumciſionis, quod certe parvuli violare non poterant, ſed ad pactum initum cum Adamo, in quo omnes parvuli peccaverunt; Attamen, propter textum ibi adductum, permittam, ſermonem eſſe de pacto circumciſionis; quod tamen etiam in puero ſervatum non eſt culpabiliter paſſive, licet non active; dici vero poteſt, utrumque pactum irritum factum eſſe; & ſimul fuiſſe indicatam tranſgreſſionem etiam prioris pacti, quam natura humana in Adamo commiſit, & ſic parvuli in illam pœnam incidebant, quæ naſcitur ex remedii carentia, per quod auferenda erat culpa, quæ cauſa erat illius pœnæ.

36. Neque etiam affirmare placet, quod num. 33. indicatum eſt; nam licet ſimilia verba in aliis textibus adductis de

de pœna mortis, vel legalis ſeparationis intelligantur; attamen in iis eſt ſermo de præceptis datis poſt legem ſcriptam, in qua introductæ ſunt cæremoniæ, irregularitates, & legales ſeparationes, ſeu excommunicationes; præceptum vero circumciſionis ante legem ſcriptam datum eſt, & quamvis etiam de illa pœna explicarentur; attamen non excluderetur etiam alia, quæ in carentia beatitudinis conſiſtebat; ſicut, qui modo baptizatus non eſt, non ſolum excluditur à conſortio fidelium, & Eccleſiæ ſinu; ſed etiam à regno Cœlorum. Sed quoniam adducti ſunt textus, ut probaretur, animam de populo perire, aliud non eſſe, quam non habere notam, ſeu ſignum populi, & ideo à populo eſſe ſegregatum, afferam ego alios textus, quibus innuitur, animam apponi ad populum, idem ſignificare, quod peccatum remitti, gratiam habere, & eſſe Dei filium; Hæc certe phraſis eſt ſacræ Scripturæ, dum de juſtis loquitur. Mortuus eſt magnus ille vir Abraham, & dicitur de eo: *congregatuſque eſt ad populum ſuum*. Gen. 25. Mortuus eſt Iſaac, & dicitur: *appoſitus eſt populo ſuo*. Mortuus eſt Jacob, & dicitur: *appoſituſque eſt ad populum ſuum*. In hiſce locis explicatur iſtorum juſtitia, & æterna ſalus, ergo pariter, dum dicitur: *Maſculus, &c. delebitur anima illius de populo ſuo* explicatur æterna perditio.

37. Sed, ut alia quæcumque prætereamus, theologica ratione noſtrum aſſertum firmemus; Circumciſio non conferebat gratiam, vel ex opere ſuſcipientis, quia in parvulis nullum opus excogitari poteſt; non ex interna fide Miniſtri, vel externa fidei proteſtatione; ergo conferebat ex opere operato. Prob. ſecunda pars antec. primo, quia dici poſſet, internam fidem Miniſtri, & externam fidei proteſtationem fuiſſe conditionem, ſicuti modo intentio Miniſtri in Sacramentis eſt pura conditio; ſecundo, quia interna fides, & externa fidei proteſtatio neque merebatur gratiam de condigno, quia nemo poteſt mereri alteri gratiam de condigno; & poterat eſſe in aliquo, vel ab aliquo non exiſtente in ſtatu gratiæ; neque merebatur gratiam de congruo, quia per circumciſionem gratia conferebatur infallibiliter, gratia autem, quæ confertur ex merito congruo, infallibiliter non confertur; ergo. Non tandem circumciſio conferebat gratiam ex pura Dei liberalitate, quia licet potuiſſet ſic conferri, attamen fuit inſtituta cum reſpectu ad Chriſti merita, cum omnis gratia collata hominibus fuerit gratia Chriſti, ſeu per Chriſtum. Quod autem diximus de fide, ſeu fidei proteſtatione, magis confirmatur ex doctrina Auguſtini lib. 1. contra Creſcon. cap. 31. & epiſt. 103. ubi aſſerit, circumciſionem collatam à Samaritano fuiſſe ita validam, ſicut nunc baptiſmus eſt validus collatus ab Hæretico; dummodo Samaritanus haberet intentionem faciendi, quod faciebat Hebræorum Eccleſia; ſicut dummodo Hæreticus habeat intentionem faciendi, quod facit Eccleſia. Ex quo manifeſtum argumentum deducitur, fidem Miniſtri nihil virtutis circumciſioni contuliſſe, ergo, ſi per circumciſionem cauſabatur gratia, ex opere operato conferebatur.

38. Quod vero aliqui dicant, circumciſionem fuiſſe ſolam conditionem, qua poſita Deus immediate ex promiſſione, & inſtitutione ſua gratiam largiretur; hoc gratis omnino dicitur, nec ſervat adverſariorum intentum; nam ſemper verum erit, non contuliſſe gratiam ex opere operantis; igitur ex opere operato, cum modus alius à Theologis non afferatur; & inſuper, idem dicere poſſent Hæretici de baptiſmo, nempe eſſe conditionem, qua poſita Deus deleat originale peccatum; Fatemur id in circumciſione eveniſſe ex promiſſione divina, & inſtitutione; ſed quid inde? idem etiam contingit in Sacramentis novæ legis.

A R-

ARTICULUS IV.

Refelluntur argumenta contraria.

39. Opp. 1. ex ſcripturis veteris Teſtamenti; Pſ. 39. *Sacrificium & oblationem noluiſti, holocauſtum, & pro peccato non poſtulaſti.* In hoc textu non reprobantur Sacrificia, Deus enim illa præcepit, ſed ſolum reprobantur tanquam inepta ad delendum peccatum; Pſal. 50. *Si voluiſſes Sacrificium dediſſem utique, holocauſtis non delectaberis; Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies.* In hoc textu vis juſtificandi ſacrificiis negatur, contritioni conceditur. Iſaiæ 1. *Quo mihi multitudo victimarum veſtrarum? quis quæſivit hæc de manibus veſtris?* Jerem. 11. *Numquid carnes ſanctæ auferent à te malitias tuas, in quibus gloriata es?* Amos 5. *Quod ſi obtuleritis mihi holocauſta, & munera veſtra, non ſuſcipiam, & vota pinguium non ſuſcipiam.* Si autem ſacrificia vim juſtificandi non habebant, multo minus aliæ cæremoniæ.

40. Reſp. hæc omnia à nobis concedi, neque enim dicimus, ſacrificia, oblationes, cæteraſque legales cæremonias hominem juſtificaſſe, immo neque reliqua Sacramenta, ut eſus agni paſchalis; at inter iſtas non continetur circumciſio, utpote quæ data erat tanquam determinatio remedii legis naturæ pro populo Hebræo; neque circumciſio poteſt proprie appellari Sacramentum legis Moſaycæ, nam per 400. annos ante legem ſcriptam Patribus data eſt, ſed dicitur illius legis Sacramentum, quatenus in ipſa inſerta fuit & confirmata; quod inferius aptius dicemus. Quod ſi ex illis textibus argumentum teneret, dicendum foret, circumciſionem neque ex opere operantis gratiam contuliſſe, etenim juxta adverſarios conferebat per fidem, fideique proteſtationem, juxta vero David ſola contritio erat Deo accepta.

41. Validius vero arbitrantur argumenta proponere ex epiſtolis Pauli; Ad Rom. 3. *Quid ergo amplius Judæo eſt, aut quæ utilitas circumciſionis? Multum quidem per omnem modum; Primum quidem, quia credita ſunt illis eloquia Dei;* ſed ſi circumciſio contuliſſet gratiam ex opere operato, non recte dixiſſet Apoſtolus, hanc eſſe primam utilitatem; quia præcipua utilitas fuiſſet gratia, ergo. Secundo, ibidem ait Apoſtolus, *ex opere legis neminem juſtificari.* Tertio, 1. ad Corint. 7. dicit: *Circumciſionem nihil eſſe, nec præputium;* & ad Galat. 4. Circumciſio, & cætera legis opera vocantur *infirma, & egena elementa;* non igitur erant cauſa gratiæ ex opere operato.

42. Reſp. ex hiſce argumentis probari neque ex opere operantis gratiam contuliſſe. Quantum ad textus ſecundo, tertio, & quarto loco adductos, id rectiſſime à Paulo dictum eſt; certe enim circumciſio, & præputium, quatenus erant opera legis, non juſtificabant, ſed tantum juſtitia tribuebatur, quatenus erant opera legis per dependentiam à meritis Chriſti; erant itaque infirma, & egena elementa, ſicuti etiam modo eſſet aqua in baptiſmo, niſi in aqua applicarentur merita Chriſti; ſed ulterius advertendum eſt, ita Apoſtolum loquurum eſſe pro tempore ſuo, quo jam circumciſio ceſſaverat, & ſi non mortifera, ſaltem mortua erat; quod manifeſtum eſt ex iis, quæ in laudato loco ad Galatas ſcribit, etenim iſti jam ad Evangelii fidem converſi erant, atque ideo exprobrat illis verbis: *Nunc autem cum cognoveritis Deum, immo cogniti ſitis à Deo, quomodo convertimini iterum ad infirma, & egena elementa?*

43. Quantum vero ad primum teſtimonium, de quo potiſſimum gloriantur, nihil invenio, quod nos urgeat; loquitur ibi Apoſtolus de Judæis nationibus aliis comparatis; habebant autem & aliæ nationes remedium æquivalens, quo juſtitiam aſſequerentur; Quid igitur

tur inquit, amplius Judæo eſt, aut quæ utilitas circumciſionis? & reſpondet. Multum quidem per omnem modum, primum quidem, quia credita ſunt, &c. ideſt, præter gratiam, quæ per circumciſionem Judæo, & per aliud remedium, communis eſt aliis nationibus; hoc tamen amplius Judæo datum eſt per circumciſionem, ut ipſi credita ſint eloquia Dei; non ita aliis nationibus; Quare nihil mirum, ſi gratiam non commemoraverit; vel ibi dicas, Paulum loquutum eſſe de circumciſione tantum ſecundum ſe, non tamen ut dependente à meritis Chriſti à Deo prævitis; & hoc pacto alia ſimilia explicabis.

44. Opp. 2. ex Sanctis Patribus probantibus, circumciſionem inſtitutam eſſe non ad ſanctitatem conferendam, ſed tantum ad diſtinguendum populum; Ex pluribus aliquos eligam, & ſicut iſtis, ita & aliis reſpondebo. Juſtinus in dialog. cum Triphone ait: *Abraham, cum nondum eſſet circumciſus, propter fidem, qua credidit Deo, juſtificatus eſt; circumciſionem vero non accepit ad juſtificationem, ſed ad ſignum; quod vel ex eo licet intelligere, quod cum femineum genus carnalem circumciſionem aſſumere non poſſet, ſatis ex eo apparet, eam datam eſſe in ſignum; quidquid enim ad juſtitiam, & virtutem pertinet, etiam feminis Deus dedit*; Irenæus lib. 4. c. 30. inquit: *Circumciſionem non quaſi juſtitiæ conſummatricem, ſed in ſignum dedit Deus*; & in eadem quaſi verba deſcendit Epiphanius hæreſi 30. Idem docent ex Græcis Origenes lib. 2. contra Celſum, Euſeb. Cæſar. lib. 1. demonſtrat. Evang. Baſil. lib. de Spir. Sanct. cap. 24. Chryſoſt. hom. 27. in Gen.

45. Si vero Patres Latinos conſulamus, ſtatim occurrit Tertull. in lib. contra Judæos cap. 1. ubi inquirens, quare, ſi circumciſio purgat à peccato, non circumciderit Deus Adamum, poſtquam deliquerit, reſpondet: *Providens Deus, quod hanc circumciſionem in ſignum, non in ſalutem eſſet daturus*; occurrit Ambroſ. epiſt. 72. ad Iren. dicens: *Signum circumciſio corporalis, veritas circumciſio ſpiritualis, illa membrum amputat, iſta peccatum*; & in cap. 4. ad Rom. *Non ergo circumciſio aliquid habet dignitatis, ſed ſignum eſt tantum; quod ſignum ideo accipiebant filii Abrahæ, ut ſcirentur ejus filii eſſe, qui, credens Deo, hoc ſignum acceperat, ut æmuli eſſent paternæ fidei*; occurrit tandem Hieronym. in cap. 3. ad Galat. nec verbum indicat, ex quo deducatur in remedium peccati inſtituta; atque ideo dicit in eremo per annos 40. nullum fuiſſe circumciſum, quia tunc Judæi ſoli ſine *alterius gentis commiſtione vivebant*; e contrario, *ut Jordanis ripam tranſgreſſus eſt populus, circumciſio neceſſario futuro ex commiſſione gentium providit errori*; idem proſequitur; ex quibus comperto liquet, nihil ad juſtitiam, gratiamque pertinens à circumciſione derivaſſe.

46. Si res ita eſt, æquali modo premuntur, qui dicunt, circumciſionem ex opere operantis gratiam contuliſſe. Secundo non eſt, cur potius Patribus in oppoſitum adductis à nobis adhærendum ſit, quam illis, quos nos protulimus, quare nihil mirandum foret, ſi diceremus, in hoc ab ipſis recedimus; Non tamen adeo coarctamur, ut ipſos explicare ad rem noſtram non poſſimus; atque in primis occurrit reſponſio Patris Suarez ſuperius laudati dicentis; duplicem fuiſſe finem circumciſionis, unum ad populum diſtinguendum, alium ad gratiam conferendum; plures vero Patres de primo ſermonem habuiſſe, alium vero reticuiſſe, nequaquam negaſſe. Quia tamen in prolatis teſtimoniis ſunt quædam particulæ, quæ videntur juſtificationem excludere, & non præterire, ideo aliter cenſeo reſpondendum.

47. Singillatim autem illas expendam, dicitur in prima Juſtini, Abrahamum non accepiſſe circumciſionem ad habendam juſtificationem, quia jam prius

prius per fidem juſtus erat; Hoc concedimus, non tamen ex hoc poteſt inferri, non datam eſſe ad juſtificandos parvulos, qui hujuſmodi fidem tam internam, quam externam habere non poterant, vel etiam adultos, qui ab originali peccato prius liberati non fuiſſent; etenim pro Abrahamo fuit prius remedium naturæ, non ita pro aliis, cum ab Abrahamo exordium duxerit hoc præceptum; & remedium naturæ, quod prius indeterminatum erat, & aliqua rationabili cauſa, ut Auguſtinus dixit, ſcriptura latere voluit, fuerit ad circumciſionem pro deſcendentibus determinatum; & quidem pro maſculis tantum, ut probat textus Gen. 17. Unde mirum non eſt, ſi etiam feminæ quidquid ad juſtitiam, & virtutem pertinet, habuerint à Deo datum, cum pro illis adhuc vigeret remedium illud univerſale pro ſtatu naturæ. Fuit itaque circumciſio data etiam in ſignum, ſed non tantum, immo principalius ad juſtitiam conferendam, cum iſta ſit finis nobilior, proinde primario ſtatutus; & prius fuit in circumciſione determinate includi remedium naturæ, quam populum diſtinguere; congruum autem fuit, diſtinctionem hanc in maſculino ſexu poſitam eſſe, cum hic nobilior ſit, & tantum ab iſto generationis ordo proficiſcatur. Ex hac doctrina explico Irenæum, & quemcumque alium; Verum eſt enim, quod circumciſio data non fuit tanquam juſtitiæ conſummatrix, quia, quantum ad juſtitiam conferendam, nihil novi erat in circumciſione, quod prius in remedio univerſali non eſſet, & ideo data fuit tantum in ſignum, præſupponendo tamen in hac illud determinate includi.

48. Nunc ad Latinos Patres; Illa Tertulliani ſententia manifeſte poteſt retorqueri; Quod ipſe dicat, ſi circumciſio purgat à peccato, quare Deus Adamum, poſtquam peccaverit, non circumciderit, dicam ego pari ratione, ſi baptiſmus purgat à peccato, quare Deus Adamum ſtatim non baptizaverit; & ſic inferri poterit, quod etiam baptiſmus tantum in ſignum datum ſit, non in ſalutem; Sacramenta inſtituit Deus, quando voluit, & ipſis virtutem contulit, quando inſtituit; inſtituit autem Deus circumciſionem in ſignum, non in ſalutem, ſed intellige diſtinctum ab illa, quam conferebat prius remedium; baptiſmum autem dedit & in ſignum, quia certe baptizatus diſtinguitur à quocumque alio populo per caractherem, & in ſalutem etiam diſtinctam à remedio, & circumciſione, ut dicam in ſequenti, afferendo diſcrimen inter Sacramenta novæ, & veteris legis. Similiter Ambroſium explicabo, ita ut præter ſignum, nihil dignitatis fuerit in circumciſione, quod etiam non fuerit in priori remedio.

49. Quod vero in Hieronymo nec quidem verbum inveniatur, indicans, circumciſionem in remedium peccati fuiſſe inſtitutum, nihil probat; nam non fuit inſtituta ſimpliciter ad remedium, ſed tantum ut ſignum, ad quod determinatum fuit remedium, quod prius erat indeterminatum, ideo quantum ad hoc, quod præſupponebatur ut certum, nihil adderetur, neceſſe fuit; Videtur tantum aliquid difficultatis eſſe, quare per 40. annos in eremo nullus fuerit circumciſus, ſed tantum poſt exitum, quia tunc fieri potuiſſet in gentibus commiſtio. Sed dicendum eſt, non ſolum ex Dei diſpenſatione, ſed etiam ſpeciali præcepto Moyſi noto fuiſſe tunc prætermiſſam circumciſionem, & hoc in pœnam Judaicæ incredulitatis, iis adhibitæ, qui promiſſæ terræ exploratores advenerant; non caruerunt tamen neceſſario ad ſalutem remedio, ſed in eo ſtatu relicti fuerunt, ſicut ſi in lege naturæ fuiſſent, quod & feminis ſemper contigit in lege ſcripta; & idem dico de maſculo, qui ante octavum diem fuiſſet in mortis periculo conſtitutus; non enim erat expediens ante octavum diem fieri circumciſionem propter ejuſdem aſperitatem.

Opp. 3.

50. Opp. 3. ex Conciliis. Florentinum ſeſſ. ultima Decreto fidei ad Armenos hæc habet: *Novæ legis Sacramenta multum differunt à Sacramentis antiquæ legis, hæc enim non cauſabant gratiam, ſed ſolum per paſſionem Chriſti dandam ſignificabant; noſtra vero Sacramenta & continent gratiam, & digne ſuſcipientibus eam conferunt*. Trident. ſeſſ. 7. can. 2. *Si quis dixerit, novæ legis Sacramenta non differre à Sacramentis antiquæ legis, niſi quia ſunt cæremoniæ, & alii ritus externi, anathema ſit*. Ergo differunt per quid aliud, ſed non poſſunt per quid aliud differre, niſi quia Sacramenta novæ legis gratiam conferunt ex opere operato, quam non ſic Sacramenta antiquæ conferebant, ergo.

51. Reſp. utrumque Concilium comparare Sacramenta novæ legis cum Sacramentis veteris; non tamen cum circumciſione, quæ ſola gratiam conferebat; & ratio eſt, quia circumciſio non poteſt proprie dici Sacramentum legis Moſaycæ, quia licet habuerit virtutem in illa lege, ſicut remedium legis naturæ pro feminis; tamen incœpit tempore Abrahæ; obſervandum eſt autem, quod quando in Patribus & Conciliis legis veteris nomen uſurpatur, intelligitur lex Moſayca, ſeu ſcripta; ſicut cum Paulus reprehendit Hebræos, qui de lege gloriabantur, ſemper ſermonem habuit de lege ſcripta, nunquam de priori. Ideo ex Conciliis nihil contra nos.

52. Cæterum; etſi concedamus, circumciſionem contuliſſe gratiam ex opere operato, ſicut confert baptiſmus, maximum tamen inter illam, & hoc diſcrimen reperitur. Primo quia circumciſio ſi quos inveniſſet juſtos, illis nullum juſtitiæ incrementum addidiſſet, e contra addit baptiſmus; Secundo quia, per baptiſmum non tantum deletur peccatum originale, ſed etiam omnia actualia; Tertio quia, in baptiſmo imprimitur ſpiritualis character, non in illa; Quarto quia baptiſmus Cœli januam aperit, non ſic aperiebat circumciſio, præter alia, quæ in ſequenti dicam; Mens autem Tridentini fuit, damnare hæreticos, qui dicebant omnia Sacramenta legis habuiſſe eamdem efficaciam, quam habent Sacramenta gratiæ.

53. Opp. ultimo ratione, & plures prætereundo, quas quilibet facillimè rejicere poteſt, unicam propono. Circumciſio debuit conferre gratiam ex meritis Chriſti; Sed ita non poterat conferre ex opere operato, ſed tantum ex opere operando, quia merita Chriſti nondum erant; ergo. Præterea; Circumciſio non erat actio Chriſti, nomine Chriſti non fiebat, neque à Miniſtro Chriſti, cauſæ enim non exiſtenti tribui non poteſt aliqua actio, neque aliquis Miniſter ſubſtitui; cum, ſi non poteſt per ſe ipſum agere, neque habere poteſt Miniſtros in ſui nomine agentes, ergo.

54. Reſp. id omne verum eſſe ex opere operato phyſice, non moraliter, & merita Chriſti ſecundum cauſalitatem phyſicam erant futura, non tamen ſecundum moralem; Sic enim ita virtute erant in Dei prævi ſione, & acceptatione, tanquam ſi fuiſſent præterita, vel præſentia; Eſt enim hoc diſcrimen inter cauſam finalem, efficientem phyſicam, & efficientem moralem, quod finalis cauſat per exiſtentiam intentionalem, ut ſit; phyſica per exiſtentiam phyſicam, quia eſt; moralis per exiſtentiam moralem, nempe quia vel eſt, vel fuit, vel erit. Brevius etiam dici poſſet, in circumciſione fuiſſe actualem ordinem ad merita Chriſti futura; cauſari autem gratiam per talem ordinem, perinde ex opere operato, non operando. Ex ſuperiori doctrina facile ſolves, quod ſecundo loco proponebatur.

Contra hoc tantum dici poſſet, meritum futurum non poſſe movere ad gratiam conferendam, ſicut demeritum futurum non poteſt movere ad infligendam pœnam; Sed huic inſtantiæ reſponſio data eſt in noſtro tertio Tomo qu. 2. art. 3. num. 62.

ARTICULUS V.

Quomodo inter ſe differant, & conveniant Sacramenta novæ, & veteris legis.

55. PLures quidem differentias inter Sacramenta novæ ac veteris legis invenerunt, & approbarunt Theologi; atque primo differunt ex parte cauſæ extrinſecæ inſtituentis, nam Sacramenta novæ fuerent à Chriſto inſtituta, ut oſtendetur, non ſic illa, quia Chriſtus nondum erat, niſi in divino decreto; Secundo ex parte cauſæ intrinſecæ, quia omnia nova conſtant ex rebus, & verbis, tanquam materia, & forma, ſicut demonſtratum eſt, non ſic antiqua, in quibus nullum verbum permiſcebatur, & ſi forte aliquod, hoc non erat operativum, & conſecratorium, ſed tantum deprecativum, & indeterminatum pro arbitrio Miniſtri; Differunt etiam in modo cauſandi gratiam internam, & ſanctificantem, nam Sacramenta noſtra omnia, & ſingula per ſe loquendo cauſant gratiam de præſenti in ſuſcipientibus ſivè parvuli ſint, ſive adulti, reſpiciendo merita Chriſti jam præterita, & conſummata, & continendo in ſe actiones Chriſti moraliter perſeverantes; econtra Sacramenta illa, una excepta circumciſione, gratiam non cauſabant, nec continebant actiones Chriſti in ſe ipſis, nec reſpiciebant Chriſti merita, niſi tamquam futura. Differunt tandèm in modo ſignificandi, nam licet utraque ſignificaverint paſſionem Chriſti, tanquam cauſam efficientem, gratiam tanquam formam, & effectum, gloriam, tanquam finem; Chriſti paſſionem, tanquam id per quod, gratiam tanquam id quo, gloriam, tanquam id, ad quod; attamen nova Sacramenta ſunt ſigna rememorativa paſſionis jam præteritæ, gratiæ ut præſentis, & gloriæ tanquam ſtatim poſt mortem futuræ, ſi nullum ſit debitum pœnæ temporalis, antiqua vero ſignificabant paſſionem, ut futuram, & gratiam pariter, ſi circumciſio, & remedium pro originali excipiatur, gloriam vero tantum ut futuram, & ſolum conferendam poſt diuturnum tempus, ideſt poſt Chriſti mortem, qui primus Cœlum ingrediens reliquis illud aperuit, & locum paravit. Alia poſſunt excogitari diſcrimina, ut, quod Sacramenta nova ſint pro tempore diuturniore, numero pauciora, re uberiora, quod aliqua imprimant characterem, & aliqua ſint neceſſaria neceſſitate medii, etiam adultis.

Quo pacto vero conveniant, dictum ſatis eſt in antec. quæſtione.

ARTICULUS VI.

An, quot, & quæ Sacramenta exiſtant in ſtatu legis novæ.

56. UNica aſſertione reſolvo quæ propoſita ſunt, dicendo, in ſtatu legis novæ, ſeu gratiæ, exiſtere vera Sacramenta, determinata ſeptem, videlicet, baptiſmum, confirmationem, Euchariſtiam, pœnitentiam, extremam unctionem, ordinem, & matrimonium. Hæc eſt veritas catholica, quam Eccleſia latina, & græca ſemper docuit, & definita eſt in Concilio Florentino, & Tridentino contra varios hereticos multifariam errantes, nam aliqui, ut Archontici, Gnoſtici, & Fraticelli omnia Sacramenta, tanquam repugnantia legis gratiæ perfectioni, ſuſtulerunt; Manichæi, & Seleuciani baptiſmum; confirmationem, & pœnitentiam Novatiani. Albigenſes extremam unctionem; Calviniſtæ admittunt duo, ideſt baptiſmum, & cœnam; Lutherani tria, baptiſmum, Euchariſtiam, & pœnitentiam; quamvis in pluribus locis Lutherus nunc affirmet, nunc neget, ejuſdemque ſectatores diviſi ſint, quorum errores omnes refert Eminentiſſimus Bellarminus lib.2. de Sacram. cap.23.

57. Probare poſſem hanc veritatem noſtram de omnibus Sacramentis ſin-

ſingillatim loquendo, ſed quia hoc dicturi ſumus, dum de illis ſermo peculiaris inſtituetur, ideo, ne eadem pluries proferre contingat, hanc probationem omitto. Proferam tantum duo poſteriora concilia generalia, Florentinum, & Tridentinum; Primum ſiquidem in Armenorum inſtructioue ſeptem à nobis recenſita Sacramenta enumerat, & declarat.

58. Hic Kemnitius 2. par. examinis duo dicit, & ambo falſa; Unum eſt, latinos Patres hoc græcis voluiſſe perſuadere; & hoc falſum, etenim nulla latinos inter, & græcos de Sacramentorum numero fuit controverſia, & toto approbante Concilio tradita fuit Armenis inſtructio. Alterum eſt, Armenos à S. Bartholomæo ad fidem converſos poſt mille & plures annos numerum hunc tandem à Romano Pontifice accepiſſe, & hoc pariter falſum, nam priùs utriuſque nationis codices inſpecti ſunt, & poſt maturum judicium inſtructio tradita recepta fuit, quod non eveniſſet tam facile, niſi etiam in propriis exemplaribus id reperiſſent Armeni; Quod ſi velit Kemnitius, dogma de ſeptenario numero Sacramentorum ſic ab Armenis fuiſſe receptum, dicat etiam eodem modo obtruſum fuiſſe myſterium Trinitatis, & Incarnationis, cum de hoc etiam latinos inter & Armenos plures factæ fuerint collationes.

59. Alterum eſt Concilium Tridentinum, quod ſeſs. 7. can. 1. anathemati ſubjicit illos, qui dixerint, Sacramenta eſſe plura, vel pauciora, quam ſeptem, vel negaverint, aliquod ex illis eſſe proprie Sacramentum. Totum hoc multo ante traditum fuit à Magiſtro ſententiarum, qui in 4. diſ. 2. aſſerit abſolutè ſeptem eſſe novæ legis Sacramenta, Hoc autem non erat aliquod vel ambiguum, vel novum, ſed certum & Eccleſiæ uſu receptum, aliter per quatuor ſæcula turpiter in Sacramentorum materia erraſſet Eccleſia, nam ſi fuiſſent pauciora, magna fuiſſet impietas, & ſuperſtitio aliquid habere pro Sacramento, quod Sacramentum non eſſet, ſi fuiſſent plura, maximus fuiſſet Sacramentorum contemptus. In primo caſu gravis animarum deceptio, in ſecundo grave animarum detrimentum.

60. Aſt, quomodo in Eccleſia non erit uſu nunquam interrupto receptum, quod ab omnibus Sanctis Patribus traditum reperiiur? De baptiſmo, & Euchariſtia nihil peculiare proferam, cum etiam hæretici noſtrorum temporum non reluctentur. Pro cæteris vero audi Tertullianum lib. de carnis reſurrectione dicentem de Baptiſmo, & confirmatione. *Caro abluitur, ut anima emaculetur, caro ungitur, ut anima conſecretur*, audi Auguſtinum contra lit. Petiliani cap. 204. *Sacramentum Chriſmatis in genere viſibilium ſignaculorum Sacroſanctum eſt, ſicut ipſe baptiſmus*. Pro pœnitentia inquit Ambroſ. lib. 1. de pœnit. cap. 7. *Quid intereſt, utrum per pœnitentiam, ac per lavacrum hoc jus ſibi datum Sacerdotes vindicent? Unum in utroque miniſterium eſt; Sed dices, quia in lavacro operatur miniſterium gratia; Quid in pœnitentia? Nonne nomen Dei operatur?* Lege & Auguſtin. in pſal. 146. ſuper illa verba, *qui alligat contritiones eorum*. Pro extrema unctione, Innoc. 1. epiſ. 1. ad Decentium loquens de Oleo ſancto infirmorum ait. *Impœnitentibus iſtud infundi non poteſt, quia genus eſt Sacramenti; Nam quibus reliqua Sacramenta negantur, quomodo unum genus putatur poſſe concedi?* S. vero Bernardus in vita S. Malach. narrat, eum fuiſſe vocatum, ut fœminam morti proximam inungeret, ſed cum differret, mortuam eſſe, ipſum vero adeo doluiſſe, quod ſine hoc Sacramento deceſſerit, ut à Deo precibus & gemitibus obtinuerit eam à mortuis ſuſcitare, & tunc eam unxiſſe, & concludit, *unxit eam, ſciens in hoc Sacramento remitti peccata*. Pro ordine non deeſt S. Auguſtinus lib. 2. contra epiſt. Parmeniani cap. 13. ubi ait, *Utrumque Sacramentum eſt, &* qua-

Digitized by Google

quadam conſecratione utrumque homini datur, illud, cum baptizatur, iſtud, cum ordinatur. Pro matrimonio idem Doctor de bono conjugali cap.19. *In noſtrorum*, inquit, *nuptiis plus valet Sanctitas Sacramenti, quam fæcunditas uteri*. Igitur omnia à nobis expoſita ſunt vera Sacramenta. Sed, repeto, ampliora dicemus, dum de ſingulis pertractabimus.

61. Neque vero deſunt argumenta plura ex congruentiis deſumpta, quæ noſtram veritatem declarent, & confirment. Tria præſertim producam; Primum propono ex proportione, quæ inveniri debet inter vitam ſpiritualem, & corporalem; ſiquidem in vita corporea, prius tria ſunt, quæ ſpectant ad ſingulos homines, ideſt generatio, augmentatio, & nutritio; deinde occurrunt duo, primum remedium contra morbos, ſi contingant, & remedium contra reliquias morborum, ut qui fuerat infirmus, perfecte convaleſcat; Poſtremo requiruntur alia duo ex parte Reipublicæ, ideſt parentes vitæ propagatores, & Principes vitæ moderatores, rerumque rectores; Eodem modo in vita ſpirituali requiritur generatio, quæ habetur per baptiſmum, augmentatio, quæ per confirmationem, nutritio, quæ per Euchariſtiam, remedium contra morbos, quod per pœnitentiam, remedium contra reliquias morborum, quod per extremam unctionem, matrimonium, ut propagentur homines, ordo ſacer, quo gubernentur, & erudiantur.

62. Secundum colligo ex numero infirmitatum; Peccavit homo origine? habet baptiſmum; languet debilitate? habet confirmationem; laborat fame? habet Euchariſtiam; Infirmatur, & velut Lazarus quatriduanus fœtet? confugiat ad pœnitentiam, ſi qua reliquia ſupereſt, proponitur extrema unctio, contra ignorantiam eſt ordo, contra concupiſcentiam eſt matrimonium.

63. Tertium denique expono ex numero virtutum Theologicarum, & Cardinalium. Illæ tres ſunt, Fides, Spes, Charitas, Fidei correſpondet baptiſmus, Spei confirmatio, Charitati Euchariſtia. Iſtæ quatuor. Prudentia, Juſtitia, Fortitudo, Temperantia; Prudentiæ correſpondet ordo, Juſtitiæ pœnitentia, Fortitudini extrema unctio, Temperantiæ matrimonium.

64. Dixi ſuperius, argumenta ex congruentiis deſumpta, ut mendax appareat Kemnitius, qui in 2. examinis parte, inquit: *Hæ ſunt demonſtrationes, hæc fundamenta, quibus ſeptenarius numerus Sacramentorum in Eccleſia inventus, & receptus fuit à ſcriptoribus Scholaſticis*. Et inde ſubdit, quod ſi quidpiam probarent, cum illa omnia fuerint etiam in lege naturæ, & ſcripta, in iſtis etiam ſeptem Sacramenta eſſe debuiſſe; non perpendens, in illis nihil ad hominum ſanctificationem fuiſſe inſtitutum præter remedium pro peccato originali, & circumciſionem, reliqua vero fuiſſe tantum umbram futurorum; at contrarium de Sacramentis noſtris dicendum eſt.

65. Ut rejiciantur plura, quæ in contrarium adduci poſſunt; adverto, non petendum eſſe ab adverſariis, ut ex Scripturis, & Patribus numerum ſeptenárium Sacramentorum oſtendamus. Scriptura enim, ſicut recenſet articulos fidei, nec aſſerit numerum, ita Sacramenta, ſed ſicuti in articulis fidei determinatio fuit à Conciliis, & Eccleſia, ita in numero Sacramentorum. Quod ſi hoc velint, oſtendant ipſi nobis ex Scripturis & Patribus numerum binarium, & ternarium, vel quaternarium; Pariter non eſt à nobis demonſtrandum, nomen Sacramenti tributum eſſe in Scripturis, vel Patribus pœnitentiæ, vel ordini, vel ſimilibus, ſed ſufficere, ſi ratio Sacramenti omnibus à nobis recenſitis conveniat; agimus enim non de nomine, ſed de re, nam neque Hæretici demonſtrabunt, baptiſmum, & cœnam appellari in Scripturis Sacramenta,

ta, & in iſtis aliqua dicuntur Sacramenta, quæ in omnium ſententia vera Sacramenta non ſunt; ſic 1. ad Timot. 3. *Sacramentum pietatis dicitur incarnatio Verbi*. Tandem adverto, quod ſi in aliquo Sancto Patre inveniuntur enumerata duo, vel tria Sacramenta, ibi Sancti Patres adducunt exempla, & loquuntur juxta materiam, quam pertractant, & errorem, quem refellunt, juxta tamen diverſam circumſtantiam omnia ſeptem enumeraſſe compertum erit, & unum vel alterum ex ipſis de omnibus ſermonem habuiſſe, ut n. 40. indicavimus.

66. Tria tantum proferam argumenta; Primum, quo contendunt, duo tantum eſſe Sacramenta, cum ex latere Chriſti fluxerint tantum Sanguis, & Aqua, nempe Baptiſmus, & Euchariſtia, ut explicant Chryſoſtomus, Cyrillus, Theophilact. & alii; Secundum, quo dicunt, numerum ſeptenarium pertinere ad Antichriſtum, cum Apocalypſ. 17. beſtia vocetur Sacramentum, quæ habebat ſeptem capita, beſtia autem illa ſignum erat Antichriſti. Tertium, quo affirmant, etiam lotionem pedum eadem ratione eſſe Sacramentum.

67. Verum fruſtra laborant, primo, quia, ſi velimus illam explicationem amplecti, declarantur quidem illa duo Sacramenta, tanquam excellentiora, ſed ex hoc cætera non excluduntur; Secundo ex Ambroſ. Auguſt. & Beda declaratur per Sanguinem redemptionis pretium, per Aquam baptiſmus, juxta illud 1. Joann. 5. *Hic eſt, qui venit per Aquam & Sanguinem Jeſus Chriſtus, non in aqua ſolum, ſed in aqua, & ſanguine*; vel per aquam ſignificatur baptiſmus fluminis, per ſanguinem baptiſmus ſanguinis.

Quod ſecundo opponebatur nugatorium eſt; Velint enim nolint, ea etiam debebunt enumerare inter capita beſtiæ, quæ ipſi tenent tanquam Sacramenta, vel ſi non iſta, cur noſtra? loquendo in vero ſenſu Joannes per ſeptem capita intellexit ſeptem reges, qui tunc principatum obtinebunt.

68. Videtur magis urgere argumentum tertio loco propoſitum, omiſſis ſigno Crucis, pane benedicto, exorciſmis, prædicatione Evangelii, etenim hæc omnia dantur etiam ante baptiſmum, qui ipſorum ore primum eſt omnium Sacramentorum; nec habeant annexam gratiam, cum omnia ſine effectu habeantur, & quidam Evangelio credunt, quidam autem non credunt, quod quidem prædicandum eſt, quia fides ex auditu, & ſine qua impoſſibile eſt placere Deo; Itaque ad pedum lotionem redeundo; Hæc videtur inter Sacramenta locum obtinere; Eſt enim ritus externus, mandatum Dei; & gratiæ promiſſionem includit; Eſſe ritum externum, quis negare poteſt? Eſſe mandatum Dei, colligitur ex illo Joan. 13. *Vos debetis alter alterius lavare pedes*; gratiæ promiſſionem includere, ex illo ibidem: *Si non lavero tibi pedes, non habebis partem mecum*. Fuit etiam myſterium, cum addiderit Chriſtus: *Quod ego facio, tu neſcis modo, ſcies autem poſtea*.

69. Reſp. lotionem pedem non alio modo Sacram. dici poſſe, niſi in ampliſſimo ſenſu, in quo omnia, quæ aliquid myſtice ſignificant, Sacram. appellantur, ſiquidem illa fuit ſignum humilitatis Chriſti, ejuſdemque eximiæ charitatis, necnon ſymbolum puritatis, qua debent homines ad Euchariſtiam accedere, atque, ut loquar cum Cyrillo, locum illum exponentis, figura fuit purgationis illius, quam Chriſti paſſio erat allatura; Mandatum illud potius deberet exemplum dici; ait enim: *exemplum dedi vobis*; & ſi mandatum eſt, in eo præcipitur humilitas, & charitas, ut exponunt Chryſoſtom. & Cyrillus; Neque habetur gratiæ promiſſio per illa verba: *Si non lavero tibi pedes, non habebis partem mecum*; minatur enim tantummodo pœnam ob inobedientiam, quæ certe ſuffi-

ſufficiens cauſa eſſet, ut quis perpetuo damnaretur. Si tamen myſtice loqui placeat cum S. Auguſtino, ſignificatur, etiam juſtos indigere, ut eos Chriſtus quotidie lavet à peccatis venialibus, quibus ſordeſcant, neceſſe eſt; unde ſubdit Dominus: *Qui lotus eſt, non indiget, niſi ut pedes lavet, ſed eſt mundus totus*. Quod non ſufficit, ut dicamus, lotionem pedum eſſe Sacramentum. Hiſce omnibus adde praxim Eccleſiæ, quæ in hujuſmodi lotione nunquam fuit univerſalis, totque ſæculorum ſpatio uſu non recepta. Hac in re nobis non deſunt aliquorum Patrum teſtimonia; Auguſt. epiſt. 119. inquit: *Ad ipſum Sacramentum baptiſmi ne videretur pertinere multi hoc in conſuetudine recipere noluerunt; nonnulli etiam de conſuetudine auferri non dubitarunt*. Teſte autem S. Ambroſ. lib. 3. de Sacram. cap. 1. Eccleſia Romana omnium mater, ac magiſtra ritum hunc lavandi pedes nequaquam obſervavit; & Eccleſia Hiſpanica can. 48. Concilii Eliberit. Sacerdotes & Clericos eorum, qui baptizandi erant, pedes lavari prohibuit; ſi autem quis à me peteret, quo fine ritus iſte apud aliquas Eccleſias uſum obtinuerit, dicerem, ne forte aliquorum, qui baptizandi erant, ſordes offenderent; & hoc dicerem cum Auguſt. epiſt. 118. ſed de hac re alia non tradimus; miror tantum, ab Hæreticis etiam lotionem capitis inter Sacramentum non collocari, cum tamen, ut obſervant aliqui, in Dominica Palmarum hæc fieri conſueverit, ideo dies illa in antiquo ordine Romano dicitur *Capitolavium*, & hujuſce lotionis meminit Iſid. lib. 6. Etimol. cap. 18. & alibi.

70. Contra tamen videtur eſſe mens Sanctorum Patrum; præſertim Ambroſii, & Bernardi; primus lib. 3. de Sacram. cap. 1. inquit: *Audi, quia myſterium eſt, & ſanctificatio; niſi lavero tibi pedes, non habebis partem meeum*; & ſic proſequitur: *In baptiſmate omnis culpa diluitur, recedit ergo culpa, ſed quia venenum eſt ei*, nempe Adæ, *effuſum eſt ſupra pedes; ideo lavat pedes, ut in parte, in qua inſidiatus eſt ſerpens, majus ſubſidium ſanctificationis accedat, quo poſtea ſupplantare non poſſit; Lavas ergo pedes, ut laves venena ſerpentis*; & lib. de myſteriis cap. 6. *Ideo planta ejus*, nempe Petri, *abluitur, ut hæreditaria peccata tollantur, non enim propria per baptiſmum relaxantur*, Lotio igitur pedum juxta S. Ambroſ. non ad ſolum humilitatis exercitium, ſed ad peccatorum relaxationem fuit inſtituta.

71. Secundus vero, ideſt Bernardus in ſerm. quem de baptiſmo, de Sacramento Altaris, & ablutione pedum inſcribit, ait: *Appropinquans paſſioni Dominus de gratia ſua inveſtire curavit ſuos, ut inviſibilis gratia ſigno aliquo viſibili præſtaretur; Ad hæc inſtituta ſunt omnia Sacramenta, ad hæc Eucbariſtiæ participatio, ad hæc pedum ablutio, ad hæc demum ipſe baptiſmus, initium Sacramentorum omnium*. Vides, inter alia, quæ procul dubio Sacramenta ſunt, enumerari pedum lotionem; Proſequitur autem idem Doctor; & poſtquam dixit de gratia, quæ per baptiſmum, & Euchariſtiam confertur, de pedum ablutione ſic loquitur: *Ut de remiſſione quotidianorum minime dubitemus, habemus ejus Sacramentum, pedum ablutionem; Quæris forte, unde ſciam, quod Sacramentum ſit hujus remiſſionis? maxime cum ipſe Dominus promiſerit dicens Petro, quod ego facio, tu neſcis modo, ſcies autem poſtea, nihil autem de Sacramento locutus eſt, ſed tantum inquit, exemplum dedi vobis, ut & vos ita faciatis*. En ſibi opponit Bernardus, quod ſuperius, à nobis reſponſum fuit; ſed ipſe ſubdit: *Vis noſſe, quia pro Sacramento illud eſt, non pro ſolo exemplo factum? Illud attende, quod de Petro dictum eſt: Si non lavero te, non habebis partem meeum; aliquid igitur latet, quod neceſſarium eſt ad ſalutem, quando ſine eo non ipſe Petrus partem haberet in regno Chriſti*. Plura alia ſubdit, ex quibus, ſi recte perpendantur, etiam

etiam pedum ablutio dicenda erit Sacramentum. Hoc multo ante etiam reperitur in operibus Cypriani de ablutione pedum, ubi concludit: *Hoc lavacrum eſt quotidianis exceſſibus inſtitutum*; igitur, &c.

72. Si attente omnia dicta conſiderantur, evincetur quidem pedum lotionem myſticam ſignificationem, & alicujus rei ſacræ ſignum exhibuiſſe, nequaquam tamen inter illa ſigna, quæ ſint gratiæ collativa enumerandam; Et ſi de Ambroſio loquamur, hic in prologo lib. 1. de Spir. Sanct. ad Gratian. docuit, ablutionem iſtam illam aquam ſignificaſſe, quæ ſpiritaliter per Spiritus Sancti miſſionem erat effundenda, ut uberiori gratia donarentur, atque illam, qua fideles unguntur præſertim in Sacramento confirmationis, juxta illud Joelis 2. *Effundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnem*; Ut enim obſervavimus, nunquam dixit præclariſſimus Doctor iſte, ritum hunc lavandi pedes eſſe retinendum, & eſſe neceſſarium, cum in eodem capite de Sacram. aſſeruerit, alium eſſe ritum Romanæ Eccleſiæ, *cujus*, inquit, *in omnibus typum ſequimur*. Voluit quidem eam in ſua Eccleſia tanquam diſciplinam cuſtodiri, ſed (ſunt ipſius verba) *Hoc ideo dico, non quod alios reprehendam, ſeu mea officia ipſe commendem*. Nec obſtat, dici, *ut hæreditaria peccata tollantur*. Certum enim eſt per ipſum, peccatum originale omnino tolli per baptiſmum, cum eodem lib. de myſter. cap. 3. dicat: *Baptiſmi aqua carnem mergi, ut omne abluatur peccatum, & ſepeliatur illic omne vitium*; hæreditarium itaque peccatum cenſuit concupiſcentiæ fomitem ex peccato originali relictum, de quo Apoſt. ad Rom. 7. *Si autem, quod nolo, illud facio, jam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum*. Hanc concupiſcentiam non judicavit Ambroſ. per pedum ablutionem tolli, ſed in iſta latere Sacramentum confirmationis, in quo plenior gratia confertur, & contra lubricas naturæ lapſæ propenſiones robuſtiores efficimur, quod explicat exponens Pſal. 48. ubi ait: *Lavandos eſſe pedes, ut lubricum poſſimus auferre, quo fida ſtatio poſſit eſſe virtutum*. Advertit tamen Maldonatus in 13. cap. Joannis, Ambroſium ita dicentem, cauto lectore, ac benigno interprete indigere.

73. Quod attinet ad S. Bernardum, cenſeo ibi ſermonem non habuiſſe in litterali ſenſu accipiendum, neque de pedum lotione materiali & externa, ſicut nec de Sacramento proprie ſumpto, ut eſt collativum gratiæ, ſed in ſenſu ſpiritali, ac de pedum lotione interna, hoc eſt lavandos eſſe pedes, qui ſicut pulvere coninquinantur, ita ſignificant animam peccatis venialibus involutam, & ſic in pedum lotione latet aliquid ad ſalutem neceſſarium, ideſt ad obtinendum regnum Cœlorum, in quod nihil coinquinatum introibit. Pluribus autem modis pedum ablutio ſic intellecta habetur, ſcilicet, per humilitatem, eleemoſynam, pias exercitationes & preces, unde, ſicut quotidie delinquimus, ita quotidie dicimus, dimitte nobis debita noſtra; quam quidem rationem ipſe Bernardus adduxit, qui poſtquam dixit, debere homines eſſe ſollicitos, ne declinent in verba malitiæ ad excuſandas excuſationes in peccatis, & Deum ignoſcere facile, immo libenter, dummodo nos agnoſcamus, concludit: *Hinc eſt, quod in oratione, quam ipſe conſtituit, quotidie pro peccatis illis voluit, nos orare*; non dixit autem, quotidie nos debemus pedes abluere. Inſuper dici poteſt, juxta Bernardum in pedum ablutione ſignificatam eſſe pœnitentiam, per quam noſtræ animæ ſordes deterguntur.

74. Hoc autem totum, quod diximus, placet Auguſtini verbis, quem ferme ad litteram ſequutus eſt Bernardus in laudato ſermone, declarare; verba Sancti Doctoris tract. 46. in Joan. ſunt iſta: *Homo in baptiſmo totus abluitur, non præter pedes, ſed totus omnino. Verumtamen, cum in rebus humanis poſtea*

ſtea vivitur, utique terra calcatur; Ipſi igitur humani affectus, ſine quibus non vivitur, quaſi pedes ſunt, ubi ex humanis rebus afficimur; & ſic afficimur, ut ſi dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipſos decipiamus, & veritas in nobis non ſit. Quotidie igitur pedes lavat nobis, qui interpellat pro nobis, & quotidie nos opus habemus, ut pedes lavemus, ideſt vias ſpiritualium greſſuum dirigamus in ipſa oratione Dominica, cum dicimus, dimitte nobis debita noſtra, ſi enim confiteamur peccata, profecto ille, qui lavit pedes diſcipulorum, fidelis eſt, & juſtus, qui dimittat nobis peccata noſtra, & mundet nos ab omni iniquitate, ideſt, uſque ad pedes, quibus converſamur in terra. Quis autem dicet, in hiſce Auguſtini verbis ſermonem eſſe de pedum lotione, tanquam de vero Sacramento? Idem igitur judicium feratur de Bernardo, qui ex Auguſtino, quod dixit, accepit.

75. Supereſt, ut poſtremo, quod eſt in operibus Cypriani ex authore quodam de operibus Chriſti Cardinalibus, reſpondeamus. Sed in eodem loco ex eodem reſponſum habetur; cum aliud non intelligatur, niſi ad expianda peccata eſſe neceſſarium pœnitentiam in pedum lotione adumbratam; poſt enim adducta verba: *Hoc lavacrum eſt quotidianis exceſſibus inſtitutum*; ſtatim addit: *& magis retractatio, uſque ad noviſſima veniens, omnia debet opera, & cogitatus ſingulos perſcrutari, & affectus per vitia diſcurrentes corrigere, & lavare, nec quidquam in vita prætermittere indiſcuſſum, quod gemitibus, & ſuſpiriis non fuerit expiatum.* Et tandem mandatum Chriſti, quo jubemur ad invicem lavare pedes, exponit ita, ut qui Pharaoni in luto & latere famulati ſunt, exeant de Ægypto, & lavent pedes; quod myſticum eſſe, nemo non videt.

76. Plura alia prætereo, ut eſt Monaſtica conſecratio, &c. cum inutilia ſint in re noſtra, & ex principiis expoſitis rejiciantur, & tantum colligas, numerum ſeptenarium in Sacramentis fuiſſe in lege gratiæ neceſſarium ſecundum quid, & ex divino beneplacito; potuiſſet enim Chriſtus vel plura inſtituere, vel pauciora; & ſicut fuerunt ex divina liberalitate, ita fuerunt ex libertate.

QUÆSTIO III.

De cauſis extrinſecis Sacramentorum novæ legis.

ARTICULUS I.

An Chriſtus tum ut Deus, tum ut homo inſtituerit Sacramenta novæ legis.

1. DUplicem dari poteſtatem, per quam res aliqua poteſt inſtitui, indubitatum eſt apud omnes; unam imparticipatam, aliam miniſterii; Quid utraque ſit, explicatione non indiget, cum ex ipſo nomine manifeſtum fiat.

Dico 1. Chriſtum, ut Deum, inſtituiſſe omnia Sacramenta novæ legis poteſtate imparticipata.

2. Prob. Quando aliquid eſt omnino proprium Dei, & tribuitur Chriſto, illud dicitur de Chriſto, ut Deus eſt; ſed inſtituere Sacramenta poteſtate imparticipata eſt proprium Dei, & tribuitur Chriſto, ergo. Secunda pars min. infra oſtendetur. Prob. 1. Ut inſtituantur Sacramenta novæ legis, debent inſtitui ſigna ſenſibilia practica gratiæ ſanctifican-

Digitized by Google

cantis, ſeu ſigna, habentia virtutem cauſandi gratiam habitualem; ſed inſtituere ſigna ſenſibilia practica gratiæ ſanctificantis, ſeu, &c. eſt proprium Dei; ergo prob. mi. Illius eſt proprium inſtituere, &c. in cujus poteſtate eſt gratiam conferre; ſed proprium eſt Dei gratiam conferre, cum gratia ſit participatio naturæ divinæ, & tantæ ſit excellentiæ, ut à nulla creatura eſſe poſſit; quod demonſtravimus in quæſtionibus de gratia; ergo.

3. Atque ex hac ratione breviter oſtenditur, etiam Sacramenta antiqua, ſive legis naturæ, ſive ſcriptæ, fuiſſe poteſtate imparticipata inſtituta à Deo, à Deo inquam ſecundum ſe, cum nondum eſſet hypoſtatice unitus humanitati. Quod enim plura cauſaverint gratiam ſolum improprie, vel juxta aliquorum ſententiam ſolum ſignificaverint infallibiliter, non probatur, fuiſſe inſtituta ab aliqua creatura, quia, cum nulla creatura gratiam habeat in ſui poteſtate, nequit alteri tribuere vel virtutem cauſandi etiam improprie, vel infallibiliter gratiam ſignificandi.

4. Neque dici poteſt, quod ſicuti antiqua lex per Moyſen, & per Angelos data fuit, ita data fuerint, & per conſequens inſtituta Sacramenta; nam ſi paritas tenet, in hoc tantum admittitur, quod ſicuti antiqua lex data fuit per Moyſen, & per Angelos non per auctoritatem, & principalem facultatem, ſed tantum per promulgationem, & per miniſterium; ita data fuerunt antiqua Sacramenta, ex quo non probatur, fuiſſe inſtituta, immo ex argumento evincitur hoc, quod, ſi antiqua lex fuit à ſolo Deo poteſtate imparticipata, etiam à ſolo Deo fuerunt antiqua Sacramenta.

5. Dico 2. Chriſtum, ut hominem, inſtituiſſe immediate per ſe ipſum omnia ſeptem Sacramenta novæ legis poteſtate miniſterii principalis, ſeu, ut ajunt, excellentis commiſſionis.

Prob. ex Concil. Trindent. ſeſſ. 7. can. 1. ubi definit: *Si quis dixerit, Sacramenta novæ legis non fuiſſe omnia à Jeſu Chriſto Domino noſtro inſtituta; anathema ſit*; ergo immediate, & per ſe ipſum Chriſtus, ut homo, illa inſtituit, quod quidem de extrema etiam unctione tradidit idem Concilium ſeſſ. 14. can. 1. ubi ſtatuit, eam fuiſſe à Chriſto Domino inſtitutam, & à Beato Jacobo Apoſtolo promulgatam. Hoc magis aſſerendum eſt, ſi conſiderentur ea, quæ traduntur ab eodem ſeſſ. 21. cap. 2. non alium profitente in Eccleſia, & in Romano Pontifice facultatem circa Sacramenta, quam in aliquo accidente, & extrinſeca cæremonia; ergo quia omnia tantum Chriſtus inſtituit, non Apoſtoli, non Eccleſia, non Pontifices. Quod ſi aliquibus Sacramentis conceditur, ita fuiſſe à Chriſto inſtituta, ſicut à nobis aſſeritur, non video, cur omnibus non debeat concedi, cum æqualiter de omnibus Concilium loquatur. Neque vero, ſi à Chriſto tantum mediate fuiſſent inſtituta, ſufficeret ad aſſerendum, ſimpliciter fuiſſe ab ipſo inſtituta, nam inſtitutionem mediatam, ideſt ab Eccleſia ex poteſtate à Chriſto accepta, agnoſcunt omnes leges Eccleſiaſticæ, & cæremoniæ; nec tamen iſtæ dicuntur ſimpliciter à Chriſto inſtitutæ; ergo à pari.

6. Idem etiam docuiſſe videntur Sancti Patres, præſertim Ambroſius, & Auguſtinus. Ille 4. de Sacram. cap. 4. inquit: *Author Sacramentorum quis eſt, niſi Dominus Jeſus?* Iſte vero epiſt. olim 118. nunc 54. Januarium ita alloquitur: *Primum tenere te volo, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum levi jugo ſuo nos ſubdidiſſe, & ſarcinæ levi; Unde Sacramentis numero pauciſſimis, obſervatione facillimis, ſignificatione præſtantiſſimis ſocietatem novi populi colligavit; ſicut eſt baptiſmus Trinitatis nomine conſecratus, communicatio Corporis, & Sanguinis ipſius, & ſi quid aliud in Scripturis Canonicis commendatur .... Illa autem, quæ non ſcripta, ſed tradita cuſtodimus, quæ quidem toto terrarum orbe ſervantur, datur intelligi, vel ab ipſis Apo-*

Apoſtolis, vel plenariis Conciliis, quorum eſt in Eccleſia ſaluberrima authoritas, commendata atque ſtatuta retineri; ſicuti quod Domini paſſio, & Reſurrectio anniverſaria ſolemnitate celebrentur. In hoc loco diſtinguit Sanctus Doctor Sacramenta ab aliis ritibus; quia iſti fuerunt ab Eccleſia ſtatuti, non illa; & quamvis dicat, *& ſiquid aliud in ſcripturis Canonicis commendatur* non ſunt tamen ita ſtrictè intelligenda hæc verba, ut traditio excludatur; etenim plurima habeurunt Chriſtum Dominum inſtitutorem, quæ tamen in ſcriptura non continentur, ſed ſola traditione accipiuntur; Unde idem Auguſtinus lib. 3. de doct. Chriſtiana cap. 9. differens de Sacramentis ait; *Quædam pauca pro multis, eademque factu facillima, & intellectu auguſtiſſima, & obſervatione caſtiſſima ipſe Dominus, & apoſtolica tradidit diſciplina*; non quod Apoſtoli aliquod inſtituerint Sacramentum; ſed quia Chriſtus omnia inſtituit, ſed non omnia promulgavit; omnia vero promulgarunt Apoſtoli.

7. Videntur autem obſtare quędam alia, quæ in ſerm. de lotione pedum leguntur: Cum enim dixiſſet, *Ipſe ſummus Sacerdos ſui eſt Sacramenti inſtitutor, & author* addit. *In cæteris homines Spiritum Sanctum habuerunt doctorem, & ſicut par eſt Spiritui Sancto, & Chriſto divinitas, ita in ſuis inſtitutis æqua eſt authoritas, & poteſtas, nec minus ratum eſt, quod dictante Spiritu Sancto Apoſtoli tradiderunt, quam quod ipſe tradidit, & in ſui commemorationem præcepit.*

8. Non obſtant tamen; nam primo ſequeretur, quod Chriſtus ſolus Euchariſtiæ fuiſſet inſtitutor, hoc tamen nemo dicit, cum ſaltem baptiſma à Chriſto immediatè fuiſſe inſtitutum ire nemo poſſit inficias; rurſus de pœnitentia habetur expreſſe in ſcriptura. Secundo quia illa verba, *Reliqua tradita ſunt ab Apoſtolis Spiritu Sancto dictante*, vel referuntur ad alios ritus, & cæremonias, vel tantum ad Sacramentorum promulgationem: & rectiſſimè advertit S.Th. in 4. diſ.23. quæſt. 1. art. 1. & alibi, quædam Sacramenta magis expreſſe expoſita eſſe in ſcriptura, nempe quæ præcipua, & magis neceſſaria ſunt; alia vero fuiſſe tradita ab Apoſtolis, ideſt promulgata. In quo ſenſu etiam in recto ſenſu poſſunt explicari Doctores aliqui, dicentes, quędam Sacramenta fuiſſe inſtituta ab Apoſtolis, dicendo per inſtitutionem intellexiſſe promulgationem.

9. Omitto hic rationes, & authoritates illas, quibus probari poſſet, extremam unctionem, & confirmationem immediatè fuiſſe à Chriſto, quod plures viri docti & catholici negarunt, ut Magiſt. ſent., Hugo Victorin. S. Bonav. & Alenſ. quorum doctrina licet ante Concilium Trident. ſuſtineri potuerit, & tolerari, tamen poſt hujus definitionem ſaltem à temeritate excuſari non poteſt, ut notant Doctores, qui poſtea ſcripſerunt; dixi, ſaltem à temeritate, nam Vaſq. Amic. Gonet; ſententiam noſtram arbitrantur eſſe de fide, adeoque oppoſitam nunc eſſe hæreticam; Suarez vero, Ariaga, pluresque alii mitius ſe gerunt, cum in Concilio non inveniatur expreſſe illa particula, *immediate per ſe*. Et revera non eſſe de fide plures modo defendunt; Dominicus Soto in 4. diſ. 1. quæſt. 5. concluſ. 3. ſic effatur. *Non uſque adeo conſtat, hæreticum eſſe, negare Sacramenta confirmationis, & extremæ Unctionis fuiſſe ore Chriſti proprio inſtituta*; & concl. 4. Eſſet tamen temerarium, negare omnia Sacramenta eſſe à Chriſto inſtituta.

10. Plures ſecundæ noſtræ aſſertionis rationes congruas afferre non prohibemur; Primo quia ita, proportione ſervata, loqui debemus de creatione univerſi, ſicut de ponendo principio Eccleſiæ, creatio autem univerſi antecedit operationem cujuſcumque cauſæ ſecundæ, igitur & principium, ſeu fundamentum Eccleſiæ, antecedere debet operationem cujuſcumque miniſtri; atqui

qui principium, ſeu fundamentum Eccleſiæ ſitum eſt in fidei, Sacramentorumque inſtitutione; ergo fidei, & Sacramentorum inſtitutio debet antecedere quamcumque operationem creaturæ; Secundo quia, ſi non tantum Chriſtus, ſed etiam vel Angeli, vel Apoſtoli, & in Pontificatu Succeſſores fuiſſent immediatè Sacramentorum inſtitutores, fideles dividi poſſent, & fieret, quod olim perperam dicebatur; *Ego ſum Pauli*, *Ego autem Apollo*, *Ego vero Cephæ*. Tertio, quia inſtitutio Sacramentorum, immediatè facta à Chriſto, magis confert ad commendandam poteſtatem humanitatis Chriſti, & attollendum valorem meritorum ipſius, nec non explicandam Sacramentorum excellentiam Sacramentalium dignitate ſublimiorem: Tandem, quia ſic melius ſervatur unitas, & ſtabilitas Eccleſiæ; illa quidem, quia omnia ipſius Sacramenta unum, eumdemque habent authorem; iſta vero; quia Sacramentorum numerus, & ſubſtantia nulla poteſt humana poteſtate variari. Dicamus igitur, homines, ipſoſque Apoſtolos fuiſſe Sacramentorum promulgatores, diſpenſatores, & miniſtros, juxta illud Pauli 1. ad Corint.3. *Quid eſt Apollo? Quid vero Paulus? Miniſter ejus, cui credidiſtis*. & cap.4. *Sic nos exiſtimet homo, ut Miniſtros Chriſti, & Diſpenſatores myſteriorum Dei*.

ARTICULUS II.

Utrum poteſtas inſtituendi Sacramenta poſſit hominibus communicari.

11. NON eſt quæſtio de poteſtate primaria, & independente, quam ſoli Deo convenire poſſe, fatentur omnes Theologi, ſed de poteſtate, quam vocant ex commiſſione, miniſterialem, & participatam, quam excellenti modo Chriſtus habuit in ſui humanitate hypoſtaticè unita Verbo Divino. Negant Scot. in 4. diſ.2. quæſt.1. & diſ. 1. qu.3. Durand. in 4. diſ.2. qu.1. num.5. Gabriel., Vaſquez &c. Affirmant vero S.Thom. hic quæſt.64. art.4. Bonavent., Suarez, Averſa, de Lugo, & communius recentiores.

12 Duplici ex capite difficultatem hanc libenter præter irem: Primo quia eſt tantum de poſſibili: Secundo quia ferme omnes Doctores illam pertractantes aſſerunt eſſe de ſolo nomine. Omnes enim in hoc conveniunt, quod poſſit Deus alicui puræ creaturæ communicare facultatem deſignandi rem aliquam ſenſibilem, quæ ſit ſignum practicum gratiæ; ita ut ea poſita Deus infallibiliter gratiam conferre decernat, & promittat; Secunda ſententia affirmat in hac hypotheſi creaturam Sacramenta inſtituere; Prima negat; quia tunc ſolus Deus, qui gratiam conferret, eſſet Sacramentum inſtitutor. Ut tamen omnibus ſatisfacere ſatagam, exponam utriuſque ſententiæ præcipua fundamenta, & inde quid aſſerendum videatur, eliget Lector.

13. Prima ratio Scoti loco citato eſt; Si aliqua creatura poſſet inſtituere Sacramenta, poſſet determinare Deum ad gratiam producendam, ſeu ad conferendam alicui rei ſenſibili virtutem producendi gratiam; ſed nulla creatura poteſt determinare Deum ad gratiam producendam, ſeu ad conferendam alicui rei &c. ergo. Pr.mi. ſi aliqua creatura poſſet &c. poſſet determinare Deum ad effectum Dei proprium; ſed nulla creatura poteſt &c. ergo. Tum quia: Si Deus poſſet ita determinari à creatura, Deus eſſet cauſa ſecunda in hac determinatione; ſed hoc repugnat; ergo. Priorem rationem Maſtrius ſic exponit: Illius propriè eſt Sacramentum inſtituere, cujus eſt, non tantum ſignum imponere; ſed etiam efficaciam illi producendi id, quod ſignificat conferre; ſed ſolus Deus conferre poteſt hujuſmodi efficaciam, quia ſolus Deus conferre poteſt gratiam: ergo.

14. Reſpondent alii. Diſ. maj. poſ-

ſet;

ſet determinare Deum ad gratiam &c. determinatione orta ab ipſo Deo Conc. orta ab ipſa creatura ne. maj. è contra diſt. min. ne. conſ. & ita ad reliqua, Creatura, inquiunt, quæ inſtitueret Sacramenta poteſtate delegationis, determinaret Deum ad producendam gratiam determinatione orta ab illo, qui talem facultatem conceſſit, quæ determinatio eſt valde impropria, & tantum ex ſuppoſitione, præſertim quod creatura non aſſumeret aliquam rem ſenſibilem, niſi ut permiſſa à Deo ad illam aſſumendam; Quod ſi allatum argumentum probaret, ſequeretur, neque per peccatorem elicientem actum contritionis, neque per juſtum exercentem aliquod opus ſupernaturale Deum poſſe determinari ad gratiam conferendam, vel augendam; & per hoc conſtat ad alias probationes reſponſio.

15. Secundo argumentatur Durandus loco laudato ſic; Per reſpectum ad Sacramentum aliud puræ creaturæ Deus communicare non poteſt, quam eligere materiam & verba, ex quibus Sacramenta componuntur, atque conſtituuntur; ſed hoc non eſt committere poteſtatem inſtituendi Sacramenta, ergo. Prob. mi. 1. Ex quo in antiqua lege reliquerit Deus hominibus eligere actionem illam ſenſibilem, in qua poſitum erat remedium pro peccato originali, non dicebantur homines ex commiſſione inſtituere Sacramentum; ergo à pari. 2. Supponamus, teſtatorem relinquere hæreditatem illi perſonæ, quam Paulus elegerit, non per hoc Paulus, eligendo, conſtituit hæredem; ergo à pari. Confirm. Nulla pura creatura habere poteſt in ſe ipſa virtutem, & efficaciam cauſandi gratiam, tanquam cauſa principalis, ſeu quaſi principalis; ergo neque tribuere alicui rei ſenſibili, tanquam cauſæ inſtrumentali; conſequenter, &c.

16. Reſpondent; male à Duraudo probari minorem, cum ab ipſis concedatur, & negatur major. poſſe enim vel ex propriis operibus, vel ex divina ordinatione mereri alteri gratiam, & illam alligare alicui rei ſenſibili, eſt quid amplius, quam eligere res, & verba, ex quibus Sacramenta componantur, atqui poteſt creatura vel ex propriis operibus, vel ex divina ordinatione mereri alteri gratiam majorem, vel minorem, & tribuere alicui rei ſenſibili majorem, vel minorem gratiæ collationem; ergo. Atque ex hoc habetur diſparitas, ſi data majore, negaretur minor; nam homines eligentes actionem externam pro parvulorum juſtificatione nullum meritum habuerunt ad illam determinandam ad conferendam gratiam vel abſolute, vel majorem, vel minorem, ſicut etiam Paulus eligens perſonam ad hæreditatem, non poſſet determinare pro ſui merito ad hæreditatem, vel hæreditatis portionem, conſequenter applicat tantum voluntatem teſtatoris, qui relinquit hæredem ſub indeterminatione. Ad confirm. concedunt antec. de cauſa phyſica, negant de morali; quod ſufficit, movendo ſcilicet divinam voluntatem, etiam ſi talis motio foret præciſe ex divina promiſſione. Addunt, unum inſtrumentum elevari poſſe ad communicandam virtutem inſtrumentalem alteri; unde pura creatura poterit elevari ut inſtrumentum gratiæ, dans virtutem alteri inſtrumento, quod erit Sacramentum.

17. Tertium argumentum proponit ingenioſiſſimus Pater Vaſquez diſp. 133. cap. 2. idque deſumit ex verbo *inſtituo*, quod proprie ſignificat rem primo ſtatuere, & primordia eidem dare, ſed hoc nulli creaturæ poteſt communicari, nam ſtatim ac à Deo communicaretur, Deus eſſet ille, qui Sacramentum primo ſtatueret, & ille initium daret; ergo; atque ideo ſententia iſta affirmans repugnat in terminis.

18. Reſpondent, hunc argumentandi modum inanem eſſe, ac grammaticalem; nam vere aliquis dicitur inſtitutor alicujus rei, quamvis agat ex aliena

na facultate, ut compertum eſt in tot rebus; ſic fundatores Religionum dicuntur inſtitutores, quamvis non agant, niſi poteſtate habita à Pontifice, &c.

19. Tandem, ut alia leviora prætermittam, afferunt S. Auguſtinum tract. 72. in Joan. dicentem: *Majus eſt, ex impio fieri juſtum, quam creari Cœlum, & Terram*, ſed non poteſt puræ creaturæ communicari virtus faciendi Cœlum, & Terram, immo neque formicam; ergo à fortiori non poterit communicari virtus faciendi ex impio juſtum; adeoque neque facultas inſtituendi Sacramenta.

20. Reſpondent, argumentum hoc probare ad ſummum contra negantes, virtutem creandi communicari poſſe creaturæ. Sed etiam in horum ſententia non deeſſet diſparitas, quia nimirum virtus creativa deberet eſſe phyſica, virtus autem inſtituendi Sacramenta eſſet moralis, & majus quidem eſt ex impio fieri juſtum, quantum ad ordinem, non tamen quantum ad modum, & ſic explicatur Auguſtinus.

Si vero dicant, ad Sacramentorum inſtitutionem requiri virtutem infinitam, & omnipotentiam, ut revera poſt tot dicta affirmat Maſtrius; id conceditur loquendo de poteſtate primaria, negatur de poteſtate ſecundaria, & commiſſionis; aliter nec Chriſtus, ut homo, potuiſſet inſtituere Sacramenta.

21. Præcipuum autem fundamentum ſententiæ affirmativæ eſſe exiſtimo, quod ſubjicio. Communicabilis eſt puræ creaturæ poteſtas, quæ conferat alicui ſenſibili ſigno virtutem cauſandi gratiam; ſed ita communicabilis eſt poteſtas delegationis veræ Sacramentorum inſtitutioni ſufficiens; ergo. Minor conſtat; quia ſicuti habere virtutem cauſandi gratiam independenter, & pro ſui arbitrio, eſt poſſe inſtituere Sacramenta poteſtate primaria, imparticipata, & authoritatis; ita poſſe conferre virtutem cauſandi gratiam per dependentiam ab alio, eſt poſſe inſtituere Sacramenta poteſtate delegationis. Prob. maj. Communicabilis eſt puræ creaturæ tanta gratiæ plenitudo, ut in plurium ſententia poſſit per propria opera mereri de condigno gratiam pro aliis, & licet hoc negaretur ex intrinſeco ſui; attamen concedi debet ex divina diſpenſatione; ſed hoc dato, eſt communicabilis puræ creaturæ poteſtas, quæ conferat alicui ſigno ſenſibili virtutem, &c. nec apparet aliqua ratio pro ſufficiente diſparitate; ergo.

22. Subdam denique teſtimonium unum Auguſtini, quod certe rem hanc clariſſime explicat, ait tract. 5. in Joan. ſic: *Potuit Dominus noſter Jeſus Chriſtus, ſi vellet, dare poteſtatem alicui ſervo, ut daret baptiſmum ſuum, tanquam vice ſua, & transferre à ſe baptizandi poteſtatem, & conſtituere in aliquo ſervo ſuo, & tantam vim dare baptiſmo translato in ſervum, quantam vim haberet baptiſmus datus à Domino. Hoc noluit, ideo, ut in illo ſpes eſſet baptizatorum, à quo ſe baptizatos agnoſcerent; Noluit ergo ſervum ponere ſpem in ſervo..... Intendite; Potuit hanc poteſtatem ſervis dare, ſed noluit; ſi enim daret hanc poteſtatem ſervis, ideſt, ut ipſorum erat, tot eſſent baptiſmata, quot eſſent ſervi.*

23. Quid hiſce, aliiſque argumentis reſpondeant, vide apud Maſtrium, ſi tamen dignoſcere poteris, & quanti valeat Auguſtini authoritas, niſi Auguſtinum negare velis, verba perpende. Interim ſcias, Scotum tantum in verbis à priori ſententia recedere, ut optime adnotat Suarez diſp. 22. ſect. 2.

24. Quamvis tamen vellet Deus creaturæ hanc facultatem concedere, illi tamen, quam Chriſtus habuit, comparanda non foret; hæc enim longe eminentior & perfectior; 1. quia meritum Chriſti operatur in Sacramentis, ac primam gratiam de condigno meretur. 2. quia ad invocationem ſui nominis Sacramenta celebrantur. 3. quia effectum Sacramenti etiam ſolo nutu ac imperio voluntatis abſque Sacramento conferre poſ-

poſſit; ut jam dixit S. Th. 3. par. qu. 64. artic. 3.

25. Unum argumentum adderem; quod ſicuti, juxta Scotiſtarum principia, poteſt pura creatura ſatisfacere pro peccato lethali, & quidem de condigno, quare etiam non poterit gratiam illam promereri, quæ per Sacramenta confertur, illamque alicui ſigno ſenſibili ex divina ordinatione alligare?

ARTICULUS III.

Quiſnam ſit, vel eſſe poſſit Miniſter pro conficiendis Sacramentis novæ legis.

26. NON ſolum homines, ſed etiam Angelos, ſive bonos, ſive malos ordinariam poteſtatem pro conficiendis Sacramentis habere, fuit ſententia Lutheri, qui in lib. de Miſſa privata, & unctione Sacerdotum ita ſcribit: *Ego non dicam, quod Papiſtæ dicunt, nullum Angelorum, ne Mariam quidem ipſam, conſecrare poſſe. Sed è contra dico, ſi Diabolus ipſe veniret, & ego poſtea reſcirem, Diabolum ſic irrepſiſſe in officium Paſtoris Eccleſiæ, in ſpecie hominis vocatum ad prædicandum, & publice in Eccleſia docuiſſe, baptizaſſe, celebraſſe Miſſam, & abſolviſſe à peccatis, tunc cogeremur fateri, verum baptiſmum, verum Evangelium, veram abſolutionem, verum Sacramentum Corporis, & Sanguinis Chriſti, nos accepiſſe*; quia vero diſtinxit uſum poteſtatis ab ipſa poteſtate, ſenſit, ad evitandam confuſionem non omnes hac uti poteſtate oportere, ſed tantum quando vocati ſunt, exceptis hiſce caſibus; 1. quando quis eſt in loco privato, ut domi ſuæ; 2. quando alius non adeſt, & urget neceſſitas; 3. quando etiam alius adeſt, ſed non tam recte miniſtrat, juxta illud ad Corint. 14. *Si alteri revelatum fuerit, prior taceat.*

27. Idem expreſſius de quocumque baptizato docuit in lib. de captivit. Babylon. cap. de Ordine, dicens: *Eſto certus, & ſeſe agnoſcat quicumque ſe Chriſtianum eſſe cognoverit, omnes nos æqualiter eſſe Sacerdotes, hoc eſt, tandem in verbo, & Sacramento quocumque habere poteſtatem; verum non licere quemquem hac ipſa uti, niſi conſenſu communitatis, vel vocatione majoris.* Idem in articulis à Leone X. damnatis, inter quos erat iſte: *Ubi non eſt Sacerdos, æque poteſt quilibet Chriſtianus Sacramenta miniſtrare, etiam ſi mulier, aut puer eſſet*; & in lib. ad Pragenſes, de inſtituendis Miniſtris Eccleſiæ, ſic loquitur: *In novo præſertim Teſtamento Sacerdos non fit, ſed naſcitur, non ordinatur, ſed creatur, naſcitur autem in baptiſmo; ſuntque prorſus omnes Chriſtiani Sacerdotes.* Quænam autem ſint argumenta Lutheri, inferius non prætaribo.

28. Contrarium omnino docuit Calvinus, & voluit, non ſolum poteſtatem hanc negandam eſſe Angelis, ſive bonis, ſive malis, ſed etiam hominibus, ita ut, neque etiam in caſu neceſſitatis poſſint laici, & feminæ valide conferre Sacramentum baptiſmi, ut legi poteſt in antidoto ad can. 10. ſeſſ. 7. Concilii Tridentini.

29. Utrumque errorem deteſtantur Catholici, & unanimi conſenſione profitentur, eſſe ſolos homines reſpectu omnium Sacramentorum Miniſtros conficientes, reſpectu vero alicujus Sacramenti, ideſt baptiſmi, & matrimonii eſſe omnes homines; conficientes inquam, non miniſtrantes, nam ſi loquamur de Euchariſtia, quam eſſe Sacramentum permanens in proprio tractatu demonſtrabo, ſive Angelus, ſive anima ſeparata miniſtret, Sacramenti valorem nullatenus adimit, cum ſupponatur jam prius valide peractum, neque ejuſdem effectum prohibet, vel limitat, cum iſte non dependeat ab illo, qui Sacramentum porrigit, ſed ab illo, qui ſuſcipit; contrarium tamen cenſendum eſt in aliis Sacramentis, in quibus, cum conſiſtant in uſu, idem eſt Miniſter, & conficiens.

30. Primo igitur aſſerimus, ſolum homi-

hominem eſſe Miniſtrum Sacramentorum.

Prob. Ille tantum cenſendus eſt Miniſter novæ legis Sacramenta conficiens, quem Chriſtus Sacramentorum inſtitutor, determinavit, quia ab eo determinanda ſunt ea, quibus Sacramenta perficiuntur, & ſicut hoc valet de materia, & forma, ita etiam de Miniſtro, cum ex hiſce tribus Sacramenta perfici, pluries jam ex Florentino dixerimus, præſertim quia Miniſter operatur tanquam Chriſti inſtrumentum; ſed Chriſtus Sacramenta inſtituendo ſolos homines determinavit; ergo. Ad minorem declarandam, perpendamus, quibus dictum ſit Mat. 28. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, &c.* quibus Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem*; quibus Jo. 20. *Quorum remiſeritis peccata, &c.* & cum iſti ſoli homines fuerint, ſolis etiam hominibus datum eſſe Sacramentorum miniſterium, compertum habebitur. Hinc Paulus 1. ad Corint. 4. ipſos vocat: *Miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei*; & ad Hebr. 5. dixit: *Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus conſtituitur in iis, quæ ſunt ad Deum.* Hæc omnia conſideravit Joan. Chryſoſt. & lib. 3. de Sacerdot. inquit: *Qui terram incolunt, in eoque commorantur, ad ea, quæ in Cælis ſunt diſpenſanda commiſſi ſunt, poteſtatemque acceperunt, quam, neque Angelis, neque Archangelis dedit Deus: neque enim illis dictum eſt, quæcumque ligaveritis in terra, &c.*

31. Accedunt rationes ſatis congruæ. Prima eſt; quia Chriſtus, Pontifex ſummus, fuit Sacramentorum author, & verus homo; ergo etiam ſolus homo erit Sacramentorum Miniſter, ut ſit proportio inter cauſam principalem, & inſtrumentariam. Secunda eſt, quia, cum debeat ordo ſervari inter collatorem Sacramentorum, & inter ſuſceptorem, ſicuti ſolus homo eſt ſuſceptor, ita ſolus homo eſt collator. Tertia eſt, quia omnia Sacramenta ſunt ſenſibilia, & conſtant ſenſibili verborum prolatione; ergo ſenſibilis debet eſſe Miniſter, & hic eſt ſolus homo, cui ſoli convenit propria & naturalis verborum prolatio.

32. Quod vero dictum eſt de Angelis, intelligendum eſt etiam de anima ſeparata, cum neque de iſta affirmari poſſit ratio hominis, ſed tantum pars hominis. Si vero iterum ſuo corpori uniretur, vel hoc corpus eſſet impaſſibile & glorioſum, vel paſſibile, & mortale; ſi primo modo conſideretur, pendet reſolutio ex eo, quod ſtatuatur, utrum poteſtas conficiendi Sacramenta ſit affixa ſtatui viæ, nec ne. Affirmative ſentiunt Lugus, Coninch. & alii, negative Suarez, Gonet. & Madern. Certe utraque pars ſuo fundamento non caret. Pro prima dicerem, Chriſtum, dum inſtituit Sacramenta, ſolos homines viatores fuiſſe alloquutum, qui etiam tantummodo pro Sacramentis ſuſcipiendis habitudinem ſervant, & capacitatem; Secundo, quia incongruum videtur, Sacerdotem & Epiſcopum damnatum poſſe valide vel Euchariſtiam conficere, vel confirmationem conferre. Pro ſecunda dicerem, Chriſtum commiſiſſe poteſtatem conficiendi Sacramenta, hominibus abſolute, nec in aliquo ſcripturæ textu requiri conditionem hominis viatoris; quem ſi tantum alloquutus eſt, hoc per accidens contigit, cum ibi non adeſſent, niſi homines viatores, &, ſicut homines, licet comprehenſores retinent characterem ſacramentalem, ita retinere poteſtatem Sacramenta conficiendi; atque hoc videtur docuiſſe S. Th. hic artic. 7. ad 2. Si vero corpus eſſet paſſibile, & mortale, nullam invenio dubitandi rationem, anima enim ſeparata iterum conjuncta corpori eſſet verus homo, & homo viator, in quo ſtatu ſicut poteſt Sacramenta ſuſcipere, ita conferre.

33. Plura contra id, quod dictum eſt de Angelis ſibi opponit S. Th. quæ omitto, utpote leviſſima, & tantum duo proponam, quibus Lutherus innititur.

titur. Primum eſt, Sacramentorum dignitatem non dependere à qualitate alicujus perſonæ, ſed à divina authoritate ac ordinatione, ergo ſive ſit homo, ſive Angelus bonus, ſive malus, dummodo Chriſti ſervet inſtitutionem, poteſt Sacramenta conficere. Secundum eſt, quia ſi Judas, qui erat Diaboli membrum, hujuſmodi facultate non caruit, quare Diabolus ipſe carebit?

34. In argumento priori verum dicitur; ſed quia conditio illa: *dummodo Chriſti ſervet inſtitutionem*; nec in bonis, nec in malis Angelis ſervatur, quia Chriſtus Sacramenta inſtituendo ſolis hominibus id contulit, ſicut oſtendimus, ideo fruſtra proponitur. Ad ſecundum, reſpondemus, utique Judam fuiſſe membrum Diaboli, ſicut ſunt omnes peccatores; at ipſi non fuit data poteſtas conficiendi Sacramenta, ut membrum Diaboli erat, ſed ut homo, & Chriſti Miniſter erat; & ideo, quod Judæ conveniebat, nequaquam Diabolo datum eſt.

35. Quæ hactenus dicta ſunt, valent de Miniſtro ordinario; ſi autem ſermo ſit de lege extraordinaria, & juxta peculiarem Dei diſpenſationem, tam Angeli, quam anima ſeparata Sacramenta novæ legis conficere poſſunt, ſi tamen excipiatur matrimonium, quod ſubſtantiis ſpiritualibus nullo pacto convenire poſſe manifeſtum eſt; in illorum tamen ſententia, qui aſſerunt, Miniſtros hujus Sacramenti eſſe ipſos contrahentes; Aſſertio hæc communiſſime recepta eſt, nec alium Doctorem in oppoſitum inveni præter Auguſtinum Bernal penes Gonetum, arbitrantem, Angelos eſſe poſſe Miniſtros extraordinarios quantum ad diſtributionem Euchariſtiæ, non quantum ad conſecrationem, cum verba ab ipſis prolata non eſſent ejuſdem ſpeciei cum noſtris, quod tamen non officit; etenim verba conſiderari poſſunt, vel ut ſoni vitales, vel ut ſignificativi; ſi priori modo, fateor, Angelos voces humanas efformare non poſſe; non ita ſecundo modo, & hoc conficiendis Sacramentis ſufficit, cum non alio modo ad Sacramenta concurrant, quam in genere ſigni, cum intentione nimirum aliquid ſignificandi, quod Angelis, & animæ ſeparatæ convenire poſſe, non poteſt in dubium revocari. Ratio autem aſſertionis eſt, quia, quod de facto, & juxta legem ordinariam homines ſint Miniſtri conficientes, non exigitur ex natura Sacramenti, ſed ex ſola vel Dei, vel Chriſti voluntate; igitur etiam ex Dei, vel Chriſti voluntate fieri poteſt, quod ab aliis creaturis rationalibus Sacramenta conficiantur.

36. Ex iſtis facile reſolventur plura, quæ inveniuntur apud Hiſtoricos, ut quod Angeli Euchariſtiam miniſtraverint, quod aliquod in Templum, vel in Epiſcopum aliquem pium virum conſecraverint, ut de Sancto Anphilochio narrat Niceph. lib. 11. hiſtor. cap. 20. quod, ſicut poteſtas extraordinaria conficiendi Sacramenta communicari poteſt non homini; ita poteſt communicari non baptizato, non Sacerdoti, non Epiſcopo; & tandem hoc etiam ad Angelos malos, vel homines damnatos extendi poſſe, cum voluntas divina in Sacramentorum miniſterio committendo non ſit affixa alicui qualitati, vel conditioni perſonæ.

37. Aſſerimus ſecundo; quemlibet hominem Chriſtianum, excepto baptiſmo in caſu neceſſitatis, non eſſe Miniſtrum idoneum Sacramentorum; ſed illos ſolùm, qui per legitimam ordinationem poteſtatem miniſtrandi acceperunt.

Hujus aſſertionis probatio hic ex inſtituto apponenda non eſt, cum de hac re dicendum ſit, ubi de quolibet Sacramento peculiariter inſpecto diſputationes proponam; aliqua tamen generatim afferam, ex quibus ſatis fiet manifeſta.

Occurrit autem primo loco id, quod ait Apoſt. ad Epheſ. 4. ubi aſſerit, plura in Chriſti Eccleſia eſſe munera, quæ omnibus nequaquam conveniunt: *Unicuique*, inquit, *data eſt gratia ſecundum*

dum menſuram donationis Chriſti; deinde ſubdit: *Ipſe dedit quoſdam Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios vero Evangeliſtas, alios autem Paſtores, & Doctores ad conſummationem Sanctorum in opus miniſterii*; atque idem ferme dixerat ad Rom. 12. verbis illis: *Sicut in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eumdem actum habent, ita multi unum corpus ſumus in Chriſto, ſinguli autem alter alterius membra*; *habentes autem donationes ſecundum gratiam, quæ data eſt nobis, differentes, ſive prophetiam ſecundum rationem fidei, ſive miniſterium in miniſtrando, ſive qui docet in doctrina, &c.* quod 1. ad Corint. 12. demonſtrat exemplo dicens: *Si totum corpus oculus, ubi auditus? ſi totum auditus, ubi odoratus? nunc autem poſuit Deus membra, unumquodque eorum in corpore, ſicut voluit*, quaſi diceret, in corpore naturali omnia membra non eadem pollent facultate, non eodem funguntur munere; ergo neque membra myſtica, ut ſunt Chriſtiani, in corpore myſtico, ut eſt Eccleſia.

38. Occurrit ſecundo, quod in Apoſtolis factum eſt; Joan. 4. legitur, ipſos à Chriſto baptizatos fuiſſe, aut ſaltem ipſos baptizaſſe, utique cum jam baptizati eſſent, ut ratio ſuadet, & Auguſtinus oſtendit epiſt. 108. ad Seleucianum; nec tamen tunc facultatem conſecrandi Euchariſtiam acceperunt, quæ ipſis tantum collata fuit, quando Luc. 22. dictum eſt illis: *Hoc facite in meam commemorationem*; & rurſus tunc abſolvendi poteſtatem non habuerunt, ſed tantum, cum Joannis 20. audierunt: *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*; ergo falſum eſt accipi in baptiſmo facultatem pro cæteris Sacramentis adminiſtrandis.

39. Quod ſi in lege Moyſis nequaquam omnes poterant ſe ſacris immiſcere, nec Sacerdotio fungi, ſed hoc tantum ad Sacerdotes pertinebat, & ad eos, qui erant de ſtirpe Aaron; unde Ozias Rex, qui munus hoc ſibi uſurpare auſus eſt, tam ſevere punitus fuit; quid dicendum in lege nova, in qua ſacrificium eſt adeo perfectius, & Sacramenta excellentiora? Juxta hæc dixit Paulus ad Hebr. 5. *Nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo tanquam Aaron*; & proſequitur: *Sic & Chriſtus non ſe ipſum clarificavit, ut Pontifex fieret, &c.* Porro honorem aſſumere, non eſt uti poteſtate; ſed habere poteſtatem, & in omnibus adductis teſtimoniis de poteſtate ſermo eſt, nequaquam de exercitio.

40. Hæc tenens Oſius Cordubenſis hiſce verbis ſcripſit ad Conſtantium Imperatorem: *Ne te immiſceas rebus Eccleſiaſticis, neve nobis his de rebus præcepta mandes; ſed à nobis potius hæc ediſcas. Tibi Deus imperium tradidit, nobis Eccleſiaſtica concredidit; ac quemadmodum qui tibi imperium ſubripit, Dei ordinationi repugnat; ita metue, ne ſi ad te Eccleſiaſtica pertrahas, magni criminis reus ſias.*

Merito propterea concludamus cum Concilio Tridentino ſeſſ. 7. can. 10. *Si quis dixerit, Chriſtianos omnes in verbo, & omnibus Sacramentis adminiſtrandis habere poteſtatem; anathema ſit.*

41. Opponit Lutherus primo nonnullas Scripturas, quibus, omnes Chriſtianos Sacerdotes eſſe, probare contendit. 2. ad Corint. 3. *Qui idoneos nos fecit Miniſtros novi Teſtamenti.* 1. Petri 2. *Tanquam vivi lapides ſuper ædificati in Sacerdotium ſanctum*; rurſus: *Vos autem genus electum, regale Sacerdotium*; & denique: *Ut virtutes annuntietis ejus, qui vos vocavit de tenebris in admirabile lumen ſuum.* Apocal. 5. *Feciſti nos Deo noſtrum regnum, & Sacerdotium*; & 20. *Erunt Sacerdotes Dei, & Chriſti ejus*; ſequitur igitur, omnes Chriſtianos Sacerdotes eſſe, atque in baptiſmo omnem facultatem habere.

42. Reſp. in primo textu Paulum loqui de aliis Apoſtolis, ac de ſe ipſo, non autem de omnibus Chriſtianis ex eodem loco manifeſtum eſt; numquid enim

enim de omnibus Chriſtianis affirmari poteſt id, quod ſub initio ejuſdem capitis ſcribit, dicens: *Incipimus noſmetipſos commendare? aut egemus, ſicut quidam, commendatitiis litteris ad vos, aut ex vobis?* Qui ſanæ mentis eſt, nequaquam hoc aſſeret; at ulterius perpendamus, ibi ab Apoſtolo comparationem fieri inter Teſtamentum novum, & vetus, & inter Miniſtros illius, & iſtius, illud quidem miro modo ſuperextollendo; inquit enim: *Idoneos nos fecit Miniſtros novi Teſtamenti non littera, ſed ſpiritu; quod ſi miniſtratio mortis litteris deformata in lapidibus, fuit in gloria, ita ut non poſſent intendere filii Iſrael in facie Moyſi, &c.* Quapropter ſicut Miniſtri Teſtamenti veteris non fuerunt omnes Hebræi; ita neque Miniſtri Teſtamenti novi erunt omnes Chriſtiani, & redit quod dictum eſt num. 39.

Ad ſecundum, tertium, quintum, & ſextum locum illa perperam quis intelligeret, ſi explicare vellet de Sacerdotio, & Sacrificio proprie dicto, cum tantum ſermo ſit de ſarificio ſpirituali, quo offeruntur Deo opera bona, laudes, & orationes, de quibus dictum eſt Pſ.50. *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus*; & alibi: *Sacrificium laudis honorificabit me*; quod quidem manifeſte colligitur ex contextu, legitur enim: *Tanquam vivi lapides ſuperædificamini, domus ſpiritualis, Sacerdotium ſanctum, offerre ſpirituales hoſtias, acceptabiles Deo, &c.* & in toto capite fideles monet, ut abſtineant à carnalibus deſideriis, in bonis operibus ſe exerceant, fraternitatem diligant, Deum timeant, & benefacientes obmuteſcere faciant imprudentium hominum ignorantiam, & alia hujuſmodi, quæ quiſque viderit; En igitur Sacerdotium pertinens ad omnes, qui Chriſtum in baptiſmo profeſſi ſunt; at ſi de hoc Lutherus loquatur, nulla controverſia, ſed quid hoc cum Sacramentorum conficiendorum poteſtate? Totum hoc ad mentem noſtram exponit etiam S. Auguſtin. in Pſal. 94. dicens: *Anima noſtra eſt ara Dei, ſacrificium Dei quid eſt? Forte hoc facimus modo, imponimus in ara ſacrificium, quando Deum laudamus.* Alia tamen explicatio, nunquam tamen ad mentem Lutheri colligitur ex eodem Sancto Doctore lib. 20. de Civit. cap. 10. ubi ait: *Sicut omnes Chriſtianos dicimus propter myſticum chriſma, ſic omnes Sacerdotes, quoniam membra ſunt unius Sacerdotis, nempe Chriſti.* Quod ſi ex textu laudato Apocal. 5. aliquid inferretur, dicant ergo Lutherani, omnes Chriſtianos eſſe etiam Reges; ſi hoc per metaphoram dicas, verum affirmas, quia deordinatis affectibus dominari debent, & ſe à terrenarum rerum ſervitute liberare, ſi juxta litteralem ſenſum, falſitas ſatis eſt nota. Quanquàm juxta litteram Joannes in utroque loco loquatur de ſacerdotio, & regno beatorum in Cœlo, quod in laudibus Deo offerendis ſitum eſt, ut illa capita legenti conſtabit.

Quantum vero ad illa verba, ut *virtutes annuntietis ejus, qui vos vocavit de tenebris in admirabile lumen ſuum*, non video, cur ad ſuum errorem confirmandum afferantur à Luthero, niſi fortaſſe ut probet, etiam mulieres poſſe concionari, quod ad præſentem noſtram quæſtionem non eſt; nihil autem ex illo textu evinci poteſt, niſi Chriſtianos agere debere gratias Deo, atque hunc propter accepta beneficia laudare; ſicut & fecerunt Hebræi poſt tranſitum maris rubri liberati ab Ægypto; poſſunt autem virtutes Dei annuntiari etiam ſanctis operibus, quæ ſunt ad inſtar concionis ad Deum glorificandum alios excitantis, juxta illud Mat. 5. *Videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in Cœlis eſt.*

43. Opponit ſecundo Chriſtum eſſe Sacerdotem in æternum ſecundum ordinem Melchiſedec ex Pſal. 109. Cum igitur omnes baptizati ſint fratres Chriſti, omnes erunt Sacerdotes, ſicuti omnes fratres Aaronis Sacerdotes erant. Præterea baptizati habent ſpiritum Chri-

Chriſti; ſed ubi eſt Spiritus Chriſti eſt omnium poteſtas, & libertas, ergo.

Reſp. ex priori argumento nihil concludi, Sacerdotium enim Chriſti non eſt Aaronicum, ſed ſecundum ordinem Melchiſedec, in quo ſolus primogenitus erat Sacerdos; deindè, etiam in Sacerdotio Aaronico omnes fratres naturales erant Sacerdotes non adoptivi; baptizati autem non ſunt Chriſti fratres naturales, ſed tantum adoptivi, & per gratiam; Ad ſecundum; ſi res ita eſt, cur igitur baptizati omnes futura non prædicunt; miracula non efficiunt, linguis omnium non loquuntur? Secundo; non omnes baptizati habent Spiritum Chriſti, multi enim ſine fide, & pœnitentia ad baptiſmum accedunt, quibus Chriſti Spiritus non conceditur; multi etiam in peccata prolabentes Spiritum Dei amittunt, quin tamen amittant baptiſmum; Tandem; baptizati habent Spiritum Chriſti, quatenus à peccato liberati ſunt ejus filii, & fratres conſtituti per gratiam; habent tamen hunc ſpiritum ſecundum menſuram donationis Chriſti juxta ea, quæ diximus num. 37. ex doctrina Pauli.

Reliqua, quæ poſſent opponi, in propriis locis perpendentur.

ARTICULUS IV.

An ad valorem Sacramnti requiratur fides in Miniſtro.

44. Vetuſtiſſima hæc controverſia, eſt excitata nimirum tertio Eccleſiæ ſæculo in Aſia & Africa, ubi ſtatutum receptumq; fuit, Sacramenta, quæ ab hæreticis, & ſchiſmaticis conferebantur rata & valida nequaquam eſſe, ut teſtantur Euſeb. lib. 7. hiſt. cap. 2. & 6. & Auguſtin. lib. 2. de baptiſmo cap. 7. ubi etiam indicat, hujuſce dogmatis authorem fuiſſe Agrippinum Carthaginenſem Epiſcopum, & clarius id aſſeritur à Vincentio Lirinenſi in libro contra Porph. & in commonitorio; imo à S. Cypriano in epiſ. ad Jubajanum.

45. Solet nihilominus id tribui Cypriano, qui in epiſcopatu ſucceſſor fuit Agrippini, nec immerito; quippè ille fuit, qui plures de hac re ſcripſit epiſtolas, & tria Concilia Carthaginenſia celebravit, unum an. 255. cui interfuerunt Epiſcopi 32. Alterum anno ſequenti Epiſcoporum 71. quo ſynodicam ad Stephanum Romanum Pontificem ſcripſit epiſtolam, in qua quidquid in eo Concilio pertractatum, ac ſtatutum erat, refert, & narrat; Tertium denique eodem anno ex Epiſcopis Africæ, Numidiæ, ac Mauritaniæ 87.

46. Stephanus Papa accepta à Cypriano laudata epiſtola, reſcripſit, Sacramenta, ab infidelibus collata, rata & valida habenda eſſe, atque in hac re nihil eſſe innovandum; additis etiam pluribus comminationibus adverſus eos, qui huic ſuo decreto minime acquieſcerent; Quo factum eſt, ut ſtylo in Stephanum ſatis acri in tertio memorato Concilio Cyprianus egerit, ac præfatus fuerit; & quidem rationes, quibus utebatur tam firmæ, ac perſtringentes videbantur, ut Auguſtin. lib. 3. de baptiſm. cap. 4. affirmaverit in hæc verba. *Quid ad Jubajanum ſcripſerit Cyprianus, jam legi, & profectò iſſem in eandem ſententiam, niſi me ad diligentiorem conſiderationem revocaret tanta auctoritas Eccleſiæ*; & prius lib. 2. cap. 8. dixerat, eas *veras quidem non fuiſſe, at non victas*; etenim Stephanus ſola conſuetudine, ac traditione oppoſitum contendebat; Qua in re videant hæretici, quantum traditioni præſtandum ſit obſequii, & auctoritatis.

47. Quamvis vero ita inter Stephanum & Cyprianum res agerentur, pacem tamen cum Eccleſia Cyprianus ſervavit, quæſtionem hanc exiſtimans non ad fidem pertinere, ſed ad diſciplinam, quod manifeſtum ex iis fit, quæ ipſe Cyprianus in variis epiſtolis ſcripſit; in 72. ad Stephanum hæc habet. *Nos vim cuiquam non facimus, aut legem damus, cum habeat in Eccleſiæ adminiſtratione volunta-*

luntatis ſuæ arbitrium liberum unuſquiſque Præpoſitus, rationem actus ſui Domino redditurus, & in alia ad Jubajan. *Nos, quantum in nobis eſt, propter hæreticos cum Collegis, & Coepiſcopis noſtris non contendimus, cum quibus divinam concordiam, & dominicam pacem tenemus ... ſervatur à nobis patienter & firmiter charitas animi, Collegii honor, vinculum fidei, & concordia Sacerdotii*. Adnotavit hoc S. Auguſtin. dicens, erraſſe quidem Cyprianum, quia nondum à plenario Concilio quidpiam ſtatutum erat, ita vero erraſſe, ut Eccleſiæ unitatem diſruperit nunquam; *Rebaptizare hæreticos, tunc fuit humani erroris, rebaptizare autem Catholicos ſemper eſt diabolicæ præſumptionis*, ait lib. de unico baptiſ. cap. 3. contra Donatiſt. & lib. 2. contra eoſdem cap. 3. inquit; *Vos certe nobis objicere ſoletis Cypriani litteras, Cypriani ſententiam, Cypriani Concilium: cur auctoritatem Cypriani pro veſtro ſchiſmate aſſumitis, & ejus exemplum pro Eccleſiæ pace reſpuitis?* Quod ſi Sanctus Cyprianus in epiſt. ad Jubaja: aſſerit, ſententiam ſuam eſſe veram, revelatam, & à divina traditione dimanantem, hoc tantum dicit per illationem, & arguitive, non vero formaliter, & expreſſe. Verum, quidquid ſit, noſtri modo muneris non eſt Cyprianum defendere, ſed tantum brevem aliquem facti hiſtoriam prorſus non omittere.

48. Quo pacto vero contrarium ſenſerit Stephanus, an nimirum quæſtionem de baptiſmo, ab hæreticis dato, ad fidem ſpectare exiſtimaverit, & re ipſa ſua communione privaverit Cyprianum, & reliquos rebaptizantes; inter quos præcipuus Firmilianus Orientalis Epiſcopus, non levis eſt quæſtio. Quantum ad primum nihil ſtatuere, aut dicere placet, cum ad Cypriani laudem non conferat; nec ad dogmatis veritatem pertineat; quantum verò ad ſecundum exiſtimo, Stephanum comminatum quidem fuiſſe, attamen reipſa communione ſua nequaquam privaſſe. Idque primo colligo ex S. Auguſtino lib. 5. de baptiſ. cap. 25., *Stephanus*, ſcribit, *abſtinendos putaverat, qui de ſuſcipiendis hæreticis priſcam conſuetudinem convellere conarentur, iſte autem quæſtionis ipſius difficultate permotus, & Sanctis viſceribus charitatis præditus, in unitate cum eis manendum, qui diverſa ſentirent. Ita quamvis commotius, ſed tamen fraterne indignarentur, vicit tamen pax Chriſti in cordibus eorum, ut nullum inter eos ſchiſmatis malum oriretur*: & lib. de unico baptiſm. cap. 14. *Cum ergo Stephanus non ſolum non rebaptizaret hæreticos, verum etiam hoc facientes, vel ut fieret, decernentes, excommunicandos eſſe cenſeret, tamen cum eo Cyprianus in unitatis pace permanſit, nec ulla facta eſt à Cypriano, & eis, qui pariter de baptiſmo ſentiebant, ab illorum communione diviſio*. Secundo idem evinco ex Euſebio lib. 7. hiſt. cap. 3. hæc ſcribente. *Primus omnium Cyprianus, qui tunc temporis Carthaginenſium regebat Eccleſiam, nonniſi per baptiſmum ab errore prius emundatos, admittendos eſſe cenſuit. Verum Stephanus, nihil adverſus traditionem, quæ jam inde ab ultimis temporibus obtinuerat, innovandum ratus, graviſſimè id tulit*. Denique Vincent. Lirinen. in Commonit. cap. 9. ait *Cum ergo undique ad novitatem rei cuncti reclamarent, atque omnes quaqua verſum Sacerdotes pro ſuo quiſque ſtudio reniterentur, tunc beatæ memoriæ Papa Stephanus Apoſtolicæ ſedis Antiſtes, cum cæteris quidem collegis ſuis, ſed tamen præ cæteris reſtitit, dignum, ut opinor, exiſtimans, ſi reliquos omnes tantum fidei devotione vinceret, quantum loci auctoritate ſuperabat*. Sed iſta ſatis.

49. Sæculo 4. fuerunt Donatiſtæ, qui pertinaciſſime docuerunt, nullum eſſe baptiſmum ab hæreticis collatum, imo neque à malis Chriſtianis, ſed de iſtis, aliiſque dicendum erit in ſequenti. Interim deveniendo ad propoſitam difficultatem.

Di-

Dicendum;ad valorem Sacramenti non eſſe neceſſariam fidem in Miniſtro.

Prob.primo ex definitionibus Conciliorum, in quibus oppoſitum damnatum eſt; Se offert Nicænum primum, de quo ait Hieronymus in ultimo Dialogo contra Luciferianos, *Synodus quoque Nicæna omnes hæreticos ſuſcipit exceptis Pauli Samoſateni diſcipulis*. In canone autem ejuſdem 19. hæc habentur. *De Paulianiſtis ad Eccleſiam Catholicam confugientibus, definitio prolata eſt, ut iterum baptizentur omnimodis*. Quod ideo factum eſt, quia baptiſmi formam non ſervabant, non quia fides in ipſis deeſſet, ut ait Auguſtin. lib. de hæreſibus cap. 44. & teſtatur Innoc. I. in epiſ. ad epiſc. Macedon. cap. 5. Idem ſtatutum fuit in Concil.Carthag.I. tempore Conſtantini, in quo cano.1. ſtatuitur contra Donatiſtas prohibitas eſſe rebaptizationes, cujus Concilii meminit S. Auguſtin. lib.2. de baptiſ. contra eoſdem cap. 2. Idem in Laodiceno can. 7. ubi præſcribitur tantum, hæreticos, qui ad Eccleſiam convertuntur, non eſſe admittendos, *niſi prius omnem hæreſim anathematizaverint, & præſertim eam, in qua detinebantur ... fidei ſymbola diſcentes, & Sancto Chriſmate injunctos, ſic Sancto Myſterio communicare*, ubi nulla baptiſmatis dandi legitur mentio, quod actum non fuiſſet, ſi baptiſmus priùs collatus fuiſſet invalidus. Idem in Concilio Conſtantinopolitan. I. in quo can. 7. recenſentur hæretici quos rebaptizari oportet, & alii qui ſine novo baptiſmo recipiendi ſunt. Idem prætermiſſis aliis, in Concilio Conſtantien. ſeſſ.8. & tandem quod unum ſufficeret, Trident.ſeſſ.7. can.4.ita definit; *Si quis dixerit, baptiſmum, qui etiam datur ab hæreticis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, cum intentione faciendi quod facit Eccleſia, non eſſe verum baptiſma, anathema ſit*.

50. Neque certe aliter definiri poterat, cum hæc fuerit conſtans, ac perpetua Sanctorum Patrum traditio, quæ etſi in Aſia, & in Africa aliquantulum fuit obſcurata, non fuit tamen prorſus deleta. Auguſtin. lib.1. de baptiſ. contra Donatiſ. cap. 7. ait *Nondum erat diligenter illa Baptiſmi quæſtio pertractata, ſed tamen ſaluberrimam conſuetudinem tenebat Eccleſia, in ipſis quoque hæreticis, & ſchiſmaticis corrigere quod pravum eſt, non iterare quod datum eſt; ſanare quod vulneratum eſt, non curare quod ſanum eſt; Quam conſuetudinem credo ex Apoſtolica traditione venientem*. Hieronym. in dial.adverſus Luciferian. hanc veterem traditionem fatetur, dicens; *Si negandum quiſpiam putaverit, hæreticos à majoribus noſtris ſemper fuiſſe ſuſceptos, legat Beati Cypriani epiſtolas, in quibus Stephanum Romanæ Urbis Epiſcopum, & inveteratæ conſuetudinis lacerat errorem*. Præ omnibus verò Vincentius Lyrinen. de Agrippino loquens ita ſcribit. *Primus omnium mortalium contra divinum canonem, contra Eccleſiæ univerſalis regulam, contra ſenſum omnium conſacerdotum, contra morem, & inſtituta majorum, rebaptizandum eſſe, cenſebat*; Et inferius addit; *Quis ergo tunc univerſi negotii exitus, quis utique, niſi uſitatus, & ſolitus? retenta eſt ſcilicet antiquitas, exploſa novitas; ſed forte tunc ipſi novitiæ adinventioni patrocinia defuerunt? Imo vero tanta vis ingenii adfuit, tanta eloquentiæ flumina, tantus aſſertorum numerus, tanta veriſimilitudo, tanta divinæ legis oracula, ſed plane novo, ac malo more intellecta, ut mihi omnis illa conſpiratio nullo modo deſtrui poſſe videatur, niſi ſolam tanti Moliminis cauſam ipſa illa ſuſcepta, ipſa defenſa, laudata novitatis profeſſio deſtituiſſet*.

Alia momenta etiam à ratione deſumpta proferam in ſequenti difficultate.

ARTICULUS V.

Rejiciuntur argumenta contraria.

51. Opp. 1. afferendo teſtimonia Patrum; S. Athanaſ. ſerm. 3. contra Arianos, horum baptiſma vanum, & inutile vocans, ita ſubjungit; *Sicut creatura diverſum quid eſt à Filio, ita diverſum quiddam eſt, quod ab illis dari exiſtimatur, tametſi nomen Patris, & Filii, quia illa in ſcripturis vident, ſimulent, ſe nominare. Non enim qui ſimpliciter ait, Domine, eſt, qui legitimum tribuit baptiſmum, ſed qui nomen exprimit, & rectam fidem habet, ideoque Salvator, non quovis modo baptizandum præcepit, ſed prius dixit, docete, deinde baptizate, ut ex doctrina recta fides crearetur.*

Gregorius Nazianz. orat. 40. docet, quemlibet baptizare poſſe, *dummodo non aperte condemnatus ſit, & à fide alienus*; & poſt pauca: *Quivis tibi initiator eſt, qui modo eadem fide informatus ſit.*

Baſilius Magnus epiſt. 2. ad Amphiloch. cap. 47. ſic loquitur: *Si prohibita eſt apud vos hæc rebaptizatio, ſicut & Romanis, alicujus œconomiæ cauſa; noſtra tamen ratio vires obtineat, quandoquidem eſt veluti Marcioniſtarum germen eorum hæreſis, nuptias abhorrentium, & vinum averſantium, & Dei creaturam inquinatam eſſe dicentium, eos in Eccleſiam non admittimus, niſi in noſtrum baptiſmum baptizati fuerint; ne dicant enim, in Patrem, & in Filium, & in Spiritum Sanctum baptizati ſumus, qui quidem malorum Deum eſſe effectorem exiſtimant, inſtar Marcionis, & reliquarum hæreſum; quamobrem ſi hoc placuerit, oportet plures convenire Epiſcopos, & ſic canonem exponere, ut & is, qui ſic fecit, ſit extra periculum, & qui reſpondet, in reſponſione de his fide dignus habeatur.* In epiſt. vero prima ad eundem cap. 1. ſic ait: *Quoniam nonnullis Aſiaticis viſum eſt propter multorum œconomiam & diſpenſationem, eorum baptiſma ſuſcipi, ſuſcipiatur.* In illorum igitur ſententiam propendit.

Cyrillus Hieroſolymit. præfat. in Catacheſ. inquit: *Non licet, bis vel ter hoc lavacro uti, ut ſi forte ſemel fueris eo fruſtratus, deinceps corrigas.... ſoli Hæretici rebaptizantur, ſiquidem prius illud non erat baptiſma.*

Et notandum eſt, ante iſtos Sanctos Patres Concilium Nicænum 1. fuiſſe celebratum, & nihilominus ita fuiſſe locutos, ex quo inferri poſſet, in eo Concilio nihil de hac re fuiſſe definitum.

52. Reſp. ſi ad litteram admittendum foret Athanaſii teſtimonium, baptiſma foret invalidum, niſi doctrina de recta fide præcederet, perpendantur poſtrema verba, & hoc concludatur, neceſſe eſt; loquitur ergo laudatus Doctor in eo ſenſu, quem præmiſerat; præmiſit enim: *Ariani veniunt in periculum, ne amittant integritatem myſterii, loquor autem de baptiſmate*; & hoc quidem aſſerebat, quia facile poterant formam eſſentialem corrumpere dicendo, in nomine creatoris, & creaturæ, ſicut eorum hæreſis proferebat, in quo caſu certe baptiſmus fuiſſet invalidus; & etiam loquitur de nullo fructu baptiſmi, quia conferebatur iis, qui ipſorum hæreſi adhærebant, in quo ſenſu ſunt etiam intelligendi plures alii Sancti Patres, dicentes, baptiſmum Hæreticorum eſſe nullum. Et certe, de Athanaſio nemini licet ſuſpicari, etenim in epiſt. ad Rufinianum vult veniam concedi baptizatis ab Arianis, & Clericis tantum honorem gradus denegari; in Concilio vero Alexandrino, nihil ab ipſis exigit, niſi ut Arianam hæreſim execrentur, & Nicænam fidem confiteantur.

Eodem pacto explico Gregorium Nazianzenum.

53. Major difficultas eſt juxta mentem Baſilii; videtur enim Cypriani, ac Firmiliani partem ſuſcepiſſe; ideo non deſunt Doctores Theologi, qui dicant, Baſi-

Baſilium eſſe deſerendum; ipſumque putaſſe, ſententiam noſtram nondum fuiſſe definitam, atque ideo Concilium aliquod, in quo definiretur, poſtulaſſe. Neque obſtat, tunc fuiſſe celebratum Concilium Arelatenſe 1. circa ann. 314. & Nicænum 1. circa annum 325. Baſilium vero eſſe mortuum circa ann. 379. proinde hæc debuiſſe eſſe nota Baſilio, atque in illis ſtatutum eſſe, Hæreticorum baptiſma non eſſe iterandum; etenim, ſi de Arelatenſi loquamur, utpote in Gallia celebratum, potuit Baſilio non innoteſcere; ſi vero de Nicæno; hoc non definit expreſſe, ſed ſolum dicit de Paulianiſtis, de reliquis vero nos illative ratiocinamur; vel melius dici poteſt, illius Concilii plures canones Baſilium latuiſſe, cum etiam vivente Athanaſio plures fuerint vel corrupti, vel occultati. Cæterum etiam baptiſmum Marcionis validum fuiſſe, ſi in eo fiebat expreſſio Trinitatis alibi cum S. Auguſtino docuimus.

Quantum ad S. Cyrillum, dicendum, ab eo illud baptiſma rejectum fuiſſe, in quo ſtatuta à Chriſto forma non retinebatur, manifeſtum eſt hoc, quia Cyrillus ſubſcripſit Concilio Conſtantinopolitano ſecundo, cui interfuit; laudatum autem Concilium can. 7. illorum tantum Hæreticorum baptiſma reprobat, qui formam adulterabant.

54. Atque hic advertas oportet, quod etſi unus, vel alter ex Patribus contrarium ſentiret, attamen hoc Eccleſiæ traditionem non deſtrueret; ut enim admonet Vincentius Lirinenſ. in commonit. cap. 39. *Hac lege credendum eſt, ut quidquid vel omnes, vel plures uno eodemque conſenſu, manifeſte, frequenter, perſeveranter velut quodam ſibi conſentiente Magiſtrorum concilio, accipiendo, tenendo, tradendo firmaverunt, id pro indubitato, certo ratoque habeatur; quidquid vero ille ſanctus, & doctus, quamvis Epiſcopus, quamvis Confeſſor, & Martyr, præter omnes, aut etiam contra omnes ſenſerit, id inter proprias, & privatas, & occultas opiniunculas à communis & publicæ generalis ſententiæ auctoritate ſecretum eſt.*

55. Afferri etiam ſolet quidam can. 45. quem inter Apoſtolicos recenſent, in quo hæc leguntur: *Epiſcopum, aut Presbyterum, Hæreticorum ſuſcipientem baptiſma, damnari præcipimus; quæ enim conventio Chriſti ad Belial? quæ pars fidelis cum infideli?*

Verum aut canon iſte, ſicut & alii plures, qui falſò Apoſtolici inſcribuntur, ſuppoſititius eſt, & tribuendus Concilio Iconienſi, vel Synadenſi; aut etiamſi admittatur, aliud non probat, niſi puniendos eſſe Epiſcopos, vel Presbyteros illos, qui Hæreticos admittunt ad Sacramenta miniſtranda, quod ſemper vetitum fuit, non autem quia Sacramenta ipſorum ſint invalida.

56. Opp. 2. rationibus; & quantum ad Hæreticos pertinet, ad duo capita revocari poſſunt; cætera enim, quæ communia ſunt etiam malis hominibus eſto Catholicis, ſuo loco referemus, ut rectus ordo ſervetur. 1. Poſſe valide Sacramenta tribuere, eſt poſſe dare remiſſionem peccatorum; ſed Hæretici dare nequeunt remiſſionem peccatorum; ergo neque poſſunt valide Sacramenta tribuere. Prob. mi. Hæretici non habent remiſſionem peccatorum; ſed nemo poteſt alteri dare, quod ipſe non habet; ergo. Aliis terminis argumentum proponi poſſet ſic; peccatorum remiſſionem conferre ſupponit in conferente Spiritum Sanctum; dixit enim Chriſtus Joan. 20. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, &c.* ſed Hæretici Spiritum Sanctum non habent, ergo.

Aliud argumentum eſt. Hæreticus non eſt membrum Eccleſiæ, caret enim fide, quæ eſt primum vinculum; ergo non poteſt operari ut Miniſter Eccleſiæ, cum corpus non operetur niſi per membra ſibi conjuncta; ſed nemo poteſt valide Sacramenta conferre, niſi ut Miniſter Eccleſiæ; ergo. Aliis terminis poſſet

ſet proponi ſic. Ubi non eſt vera Eccleclesia, non poſſunt eſſe vera Sacramenta, quia hæc contulit Chriſtus Eccleſiæ ſuæ; ſed inter Hæreticos non eſt vera Eccleſia; ergo neque vera Sacramenta.

57. Reſp. ad 1. conc.maj. & revera Sacramentum baptiſmi, collatum puero, peccatum originale deleret, & collatum adulto, niſi obicem apponeret, gratiam conferret juſtificationis, ſi autem obicem apponeret adhuc characterem imprimeret, atque ideo eſſet verum Sacramentum; eſt autem in unoquoque Sacramento diſtinguendum Sacramentum ab effectu ſuo, & in effectu alicujus Sacramenti diſtinguendus eſt character à gratia. Hinc contingere poteſt, Hæreticum baptizare, & ſimul characterem, & gratiam tribuere, ut ſi baptizat infantem; vel tribuere characterem, non gratiam, ut ſi baptizaret adultum, qui permaneret in infidelitate; vel nec tribuere gratiam, nec characterem, ut ſi miniſtraret extremam unctionem infideli infirmo; eſſet tamen in ſecundo adhuc validum Sacramentum, quia gratia non conferretur propter ſuſcipientis indiſpoſitionem; ne. mi. ad prob. etſi Hæretici non habeant remiſſionem peccatorum formaliter, & pro ſe ipſis, habent tamen tanquam famuli, & miniſtri; eo pacto quo ſervus alicujus Domini perſæpe nec obulum quidem habet pro ſeipſo, habet tamen & defert plurimos Domini ſui ad dandos aliis. Hoc ad inſtrumentum, ſeu Miniſtrum ſpectat, in ſeipſo neceſſario non habere, quod alterius virtute profert, ut conſtat in ſecuri, quæ inſtrumentum eſt pro ſcamno conficiendo; nec tamen in ſe ipſa continet ſcamnum.

Ad ſecundam argumenti formam, dicendum, Spiritum Sanctum duplici modo accipi poſſe, & quantum ad gratiam gratum facientem, & ad gratiam gratis datam; illa eſt ad bonum ſubjecti in quo eſt; iſta ad aliorum utilitatem; quamvis Hæretici in priori ſenſu Spiritum Sanctum non accipiant, in ſecundo tamen ſenſu Spiritu Sancto non carent, cum per ordinationem poteſtatem aliis Spiritum Sanctum conferendi à Chriſto recipiant.

58. Ad 2. conc. ant. nego conſ. & quamvis Hæretici non agant ut membra Chriſti, & Eccleſiæ, attamen agunt, tanquam ejuſdem inſtrumenta, ad quæ non pertinet eſſe conjuncta, quando agitur de Eccleſiæ utilitate, & populi neceſſitate, neque enim Sacramenta ſunt Hæreticorum, ſed Chriſti; illigitime quidem, & illicite Sacramenta conferunt, attamen valide: *Aliud quippe eſt*, ait S. Auguſt. lib. 3. contra Donatiſt. cap. 10. *non habere aliquid, aliud non jure habere, & illicite uſurpare; non itaque ideo non ſunt Sacramenta Chriſti, & Eccleſiæ, quia eis illicite utuntur, non Hæretici ſolum, ſed etiam omnes iniqui, & impii; ſed tamen illi corrigendi, aut puniendi, illa vero agnoſcenda, & veneranda ſunt.* Apud Hæreticos inveniuntur etiam Evangelia; nunquid igitur non bona, ac rejicienda? Ex his ad aliam argumenti formam neganda eſt major; Sacramenta enim ſunt Eccleſiæ, ſicut Evangelium; reperiuntur tamen etiam extra Eccleſiam, & quoaduſque qui illa Sacramenta ſuſcipit, Hæreticorum erroribus non conſentiat, eſt membrum Eccleſiæ, & ſalutem conſequitur, ſicut illi, qui in arca Noe ſalvi facti ſunt; atque ideo, qui Sacramenta ab Hæreticis acceperunt, agnoſcendum eſt id, quod eſt Eccleſiæ, corrigendus vero eſt error. Plura non loquar, & tantum duas Auguſtini ſententias ſubjiciam, quæ contra dicta, & alia, quæ dici poſſent, aptiſſima ſunt. In prima lib. 3. contra Donatiſt. cap. 14. ſic ait: *Nihil intereſt, cum de Sacramenti integritate, & ſanctitate tractatur, quid credat, qui accipit Sacramentum; intereſt quidem plurimum ad ſalutis viam, ſed ad Sacramenti quæſtionem nihil intereſt. Fieri enim poteſt, ut homo integrum habeat Sacramentum, & perverſam fidem, ſicut fieri poteſt, ut integra teneat verba ſym-*

ſymboli, & tamen non recte credat. In ſecunda lib. 7. contra eoſdem cap. 45. hæc habet: *Hæretici autem, relinquentes doctrinam erroris ſui, ad Chriſti doctrinam convertuntur, ut incorporentur Eccleſiæ, & ad illam columbam incipiant pertinere, cujus Sacramentum habebant, & ideo, quod ejus non habebant, eis datur, ideſt pax, & charitas de corde puro, &c. Quod autem ejus habebant, agnoſcitur, & ſine ulla contumelia ſuſcipitur.*

ARTICULUS VI.

Utrum ad valorem Sacramenti ſit neceſſaria probitas in Miniſtro.

59. QUamvis ex dictis in antecedente reſoluta ſatis eſſet propoſita difficultas, ſi enim fides neceſſaria non eſt, plane ſequitur, neque neceſſariam eſſe Miniſtri probitatem, cum ſine fide impoſſibile ſit placere Deo, & ea ſit radix, & initium juſtificationis; attamen cum Donatiſtæ ſæculo 4. non ſolum aſſererent, requiri fidem, ſed etiam probitatem, adeoque etiam Catholicum improbum, ſaltem publicum, valide Sacramentum non conficere, ideo ſejunctim punctum hoc pertractandum eſſe exiſtimavi, atque plura argumenta proponam, quæ præcedentem aſſertionem magis confirmabunt, necnon plura rejiciam, quæ contra illam fieri poſſe videbatur.

60. Dixi, improbum ſaltem publicum, nam etſi prius Donatiſtæ id de quolibet peccatore affirmarent, ut refert S. Auguſt. lib. 2. contra Creſcon. cap. 28. attamen poſtea Sacramenta data à publico tantum reprobarunt, ex eodem Auguſt. lib. 2. contra epiſt. Parmeniani cap. 13. Atque id ab ipſis factum eſt, ut rejicerent conſecrationem Cæciliani in Epiſcopum Carthaginenſem, factam à Felice Aptungitano, quem ſacrorum Canonum proditorem exiſtimabant.

61. Hunc Donatiſtarum errorem, teſte S. Hieronymo in dial. amplexi ſunt Luciferiani, deinde Apoſtolici, Valdenſes, Albigenſes, Huſſitæ, Wicleſiſtæ, & demum Anabaptiſtæ.

In titulis ſemper appoſui, utrum *ad valorem*; etenim ſi loquamur de licita Sacramentorum adminiſtratione, procul dubio gravi peccato obnoxius ſit, qui peccati lethalis conſcius conficit Sacramenta; ſi enim à veterum Sacramentorum, quæ noſtrorum figuræ dumtaxat erant, Miniſtris tanta à Deo exigebatur puritas ac munditties, ut Levitici 22. dictum fuerit: *Omnis homo, qui acceſſerit de ſtirpe veſtra ad ea, quæ conſecrata ſunt, in quo eſt immunditia, peribit coram Domino*. Quid dicendum de noſtris? Illud certe quod dixit Auguſt. concione 1. in Pſal. 103. nempe: *Videant, qualem rationem habituri ſunt cum Deo, qui ſanctis non ſancte utuntur*; quod Gregor. Magnus lib. 1. epiſt. 25. *Neceſſe eſt, ut eſſe munda ſtudeat manus, quæ diluere ſordes curat, ne tacta quæque deterius coinquinet*; quod Bernard. lib. de converſ. ad Cler. cap. 10. *Væ Miniſtris infidelibus, qui necdum reconciliati reconciliationis alienæ negotia apprehendunt*. Quibus omnibus inhærens S. Th. 3. par. q. 64. art. 6. in corp. ait: *Non eſt dubium, quia mali, exhibentes ſe Miniſtros Dei, & Eccleſiæ in diſpenſatione Sacramentorum, peccent*; & poſtea Catechiſm. Rom. par. 2. num. 23. inquit: *Meminiſſe ſemper debent Paſtores, Sacramenta divinam quidem virtutem, quæ illis ineſt, nunquam amittere; at vero impure ea miniſtrantibus æternam perniciem, & mortem afferre, &c.*

62. Deveniendo ad propoſitum dubium; dicendum: Ad valorem Sacramenti non eſſe neceſſariam probitatem in Miniſtro.

Prob. Miniſter per peccatum mortale non amittit poteſtatem, quam prius habebat, quamque ipſi contulit Chriſtus; ergo exiſtens in peccato lethali poteſt valide Sacramenta conficere. Prob. ant. Poteſtas, quam prius habebat, non erat

erat ex iis donis, quæ gratum Deo faciunt ſubjectum, ſed ex illis, quæ ad aliorum ſalutem conferuntur, nempe gratia gratis data; ſed Miniſter per peccatum lethale non amittit poteſtatem, quæ eſt donum gratis datum; ergo. Prob. mi. peccatum non opponitur hujuſmodi dono; ergo. Ant. patet ex eo, quod legitur Mat. 7. ubi deſcributur impii, qui die judicii dicent: *Domine, Domine nonne in nomine tuo prophetavimus, & Dæmonia ejecimus, & virtutes multas fecimus.*

63. Argumentum hoc poteſt etiam confirmari; nam ſi per peccatum mortale non amittunt homines poteſtatem juriſdictionis, & dominium, quod poſſident, & ideo monet Petrus epiſt. 2. c. 2. ut Chriſtiani obediant Dominis, & ſubditi ſint Principibus, quamvis illi diſcoli, iſti vero ſceleſti, & infideles, cur amittetur poteſtas ordinis? Scribarum, & Phariſeorum ſcelera ignorat nemo; nec tamen docendi primatu privati fuerunt; imo Mat. 23. dixit Chriſtus: *Super cathedram Moyſis ſederunt Scribæ, & Phariſæi; omnia ergo quæcumque dixerint vobis, ſervate & facite, ſecundam autem opera eorum nolite facere.*

64. Ratio autem prima, ex qua deducuntur reliqua, eſt, quia Miniſter Sacramentorum non operatur virtute propria, ſed virtute Chriſti, quæ nihil acquirit à bonis Miniſtris, nihil deperdit in malis; Baptizet Petrus, baptizet Judas, idem eſt baptiſma, quia nec Petri, nec Judæ eſt, ſed Chriſti; non eſt inſpicienda Miniſtrorum conditio, ſed authoris poteſtas; Bonus eſt Dominus, malitia Miniſtri non nocet, benevolus eſt judex, malitioſus preco non impedit. Proſequatur hoc S. Auguſtin. & tract. 5. in Joan. ſic dicat: *Quod dabatur à Petro, & quod dabatur a Paulo Chriſti eſt, & ſi datum eſt à Juda, Chriſti erat; Dedit Judas, & non eſt baptizatum poſt Judam, dedit Joannes, & baptizatum eſt poſt Joannem, quia ſi datus eſt à Juda baptiſmus, Chriſti erat, qui autem à Joanne datus eſt, Joannis erat.* Sit igitur Miniſter adulter, ebrioſus, homicida; reſpiciamus ad Chriſtum: *Iſte eſt qui baptizat* ait Joan. cap. 1.

65. Hujus porro rationis robur exemplis pluribus illuſtrari poteſt, quibus Sancti Patres utuntur. Sordida manus agricolæ ſeminis fructum non impedit, nec ſigillum ferreum Principis imaginem imprimi, prohibet; ſordeſcat igitur anima Miniſtri, ferreum ſit ejuſdem cor, adhuc Principis noſtri Jeſu Chriſti imprimetur imago; adhuc Sacramentorum fructum dabit terra noſtra; dummodo non ſit terra ſterilis & inepta, & noſtrum cor fiat tanquam cera liqueſcens impreſſionis capax.

66. Et ſane valde congruum erat, probitatem Miniſtri ad Sacramentorum valorem nequaquam conferre; 1. ne de ipſis eſſent homines ſemper incerti; quis enim novit hominum corda, quæ Deus ſolus ſcrutatur? 2. quia, ſi ſubſtantia, & valor Sacramentorum à conditionibus Miniſtrorum dependeret, quo melior & ſanctior eſſet Miniſter, melius, & ſanctius eſſet Sacramentum, neque tunc homines totam ſpem in Domino collocare deberent; ſed etiam in hominibus, contra id, quod ſcriptum eſt: *Maledictus homo, qui confidit in homine.*

67. Dices; hæc omnia probare, ſi Miniſter ſit peccator occultus, non autem ſi publicus, omnibuſque notus, præſertim quod dedecet Deum hiſce hominibus uti, tanquam ſuis inſtrumentis ad conferendum præcipuum effectum ſupernaturalem, qualis eſt gratia.

Si res ita eſt, non igitur Sacramentorum valorem impediet malitia Miniſtri, ſed notitia ejuſdem malitiæ; Quis hoc dicet? an non hujuſmodi notitia extra Miniſtrum eſt? an non etiam Miniſter eſſe poteſt bonus, & tamen in falſa hominum opinione, ut plerumque contingit, malus? Veniunt multi in veſtimentis ovium, & intrinſecus ſunt lupi rapaces; veniunt alii in veſtimentis luporum, & intrinſecus ſunt oves. Sed

do,

do, peccatorem publicum ac notorium eſſe; adhuc valent, quæ ſuperius dixi; ut ea perpendenti compertum erit.

68. Addam modo quod docuit Nicolaus I. in reſponſione ad conſulta Bulgarorum ſciſcitantium, utrum à Sacerdote ſive in adulterio deprehenſo, ſive de hoc ſola fama reſperſo accipienda foret communio; reſpondit autem Pontifex: *Qualiſcumque Sacerdos, quæ ſancta ſunt, coinquinare non poteſt: idcirco ab eo, uſquequo judicio Epiſcoporum reprobetur, communio percipienda eſt, quoniam mali, bona miniſtrando ſe tantummodo lædunt*; & affert exemplum ceteæ facis accenſæ, quæ ſibi detrimentum præſtat, aliis vero in tenebris lumen adminiſtrat.

69. Merito propterea in Concilio Conſtantien. ſeſſ. 25. damnatus fuit iſte 4. articulus Wicleſi: *Si quis Epiſcopus, vel Sacerdos exiſtat in peccato mortali, non ordinat, non conficit, non conſecrat, non baptizat*; & Concil. Trident. ſeſſ. 12. ſic decrevit: *Si quis dixerit, Miniſtrum in peccato mortali exiſtentem, modo omnia eſſentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum, aut conferendum pertinent, ſervaverit, non conficere Sacramentum; anathema ſit.*

ARTICULUS VII.

Refelluntur argumenta contraria.

70. OP. 1. ex Scripturæ teſtimoniis. Eccleſ. 34. *Ab immundo quis mundabitur?* & poſt pauca: *Qui baptizatur à mortuo, quid profuit lavatio ejus?* Pſal. 140. *Oleum peccatoris non impiguet caput meum*; itaque neque baptiſmus, neque unctio valent, ſi à peccatore conferantur.

Reſp. Primum textum facillime explicari de immundo agente nomine proprio, non agente nomine Chriſti, & ſe habente dumtaxat, tanquam inſtrumento; ſed perperam ad rem noſtram textus iſte deducitur, in quo habetur *quid* non *quis*; ibi enim eſt tantum ſermo de ſpiritibus immundis, & mendacibus, juxta quorum immiſſiones, homines ſomnia, auguria, & divinationes proferunt. Ecce verba: *Ab immundo quid mundabitur? & à mendace quid verum dicetur? Divinatio erroris, & auguria mendacia, & ſomnia malefacientium, vanitas eſt.*

Ad 2. non eſt, cur nimium in illius explicatione laboremus; ibi enim ſermo de illis eſt, qui peccata deteſtantur, & iterum redeunt ad eadem peccata, & ideo ex pœnitentia nullum fructum percipiunt, eorum jejunia & orationes nihil ipſis proſunt; ecce pariter verba: *Qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit eum, quid proficit lavatio ejus? ſic homo, qui jejunat in peccatis ſuis, & iterum eadem faciens, quid proficit humiliando ſe? orationem illius quis exaudiet?* Dici etiam poteſt, in eo textu ſermonem fieri de immunditia legali, quæ contracta prius per attrectatum mortui cadaver, inde lavabatur; ſed lotio hæc nihil proderat, ſi iterum cadaver illud attrectabat. Tandem inquit Auguſt. lib. 2. contra lit. Piteliani, eum, qui ab impio Miniſtro baptizatur, nequaquam baptizari à mortuo, ſed à Chriſto vivente: *Hic enim eſt qui baptizat*; & ſi hoc valeret de peccatore manifeſto, ut dicebant Donatiſtæ, cur non etiam de peccatore occulto? Nonne & iſte mortuus?

Ad 3. manifeſte loquitur Propheta de juſtis qui in miſericordia objurgant, ut ſanent, & de peccatoribus, qui aliis peccatoribus adulantur, & blandiuntur; ideo præmiſit: *Corripiet me juſtus in miſericordia, & increpabit me*; & ſubdit: *Oleum autem peccatoris, &c.*

71. Op. 2. ex Sanctorum Patrum dictis. Hieronym. in cap. 3. Sophon. inquit: *Peccare in legem Chriſti putantes ad Euchariſtiam neceſſariam eſſe tantum ſolemnem orationem, & non merita Sacerdotum*. Ambroſ. lib. de myſteriis cap. 14. aſſerit: *In aliquibus aquam eſſe mendacem, ac baptiſmum perfidorum non*

non mundare, ſed polluere. Denique ipſe S. Auguſtinus in noſtræ contraria fuit ſententia; plura quidem dicit hic præclariſſimus Doctor; atque ne omnia producantur, ait lib. 3. cap. 18. *Non raptoribus, ac fœneratoribus diceret Dominus, ſi cui dimiſeritis peccata, dimittentur illi, ſi cui tenueritis, tenebuntur; foris quidem nec ligari aliquid poteſt, nec ſolvi, ubi non ſit qui ligare poſſit, aut ſolvere, ſed ſolvitur, qui cum columba fecerit pacem, & ligatur, qui cum columba non habet pacem, ſive aperte foris ſit, ſive intus eſſe videatur*. Similia tradit lib. 5. contra Donatiſt. cap. 22. & lib. 6. cap. 4. Non poteſt igitur Miniſter malus remiſſionem peccatorum tribuere; ergo nec Sacramenta.

72. Reſp. quantum attinet ad S. Hieronym. ſumitur ibi Euchariſtia, non ut Sacramentum eſt, ſed juxta ſui nominis ſignificationem, ideſt pro gratiarum actione, & certum eſt, ad hanc non ſufficere ſolemnem actionem nempe conſecrationem, quæ per verba determinata habetur; ſed requiri meritum, fervoremque Sacerdotis, & cujuſcumque, qui ad ipſam accedit.

Cur vero mihi Ambroſium opponunt? non loquitur de aquam baptiſmatis conferente, ſed de recipiente, qui perfidiam habeat, nullum ex aqua ſpiritualem percipit fructum, imo ipſam mendacem redit, utpote quæ ex ſe ipſa peccatum deleret, nequaquam delet; ſed ex ſuſcipientis impietate peccatum auget; atque ideo non mundat, ſed polluit; Quid mirum? etiamſi daretur à Miniſtro Sancto, adhuc hæc aqua pollueret, ſicut Euchariſtia collata à Chriſto Judam non ſanctificavit, ſed magis condemnavit; Qui enim manducat, & bibit indigne, judicium ſibi manducat & bibit; Quod eſt vita bonis, mors eſt malis.

Ineptius autem nobis S. Auguſtinus opponitur, qui per tot libros Donatiſtarum errorem profligavit. Unam, vel alteram diminutam ſententiam poſſunt objicere, cum ipſis nos totum Auguſtinum poſſimus opponere; Certe in iiſdem locis, ſemper fatetur, tam ab hæreticis, quam à malis catholicis Sacramenta poſſe conferri; loquitur igitur, aliquando baptiſma, & pœnitentiam dari, nec tamen dari peccatorum remiſſionem, non quia à malo detur, ſed quia à malo malè recipitur, in eodem malo cum malo Miniſtro communicante; Per columbæ gemitus peccatorum datur remiſſio; Hæc columba Eccleſia eſt, cui collata fuit à Chriſto, ejus ſponſo, remittendi poteſtas; dat ipſa Sacramenta gratiæ etiam per malos, ſive foris, ſive intus ſint, non dat tamen gratiam, niſi ipſi & ſponſo conjungantur, qui Sacramenta recipiunt. *Sacramentum gratiæ dat Deus etiam per malos*, ait idem lib. 5. cap. 21.

Non deſunt tamen, qui dicunt, Auguſtinum in hiſce locis, aliiſque, argumentum attuliſſe contra Donatiſtas, quod appellant ad hominem, nempè concedendo quod ipſi aſſerebant, ut inde contra ipſos inferret; Concedebant ipſi, ſacramenta valide conferri à peccatoribus, quorum crimina hominibus nota non eſſent; ſic igitur ratiocinium inſtituebat. Raptores, Fœneratores, adulteri, homicidæ, remiſſionem peccatorum, utpote Spiritu Sancto carentes, dare non poſſunt, & tamen, ſi iſti occulti ſint, validum conferunt baptiſmum; ergo etiam peccatores, quamvis publici; Rem ita eſſe, colligitur ex lib. 4. contra eoſdem cap. 4. ubi inter alia hæc habet. *Nos hæreticorum baptiſma acceptamus, quando poſt eos non baptizamus, ſed quod Chriſti eſſe cognoſcimus, etiam in malis hominibus, ſive aperte foris, ſive intus occulte ſeparatis, illis in ea re, in qua deviabant, correctis debita veneratione ſuſcipimus. Sicut autem urgeri videor, cum mihi dicitur, ergo hæreticus dimittit peccata? ſic & ego urgeo, cum dico; Ergo qui cœleſtia mandata non ſervat avarus, raptor peccata dimittit? Si per vim Sacramenti Dei, ſicut*

ſicut ille, ita & ille, ſi per meritum ſuum, nec ille, nec ille ...

73. Op. 3. rationibus 1. Non poteſt miniſter valide Sacramenta conficere, niſi actio ejus ſit actio Chriſti, & Eccleſiæ; ſed actio improborum nequit eſſe actio Chriſti, & Eccleſiæ; ergo. Prob. mi. actio improborum eſt actio mala, nec carens peccato lethali; ſed actio Chriſti, & Eccleſiæ nequit eſſe mala. ergo. Secundo; ut Sacramentum valide conficiatur, requiritur intentio Chriſti, & Eccleſiæ, ſed hanc intentionem non habent improbi; ergo. prob.mi. intentio Chriſti, & Eccleſiæ eſt, ut ſancte ſancta tractentur, & perficiantur, ſed improbi ſancta ſancte non tractant, aut perficiunt, ergo. Tertio; Sacramentorum operatio pendet à miniſtri probitate, melius enim eſt Sacramenta ſumere à Miniſtro probo, quàm improbo; ergo; Quarto; verbum, quod prædicatur vim ſuam accipit à peritia & eloquentia oratoris; ergo etiam Sacramentum efficaciam ſumit à Miniſtri virtute.

74. Reſp. conc. maj. ne. mi. ad prob. dico, actionem illam eſſe malam ſubjective, & in Miniſtro, non autem effective, & prout eſt applicatio formæ ſupra materiam, in qua ratione eſt actio inſtrumentalis; Sacramentum enim ſemper bonum eſt, quia Sacramentum Chriſti eſt.

Ad ſecundum ne. mi. ad pr. diſt. maj. prout intentio refertur ad modum conc. prout refertur ad ſubſtantiam ne. maj. conc. mi. ne. conſ. Certe improbi Miniſtri ſancta ſancte non tractant, & ideo in modo deficiunt contra intentionem Chriſti, & Eccleſiæ, at in ſubſtantia ſervant utriuſque intentionem, quæ eſt, quod quotieſcumque applicetur forma materiæ cum intentione faciendi quod facit Eccleſia, verum habeatur Sacramentum.

Ad tertium propoſitio eſt vera quantum ad aliquod acceſſorium, & extrinſecum Sacramento, eſt falſa quantum ad ſubſtantiam, & id quod intrinſece requiritur. Primum fatemur, quia Miniſtri probitas poteſt aliquam ſpiritualem gratiam ei, qui Sacramentum ſuſcipit, impetrare; Secundum negamus, quia ſacramentalis gratia non confertur juxta diſpoſitionem dantis, ſed recipientis.

Ad quartum primo antec. eſt falſum, etenim prædicationis verbum vim ſuam accipit, ſeu fructum producit ex interna Spiritus Sancti actione, & motione; Nihil enim prodeſt verbum, quod foris perſtrepit, niſi gratia intus tangat, & quamvis major oratoris eloquentia, & energia naturaliter commovere poſſit affectus, non tamen ſupernaturaliter poteſt animam trahere; deindè eo conceſſo, falſa eſt illatio; Chriſtus enim inſtituit Sacramenta ſua, ut ex opere operato gratiam proferant, niſi ex parte ſuſcipientis obex apponatur.

ARTICULUS VIII.

Quomodo intentio requiratur in Miniſtro, ut valide Sacramentum conficiat.

75. Primo præſupponendum eſt, quod apud omnes auditur, intentionem aliam eſſe actualem, aliam virtualem, aliam habitualem. Prima ex vi nominis illa eſt, quam Miniſter actu habet, dum Sacramentum conficit; Secunda eſt illa, quæ actu non eſt, attamen præſupponit paulo ante fuiſſe, & in iſtius virtute Miniſter operatur; Tertia eſt illa, quæ conſiſtit in aliqua promptitudine, & facilitate operandi ex habitu infuſo, vel acquiſito. Primam non requiri, cum ob humanam infirmitatem cor noſtrum ſæpe derelinquat nos; Secundam ſufficere & neceſſariam eſſe; Tertiam vero eſſe ineptam, cum etiam in fatuis, ac dormientibus reperiri poſſit, conſtans eſt omnium ſententia.

76. Cum vero definitum jam ſit à Florentino, cujus verba toties adduxi, necnon à Tridentino ſeſſ. 7. can. 11. dicente;

cente; *Si quis dixerit, in Miniſtris, dum Sacramenta conficiunt, & conferunt, non requiri intentionem ſaltem faciendi, quod facit Eccleſia; anathema ſit* neceſſariam eſſe intentionem in dubium revocari non poteſt; At qualis hæc eſſe debeat, & quo pacto haberi, non fuit à Conciliis definitum: atque ideò dubium à Theologis excitatur.

77. Antequam Catholicorum exponam ſententias, quid Novatores aſſeruerint, liceat paucis in medium proferre. Nullam intentionem requiri, ſed ſolum res & verba, licet Miniſter ficte, mendaciter, joco, & irriſorie rem peragat, videtur primo docuiſſe Luth. in lib. de capt. Babil. cap. de baptiſin. Illius verba ſunt iſta. *Non dubitem, ſi quis in nomine Domini ſuſcipiat, etiamſi impius Miniſter non det in nomine Domini, vere baptizatum eſſe in nomine Domini; non enim in conferentis tantum, quantum in ſuſcipientis fide, vel uſu ſita eſt virtus baptiſmi, ſicut legitur de quodam mimo per jocum baptizato.* Hoc vero magis confirmat, & explicat in art.12.inter eos, quos Leo X. damnavit, ubi dicit; *Si Sacerdos, non ſerio, & joco abſolverit, ſi tamen credat, ſe eſſe abſolutum veriſſime abſolutus eſt.*

78. Tria porro argumenta affert Lutherus. Primum eſt. Verba, quacumque intentione proferantur, ſuſcipienti proſunt; antec. oſtenditur doctrina Pauli ad Philip. 1. ubi ait de prædicantibus Chriſtum; *Quidam propter invidiam, & contentionem Chriſtum prædicant, exiſtimantes, ſe preſſuram ſuſcitare vinculis meis; Quid enim? Dum omnimodo, ſive per occaſionem, ſive per veritatem, Chriſtus annuntietur, & in hoc gaudeo, ſed & gaudebo.*

79. Secundum erat; quia Alexander Epiſcopus Alexandrinus ratum habuit baptiſma, quod Athanaſius puer aliis pueris per jocum, ut inter pueros fieri ſolet, contulerat. Narrant hoc Rufin. lib. 1. hiſt. cap.14. Socrat. lib.1. cap.15.

80. Tertium erat; quia, cum in Theatro noſtræ Religionis myſteria publice repræſentarentur, quidam, ideſt Geneſius à mimo fuit baptizatus, & ſtatim ad fidem converſus, nec denuo baptizatus fuit; ita legitur apud Adonem in ſuo Martyrol. ad diem 25. Auguſti; itaque concludit Lutherus, nulla in Miniſtro requiritur intentio, & baptiſmus, etiam irriſorie collatus, validus cenſendus eſt.

81. Calvinus in Antidoto Concilii Tridentini ad ſeſſ. 7. can. 11. idem in re docuit; inquit enim: *Quod de intentione conſecrandi garriunt, à Sophiſtis nulla probabili ratione fuit proditum*; & paulo poſt: *Ego vero ſacroſanctæ Chriſti inſtitutioni tantum defero, ut ſi Epicureus quiſpiam, intus totam actionem ſubſannans, mihi Cœnam ex Chriſti mandato, & ſecundum regulam ab eo datam, rituque legitimo adminiſtret, non dubitem, panem & calicem illius manu porrectum, vera eſſe mihi Corporis, & Sanguinis Chriſti pignora.* Fateor, in hac re contradictoria & obſcura à Calvino tradita eſſe, nam in prioribus verbis ait, ſi Epicureus intus totam actionem ſubſannaret, & in poſterioribus dicit, mihi cœnam ex Chriſti mandato, & ſecundum regulam ad eo datam, rituque legitimo adminiſtret; at prius per poſterius deſtruitur, & è contrario.

82. Kemnitius etiam ab hiſce non diſſentit, ut conſtat ex iis, quæ habet 2. par. examin. quamvis in decurſu aliqua proferat, per quæ mimica ſubſannatio, & ridiculus uſus excluduntur, ait enim ad can. 11. Trident. ſeſſ. 7. *Non hoc vult inſtitutio baptiſmi, ut fiat vulgaris aliqua lotio, vel quæ ex profeſſo nihil aliud ſit, vel quam ridiculus luſus, vel nimica ſubſannatio, vel prophanatio inſtitutionis cum recitatione verborum; ſed requirit, ut peculiaris inſtituatur actio, & quidem illa actio, quam Chriſtus inſtituit, & hoc ſufficit ad ſervandam inſtitutionem. Quid vero in corde de illa actione ſentiat is, qui adminiſtrat baptiſmum,* *hoc*

hoc ad veritatem, ſive integritatem baptiſmi non pertinet.

83. Alios poſteriores prætereo, cum idem ferme tradiderint. Horum argumenta iſta ſunt. 1. quia, ſi ab intentione Miniſtri valeret Sacramentorum certitudo, quilibet deberet de propria ſalute dubitare, atque ſemper viveret anxius, animoque perturbato; cum nemo, quænam fuerit Miniſtri intentio, certus eſſe poſſit. 2. quia, S. Auguſtinus lib. 7. de baptiſm. cap. 53. definire non audet, an baptiſmus per jocum collatus validus ſit, ſed ait, expectandam eſſe revelationem, & Concilii plenarii deciſionem; Sancti Doctoris textum alio in loco afferemus; & tract. 5. in Joan. affirmat, validum eſſe baptiſmum datum ab ebrio; conſtat autem, ab ebrio intentionem haberi non poſſe. 3. quia, Innocent. Papa IV. in librum tertium Decretal. docet, ad veritatem Sacramenti non requiri, Miniſtrum in mente gerere, facere, quod facit Eccleſia, imo, ſi contrarium intenderet; dummodo appareret, id velle facere, ſatis eſſet; Hujus pariter textum infra afferemus, etenim hæc omnia illud probare videntur, quod à nobis negabitur.

84. Interim, antequam ad alia progrediar, Lutheri argumenta non prætereo.

Atque ad 1. jam allata diſparitas fuit in fine præcedentis articuli; & deinde verba concionis ſunt mere ſpeculativa, quæ nihil efficiunt, ſed tantum ſignificant, è contrario verba ſacramentalia practica ſunt, atque efficiunt, quod ſignificant.

Ad 2. hiſtoria illa, quæ de Athanaſio refertur, valde dubia eſt; etenim Scriptores, qui eam tradunt, dicunt, ſe ab aliis id audiviſſe; atque merito ſuſpicari poſſumus, eſſe omnino falſam; etenim anno 311. mortuus eſt Alexander agente juxta Baronium Athanaſio annum 12. anno vero 325. Athanaſius in Nicæno Concilio eximium inter Theologos locum tenebat, & paulo poſt factus fuit Epiſcopus; cogitari autem non poteſt, quo pacto tam juvenis ad tantam fuerit dignitatem evectus, iis præſertim temporibus, quibus Paulinianum, S. Hieronymi fratrem, annos natum 30. ad Presbyteratum promotum eſſe; plerique conqueſti ſunt. Unde Patres Benedictini in vita S. Athanaſii poſt relata Rufini verba, dicunt: *Hanc Rufini hiſtoriam grandi apud eruditos laborare ſuſpicione, &c.*

Illa tamen admiſſa nihil ſequitur ad mentem Lutheri; ſiquidem jocus, & irriſio vel eſſe poteſt tantum externa, v. c. recreationis animo, vel interna, ita ut qui ludunt, ac irrident, intendant ſimulare ac decipere. Luſus primo ſenſu acceptus, cum ſit extrinſecus rei, quæ fit, rem nequaquam deſtruit; & ita qui v. c. abſolveret, ut ſibi pecunia daretur, inhoneſte quidem gereret ob finem perverſum, attamen valide abſolveret. Igitur tantum in ſecundo ſenſu rei ſubſtantiam afficit, & per conſequens deſtruit. Hoc poſito dicimus, Athanaſii baptizantis ludum primi generis fuiſſe, non ſecundi, proinde, &c. Ut autem hoc dicamus, fundamentum non deeſt, ſiquidem iidem hiſtorici referunt; ab Athanaſio tantum catechumenos fuiſſe ita baptizatos ſervatis omnibus interrogationibus, ac reſponſionibus, quæ ſolent in Eccleſia obſervari.

Quantum ad factum Geneſii; illud in primis incertum eſt, cum non conſtet, fluminis baptiſmo fuiſſe baptizatum; ſcribit enim Uſuardus ad diem 25. Auguſti, eum conſtanter pro Chriſto mortem ſubiiſſe. Ado Trevirenſis in ſuo Martyrologio ad eamdem diem, narrat; Mimum quemdam, nomine Geneſium, coram Diocletiano Imperatore, ut Chriſtiana myſteria irrideret, finxiſſe ſe ægrotum, ac baptiſmum poſtulaſſe; tunc Imperatoris juſſu accerſitus fuit Pſeudo-presbyter, qui à Geneſio peteret, quid vellet; tunc Geneſius (O miram Spiritus Sancti virtutem, atque Dei clementiam, qui, ludens in orbe

orbe terrarum, ludos convertit in gratias.) Tunc inquam Geneſius repente converſus, gratiam, inquit, Chriſti peto, ejuſdemque baptiſmum; & baptizatus ab illo fuit; Martyrologium vero Romanum refert, hæc omnia in Theatro contigiſſe, & Deo inſpirante ſtatim eſſe converſum, & baptizatum.

85. Poſt Hæreticos; quid aliqui Catholici opinati ſint, referamus. Omnes quidem affirmant, neceſſariam eſſe intentionem faciendi, quod facit Eccleſia, attamen in quo hujuſmodi intentio conſiſtat, diviſi ſunt. Ambroſius Catharinus ex inſigni Ordine S. Dominici in opuſculo, quod edidit de intentione Miniſtri Sacramentorum, duplicem intentionem diſtinxit, unam, qua Miniſter intenderet, ſimpliciter ſerio facere ritum externum, & adhibere omnes cæremonias, quas obſervat Eccleſia, cum debita forma & materia, etiamſi interne intentionem habeat id non faciendi; alteram vero, qua non tantum intenderet facere ritum externum modo dicto, ſed etiam illud myſterium perficere, quod Chriſtus inſtituit, & Eccleſiæ demandatum eſt. Primam, ipſe aſſerit, intentionem ſufficere.

86. Hanc Catharini ſententiam referunt omnes Doctores, qui rem iſtam pertractant, ſed aliqui nimis fortaſſe rigide ſe gerunt, ut eam velint ad Hæreticorum errorem proxime accedere. Ita præſertim Eminentiſſimus Bellarminus, qui lib. 1. de Sacram. cap. 27. ait: *Quæ opinio non video quid differat à ſententia Kemnitii, & aliorum Hæreticorum, niſi quod Catharinus in fine opuſculi ſubjicit ſe Apoſtolicæ Sedi, & Concilio, illi autem rident utrumque*: cui ſubſcribit etiam Eminentiſſimus de Lugo diſput. 8. ſect. 2. dicens: *Hæc ſententia licet differat ab errore Hæreticorum, adhuc tamen ex mente Conciliorum, & ex fundamentis, quibus contra Hæreticos dogma iſtud definitum eſt, ita clare colligi poteſt falſitas etiam hujus alterius ſententiæ, ut merito cenſeatur ab errore damnato non multum diſtare, & ideo meritiſſime ab omnibus Theologis rejecta eſt.*

87. Hoc ego tamen dicere non auderem; nam Catharini opuſculum illud ſub oculis Patrum, qui Concilio aderant, evulgatum fuit, & nemo contradixit; imo alter Eminentiſſimus ex inſigni Societate Pallavicinus lib. 9. c. 6. hiſt. Concilii fatetur: *Catharini ſententiam ſuſpectam non fuiſſe, nec illis fuiſſe in animo eam proſcribendi*; & revera Hæretici aſſerebant, valide Sacramenta confici etiam per jocum & irriſionem externam, quod nunquam aſſeruit Catharinus.

88. Sed quidquid ſit de hoc, eamdem ſententiam plures alii Doctores tradiderunt, & amplexi ſunt etiam ante Catharinum, etenim Magiſter ſentent. in 4. diſt. 27. lit. C. docuit, quod, ſi contrahentes ſerio, & libere verba proferrent apta ad manifeſtandum conſenſum, ſufficeret ad Sacramenti valorem, quamvis voluntas interius reniteretur. Pro eadem citantur Paludan. in 4. diſt. 6. quæſt. 2. Silveſ. in ſum. verbo *Baptiſmus*; ex recentioribus vero poſt Tridentinum Concil. Alphonſus Salmeronus ex Theologis Societatis eximiæ, qui juſſu Pauli III. in eodem Concilio Theologi partes agebat, lib. 1. in comment. ſuper epiſtolas S. Pauli 3. par. diſp. 2. Viguerius lib. inſtitut. cap. 16. Paſqualigus diſp. 72. ſect. 4. Scribonius Gallus in ſumm. Theolog. ſeu Pantalithia diſp. 1. de Sacrament. qu. 6. & 7. & tandem Juenin Oratorii Gallicani Presbyter, qui etiam id probat juxta mentem S. Th.

89. Eſt vero alia ſententia omnino oppoſita & extrema, docens neceſſariam eſſe intentionem non ſolum faciendi Sacramentum, ſed etiam inducendi effectum Sacramenti, ſeu gratiam, quæ in ſubjecto diſpoſito producitur, & hæc tribui ſolet Vaſquio diſp. 138. num. 35. Valent. q. 5. puncto 3. §. *Quarto igitur*, Eſparzæ quæſt. 13. art. 5.

90. Tertia denique opinio media

inter

inter utramque primam intentionem non eſſe ſufficientem exiſtimat, ſecundam vero non eſſe neceſſariam.

ARTICULUS IX.

Reſolvitur difficultas.

Dicendum; Ut valide fiat Sacramentum, non ſufficere intentionem ſerio faciendi ritum externum, ſeu ſenſibilem illam cæremoniam, & actionem materialem, ſed requiri intentionem faciendi Sacramentum, ſaltem ſub conceptu communi, & æquivalenti, videlicet intendendo facere, quod Chriſtus inſtituit, vel Chriſtiani faciunt, vel aliquid ſimile, & hæc intentio certe reperiri poteſt in hæretico, vel alio infideli, necnon homine rudi, & ignorante. Sententiam hanc docuerunt S. Bonavent. Richard. Duran. Major, Alenſ. Sot. Hugo de S. Victor. clarius vero & expreſſius Scotus in 4. diſ. 6. qu. 5. quem ſequuti ſunt, Suarez, Vaſq. de Lugo, Madernus, Cacheranus, Roſignolus, & communiſſima apud nos exiſtimatur.

91. Omnes ferme probant ex definitionibus Conciliorum, præſertim Tridentini, quod ultra canonem 11. ſeſs. 7. habet ſeſs. 14. cap. 6. hæc verba: *Is eſſet ſalutis ſuæ negligentiſſimus, qui Sacerdotem jocoſe abſolventem cognoſceret, & non alium ſerio agentem requireret*; & can. 9. ita definit: *Si quis dixerit, abſolutionem ſacramentalem Sacerdotis non eſſe actum judicialem, ſed nudum miniſterium pronuntiandi, & declarandi remiſſa eſſe peccata confitenti, modo tamen credat ſe eſſe abſolutum, aut Sacerdos non ſerio, ſed joco abſolvat; anathema ſit.* Sed, ut verum fatear, ex Conciliis tantum contra hæreticos, qui contendebant, Sacramenta etiam per jocum & deriſionem collata, vera eſſe Sacramenta, poteſt concludi, & redit id, quod ex Cardinali Pallavicino dixi num. 75. Si quid ex Tridentino evinci poteſt, præcipue eſt in aliis verbis ejuſdem ſeſs. cap. 6. ubi ait, Sacerdotem non abſolvere, ſi ipſi *deſit animus ſerio agendi, & vere abſolvendi*; diſtinguit ergo animum ſerio agendi ab animo vere abſolvendi.

92. Ego potius alia via adverſarios urgerem, ita ut licet ex Tridentini verbis, prout jacent, ſententia noſtra non colligatur, evincatur tamen ex declaratione Alexandri VIII. in Decreto anni 1690. die 7. Decembris, in quo inter alias propoſitiones damnata fuit ſequens num. 28. *Valet baptiſmus collatus à Miniſtro, qui omnem actum externum, formamque baptizandi obſervat, intus tamen in corde ſuo apud ſe reſolvit, non intendo, quod facit Eccleſia.* Porro Pontifex Summus ſupponit, Miniſtrum ritum omnem externum, & formam baptizandi ſerio obſervare, aliter propoſitio gratis omnino damnata eſſet, cum nullus ſit Catholicorum, qui aſſerat, baptiſmum, exterius per jocum & iriſionem datum, valere; ſenſus igitur eſt, ritum externum ſerio obſervatum Sacramentum validum nequaquam efficere.

93. Non me præterit, quod cum aliis reſpondet Juenin, Canoniſtas Gallos, alioſque in pluribus aliis provinciis parvi facere Tranſalpina Decreta, niſi ab ipſo Papa immediate emanaverint, atque ideo propoſitionem illam, damnatam à Romana Inquiſitione, nihil in re concludere. De hac re nolo quidpiam ſcribere; ſaltem tamen apud Italos ſibi locum vindicare deberet.

94. Illud tamen laudatus Doctor cum aliis Gallis retinere deberet, quod habetur in Rubricis Miſſalis Romani, auctoritate Clementis VIII. editum, quas Eccleſia Pariſienſis recepit, nempe: *Si aliquæ hoſtiæ ex oblivione remaneant in Altari, vel aliqua pars vini, vel aliqua hoſtia lateat, cum non intenderit conſecrare, niſi quas videt; item, ſi quis habeat coram ſe undecim hoſtias, & intendat conſecrare ſolum decem, non determinans, quas decem intendat, in his caſi-*

caſibus non conſecrat; quia requiritur intentio, ſecus, ſi putans, eſſe decem, omnes tamen voluerit conſecrare, quas coram ſe habebat, nam tunc omnes erunt conſecratæ. Porro, ſi ad validam conſecrationem non requireretur intentio interna, ſed ſatis eſſet ſeria actio externa, ſuperior doctrina corrueret.

95. Argumentum hoc ſibi non opponit prælaudatus Doctor, atque ideo non reſolvit; oppoſuerunt tamen alii ſuæ ſententiæ patroni, & dixerunt; non ideo invalidam in eo caſu eſſe conſecrationem, quia deſit interior intentio, ſed quia materia, cui debet applicari forma, vaga eſt, atque intederminata; agens autem nequit in hujuſmodi materiam introducere formam, & ideo, &c.

Nullum profecto hoc effugium eſſe, nemo non viderit; ſi dicant, materiam non eſſe determinatam in ſe ipſa, falſum omnino dicunt, ſunt etiam undecim hoſtiæ, & omnes ſunt ſub oculis Sacerdotis; ſi vero dicant, non eſſe determinatam reſpectu conſecrantis, velint, nolint, admittere debent, per quid determinetur, ſed hoc aliud non eſt præter internam conſecrantis intentionem; ergo requiritur hujuſmodi intentio.

96. Prob. 2. Dum de Sacramentis loquimur, juxta Chriſti inſtitutionem loqui debemus, ſed ex Chriſti inſtitutione requiritur intentio interna, ergo. Prob. min. ex Chriſti inſtitutione Miniſter ita habet poteſtatem conficiendi Sacramenta, ut habeat illam, agendo & diſpenſando nomine Chriſti: *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*, Joan. 20. *Hoc facite in meam commemorationem*, Luc. 22. ſed ut Miniſter agat nomine Chriſti, requiritur intentio interna; ergo. Prob. mi. Ut Miniſter agat nomine Chriſti debet uti ea poteſtate modo humano, ideſt actione, quæ ſubjecta ſit voluntati, ſed ut actio facta ſit modo humano, ideſt ſubjecta voluntati; requiritur intentio interna; ergo.

97. Dices; actionem illam humanam eſſe, & ſubjectam voluntati, neque deeſſe intentionem, per quam ſit hujuſmodi, ſiquidem Miniſter habet internam intentionem faciendi ſerio ritum externum, quæ interna intentio humana eſt, & à voluntate progreditur.

Sed contra. Miniſter Sacramentorum non eſt Miniſter Chriſti in poteſtate faciendi actionem externam, ſed eſt Miniſter Chriſti in poteſtate faciendi & diſpenſandi Sacramenta, juxta illud Pauli 1. ad Corint. 4. *Sic nos exiſtimet homo, ut Miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum, &c.* ergo ut agat tanquam Chriſti Miniſter, non ſufficit intentio faciendi actionem externam, ſed requiritur intentio faciendi Sacramentum, & utendi poteſtate, quæ ipſi à Chriſto collata fuit.

98. Qua in re adnotandum eſt, bifariam per Miniſtros rem aliquam fieri poſſe; vel quatenus Miniſter tantum eſt nuntius referens voluntatem alterius, & ſic non eſt neceſſaria intentio rem illam, pro qua voluntatem refert, perficiendi; imo etiam poteſt interne velle, ac optare, ne perficiatur; vel quatenus poteſtas datur Miniſtro, ut ipſe vice alterius ſuo judicio, atque arbitrio rem perficiat, & ſic omnino neceſſaria eſt intentio ipſius, per quam voluntas ad rem perficiendam humano modo determinetur; ex. ca. Rex committit Petro cognitionem, ac definitionem alterius cauſæ, neceſſe eſt, ut Petrus per propriam voluntatem, ac humano modo hac commiſſione, ac poteſtate utatur, quod ſine interna intentione non fit; hinc, cum Miniſtri Sacramentorum non ſint Miniſtri in priori modo, ſed in poſteriori, ſequitur, &c. ſunt inquam poſteriori modo, & ideo dixit Trident. ſeſſ. 7. abſolutionem Sacerdotis non eſſe nudum miniſterium, ſed actum judicialem.

99. Probatur denium ratione, qua utuntur communiter Sententiæ noſtræ propugnatores. Si aliquid eſt indifferens ad plura, debet per aliquam actionem determinari ad unum, ſed in baptiſmo ex. ca. materia, forma, & actio exter-

externa ſunt indifferentes ad plura! ergo debent per aliquam actionem determinari; hæc eſt ſola intentio interna; ergo. Prob. prima min. materia, forma, & actio externa in baptiſmo indifferentes ſunt ad indicandam vel munditiam corporis, vel refrigerationem, vel alia hujus generis; ergo. Hæc eſt ratio S. Thom. 3. p. quæſt. 64. art. 8. in corp. ubi dicit: *Quando aliquid ſe habet ad multa, oportet, quod per aliquid determinetur ad unum, ſi illud effici debeat; Ea vero, quæ in Sacramentis aguntur, poſſunt diverſimode agi, ſicut ablutio aquæ, quæ fit in baptiſmo, poteſt ordinari ad munditiam corporalem, & ad Sanitatem corporalem, & ad ludum, & ad multa hujuſmodi, & ideo oportet, quod determinetur ad unum, idest, ad effectum Sacramentalem, per intentionem abluentis, & hæc intentio exprimitur per verba, quæ in Sacramentis dicuntur.*

100. Dices, indifferentiam eorum, quæ in baptiſmi collatione adhibentur, auferri per circumſtantias loci, in quo celebratur, petitionis eorum, quibus applicari debet, veſtium ſacrarum, & hujuſmodi. Rurſus auferri, vel per intentionem illius, qui Sacramentum ſuſcipit, vel per intentionem Chriſti, & Eccleſiæ.

Neutrum tamen horum admitti poteſt; non primum; quia etſi ab illis circumſtantiis haberi poſſit quædam determinatio extrinſeca, & quantum ad nos, ut ex ipſis de Sacramenti veritate judicium ferre poſſimus, non habetur tamen determinatio intrinſeca, & quantum ad ſubſtantiam Sacramenti in ſe inſpectam, eo pacto quo, ſi Matrimonium contrahentes ad Eccleſiam properantes, & extrinſecus ſeriò conſenſum præbentes, intus tamen contrariam voluntatem ſervarent, nobis quidem indicium præberent, exiſtimandi, Matrimonium illum valdium eſſe; nec tamen in ſe validum eſſet.

Non ſecundum; nam plerumque illi, quibus ſacramentum baptiſmi confertur, incapaces ſunt alicujus intentionis; deindè; ſic admittitur neceſſaria intentio in recipiente; Ergo etiam erit neceſſaria in dante, & potiori jure, cum actio humana, cum ſit ab agente, magis ab iſto, quam à patiente dependeat. Neque determinari poteſt ab intentione Chriſti, cum Chriſtus dederit Miniſtris facultatem conficiendi Sacramenta, qua humano modo uterentur, nec voluerit Sacramenta confici, niſi per hanc facultatem ita exercitam; proinde cum interna intentione; Eccleſia vero propriam intentionem non habet, ſed vult tantum, per Miniſtrum applicari Sacramenta juxta Chriſti inſtitutionem.

Plura alia addi poſſent, ſed fortaſſe in ſolutione argumentorum, quæ in oppoſitum afferri ſolent, melius explicabuntur.

ARTICULUS X.

Rejiciuntur argumenta contraria.

101. Opp. 1. argumentum primum relatum num. 83. nimirum, ſi ab intentione Miniſtri penderet Sacramenti certitudo, quilibet poſſet de propria ſalute dubitare, cum nemo, quænam fuerit intentio Miniſtri, certus eſſe poſſit; ex quo plura alia inconvenientia ſequerentur, ut facile quiſque poteſt ratiocinari.

Reſp. dubitationes iſtas, atque inconvenientia etiam ſequi poſſe in quacumque ſententia; & tutius eſt de hiſce rebus quæſtionem non proponere, quam propoſitam reſolvere; De his enim Sacramentis, quæ ſecreto conficiuntur, quis certus eſſe poteſt, an Miniſter debita verba protulerit? Quilibet igitur dubitabit, an ſit ritè abſolutus, an hoſtiam publicæ adorationi expoſitam debeat adorare; aut dicant, neceſſe eſt, verba conſecrationis, & abſolutionis intelligibili publico modo eſſe proferenda; Homines ſumus, nec aliam certitudinem debemus inquirere præter eam,

eam, quæ hominem decet; Deus ſolus ſcrutatur renes, & corda; nobis vero ſufficere debet certitudo moralis, qua nobis perſuadeamus, & debitam formam, & debitam intentionem eſſe ſervatas; De reliquo Dei providentiæ, quæ Eccleſiæ ſuæ deficere non poteſt, nec fidelibus deficit, negotium totum committere debemus. Fateor quidem ex actione ſeria externa certo moraliter cognoſci, omnia ſervata eſſe, quæ ad Sacramenti ſubſtantiam requiruntur; ſed ex hoc non probatur ſufficere, & hoc tantum nego. Imo, etiamſi nobis de actione ſeria non conſtaret, Sacramentum in ſe eſſet perfectum, ut ſi quis ex: ca: ablueret puerum infidelem morti proximum, fingens, ſe per illam aquam velle medicamentum applicare, baptiſmus collatus eſſet; atque hoc frequenter advenit in iis locis, ad quæ Apoſtolici viri mittuntur.

102. Op. 2. Eccleſia agnoſcit, ut valida Sacramenta collata ab hæreticis; ſed hæretici poſſunt tantum habere intentionem faciendi ritum externum, non autem Sacramentum, & quod facit Eccleſia, cum ipſi negent & Sacramenta, & Eccleſiam, imo etiam negent Chriſtum Sacramenta inſtituiſſe; ergo. De Atheo vero, cujus tamen baptiſmus validus eſſet, ait Juenin, quomodo poteſt habere intentionem faciendi, quod facit Chriſtus, & Eccleſia, ſi Chriſtum, & Eccleſiam judicat chimeram?

Atque argumentum hoc ſic magis urgeri poteſt; Non requiritur fides in Miniſtro, ut valide Sacramentum conficiat; ergo nego requiritur intentio; probatur conſ. Non minus verba debent determinari ad ſignificandum ſupernaturaliter, quam abſolute ad unum ſignificandum; ſed ut determinentur ad ſignificandum ſupernaturaliter, non requiritur fides; ergo ut determinentur ad ſignificandum unum, non requiritur intentio. Ratio utrobique eſt eadem, quia, ideo etiam ſine fide Miniſtri determinantur ad ſignificandum ſupernaturaliter, quia hoc habuerunt ab inſtitutione Chriſti, & à fide Eccleſiæ; ſed etiam determinationem ad unum ſignificandum habuerunt à Chriſti inſtitutione, & ab Eccleſiæ intentione, quæ per contrariam intentionem Miniſtri impediri non poteſt; ergo.

103. Reſp. ne. mi. & quamvis hæretici & infideles nequeant fortaſſe habere intentionem faciendi, quod facit Eccleſia Romana, quam exiſtimant falſo, eſſe Synagogam Satanæ; attamen intendere poſſunt facere, quod facit aliqua Eccleſia, quam ipſi putant eſſe Chriſti, & veram; neque etiam neceſſe eſt, habeant hanc intentionem ſub terminis particularibus, ſed ſufficit, ſi confuſe & implicite eam concipiant, quod multis modis contingere poteſt, ut ſuperius dictum fuit. Ad additum Juenin, dico; Quo pacto poteſt habere actionem ſeriam faciendi id quod facit Eccleſia, ſi Atheus Eccleſiam, & Chriſtum judicat chimeram? ſicut igitur hoc non obſtante poteſt ſerio agere, quod facit Eccleſia, ita poteſt intentionem habere faciendi, quod facit Eccleſia. Si primum negat, ſibi ipſi contradicit.

Ad aliud argumentum, quod mihi ipſi propoſui; cenſeo melius reſponderi non poſſe, quam dicendo, intentionem Eccleſiæ aliam non eſſe, niſi applicari per Miniſtrum Sacramenta juxta inſtitutionem Chriſti; & ideo ſi Miniſter habet intentionem faciendi, quod facit Eccleſia, jam applicantur verba non ſolum ad unum ſignificandum; ſed etiam ad ſignificandum ſupernaturaliter, quia in Chriſti inſtitutione utraque determinatio reperitur; ſi autem illa intentio deficiat, utramque etiam determinationem deficere, neceſſe eſt.

104. Op. 3. Miniſter eſt veluti inſtrumentum, & Chriſti Domini procurator; ſed, ut quis operetur tanquam inſtrumentum, & alicujus procurator, aliud non requiritur, quam ut deferat virtutem, & verba ſui Domini ſine propria intentione, ergo; atque hoc confirmari

mari poteſt exemplo ſervi, qui ex Domini commiſſione ejuſdem res vendat; dummodo ſerio vendat, legitime vendit, & transfert dominium, etiamſi propria deſit intentio; imo internè contrarium ſentiat.

105. Reſp. jam dictum fuit num. 98. Unde aliud eſt miniſterium puræ executionis & tantum materiale, aliud formale & cooperationis; Ad primum nulla requiritur intentio, requiritur ad ſecundum; & ideo cum Miniſter Sacramentorum ſit hoc modo Miniſter, neceſſe eſt &c. Per quam doctrinam rejiciuntur alia plura hujuſmodi exempla.

106. Inſtabis. Etiam in Miniſtro, qui operatur, interna intentio non eſt neceſſaria, ergo. Prob. ant. Si Judex proferat ſententiam adhibitis juris ſolemnitatibus, & reum abſolvat, reus abſolvitur; etiamſi non habuerit internam abſolvendi intentionem; ergo etiam in Miniſtro, qui operatur ſerio, interna intentio &c.

Sed contra. Exiſtimo, æquali modo eſſe concludendum; nempe in primo caſu reum eſſe validè abſolutum quantum ad nos, & forum externum, quod præcipuè à Republica intenditur; non tamen in ſe, & quantum exigit ſubſtantia abſolutionis; & ita etiam in ſecundo caſu, Sacramentum fieri validum quantum ad nos, & Eccleſiam, quæ de internis non judicat, non tamen in ſe, & quantum ad Sacramenti ſubſtantiam juxta inſtitutionem Dei, qui corda ſcrutatur. Hac de cauſa, nunquam Eccleſia declaravit, aut declarabit invalida Sacramenta illa, quæ ſeria externa actione collata fuerunt, quia, cum ipſa de internis judicium non ferat, ea pro ratis habet, quæ externè debito modo peracta ſunt; Imo, ſi ipſe Miniſter declararet poſtea, ſe internam intentionem non habuiſſe, ipſi ita facile fides adhibenda non eſſet, ne circa Sacramentorum valorem fidelium multitudo turbaretur; ſed maturo conſilio res pertractanda foret, & alia via remedia proponendo, ſilentio committenda; Quamvis tamen ex textibus juris canonici habeamus, Eccleſiam non ſolum ſollicitam fuiſſe inquirendo, an adhibita fuerit debita materia cum forma, ſed etiam fuerit intentio ſervata; & narratur de baptiſmate pueris ab Athanaſio collato, Alexandrum Patriarcham poſtulaſſe, qua intentione id fecerit, reſpondiſſe vero Athanaſium, ſe habuiſſe intentionem faciendi, quod ab eodem Alexandro fieri conſpexerat.

107. Op. 4. Forma in Sacramentis eſt operativa abſque aliqua dependentia ab intentione Miniſtri; ergo hæc non requiritur. Prob. ant. Forma in Sacramentis eſt operativa ex Chriſti inſtitutione, & ex opere operato; ſed quod eſt operativum ex Chriſti inſtitutione, & ex opere operato, eſt hujuſmodi ſine aliqua dependentia ab intentione Miniſtri, ergo; & quemadmodum in aliis rebus ſufficit ad habendum effectum ipſarum applicatio ſine applicantis intentione; ut conſtat in igne, qui comburit, in medicamento quod ſanat, in verbo, quod ſignificat, licet qui ignem applicat, aut medicamentum, verbumque profert, non intendat comburere, aut ſanare, aut ſignificare, imo interdum intendat oppoſitum; ita in re noſtra.

108. Reſp. ne. ant. ad prob. diſ. maj. eſt operativa ex inſtitutione Chriſti, & ex opere operato, quæ tamen inſtitutio Chriſti, & opus operatum exigunt Miniſtri intentionem conc. maj. aliter ne. maj. Jam enim dictum fuit, Chriſti inſtitutionem, & Sacramentum exigere Miniſtri intentionem, proinde &c. atque hic adverte, aliud eſſe loqui de Sacramento in ſui ſubſtantia, & aliud de effectu Sacramenti; iſte quidem producitur, ſi impedimentum non inveniatur, independenter ab intentione Miniſtri, & ita Sacramentum ex opere operato dicitur tale. Ex quo habes quid exemplis adductis reſpondeas. Comburit ignis, medicamentum ſanat; ſed neque ignis ſit ab applicante, neque medicamentum à medico; & ſi ignis excutiatur à ſili-

à ſilice, vel medicamentum porrigatur ægroto, velit nolit qui excuſſit, & dedit, ignis comburit, medicamentum ſanat, vel nocet; Sacramenta ſunt actiones humanæ; hoc ſatis eſt, ut percipias. Verba etiam habent ſuam determinatam ſignificationem independenter ab intentione proferentis, & quidem ſpeculativam non practicam, neque alicui commiſſa eſt facultas imponendi verbis ſignificationem determinatam, è contrario contingit in re noſtra; ideo &c. Quod ſi hæc omnia valerent, etiam jocus, & irriſio non impedirent valorem Sacramentorum, ut conſtat; applica joco ignem manui; experieris, utrum comburet.

109. Dices. Atqui neque intentio Miniſtri reperitur in opere operato, ergo. Prob. ſub. mi. Quod reperitur in opere operato, debet conſtituere ſignum ſenſibile; ſed intentio Miniſtri nequit conſtituere ſignum ſenſibile; ergo intentio Miniſtri non reperitur, &c.

Sed contra; ergo neque contritio, quæ inſenſibilis eſt, erit neceſſaria in Sacramento pœnitentiæ; ſufficit itaque ut ſit ſenſibilis intentio mediatè, ideſt per actionem, quæ ab ipſa intentione progreditur. Sed ulterius adverte, non requiri intentionem, tamquam partem eſſentialem & intrinſecam Sacramenti, ſed tamquam conditionem, ſine qua practica ſignificatio non habetur. Ulterius; miraris à re ſenſibili includi poſſe rem inſenſibilem? mireris igitur oportet, ac neges, hominem ſenſibilem per rem inſenſibilem conſtitui.

110. Op. 5. auctoritatem S. Joan. Chryſoſt. qui homil. 86. in Joan. inquit: *Sacerdos linguam, & manus præbet, neque enim juſtum eſt, propter aliorum malitiam ad ſalutem noſtram accedentes offendi.*

Reſp. S. Joan. Chryſoſtomum, ſicut & alios Patres, illorum tantum opinionem reprobare, qui aſſerebant, Sacramenta, ab iniquis Miniſtris collata, ſuſcipientibus benè diſpoſitis non prodeſſe; excludit igitur probitatem Miniſtrorum, non intentionem, quam includit in illis verbis, *linguam, & manum*; non enim utcumque præbet linguam, & manum, ſed humano modo, & tanquam Miniſter Chriſti, & Eccleſiæ; ſicut dictum eſt.

ARTICULUS XI.

Quid ſentiendum in hac re de mente S. Auguſtini, & S. Thomæ necnon Innocentii IV.

111. IN Articulo 8. num. 83. proponebatur argumentum ex S. Auguſtino, qui lib. 7. de Baptiſ. cap. 53. definire non audet, an baptiſmus per jocum collatus validus ſit; ſed ut ex æquo Doctoris eximii mens conſtet, plura ejus verba, in quibus de quo dubitet, & quod ſentiat, dignoſcere poſſimus, opere pretium eſt, in medium afferamus. Proponit ſibi quæſtionem: *An homo initio mimum agens, ſeu jocans exteriùs, ſed in actionis mimicæ progreſſu, movente divina gratia, converſus verum, ac conſtans baptiſmu recipiat, ſi extra Eccleſiam ab hæretico, ſeu ſchiſmatico ſecundum Chriſti inſtitutionem abluatur.* Reſpondet primo. *Nobis tutum eſt, in ea non progredi aliqua temeritate ſententiæ, quæ nullo in Catholico Regionali Concilio cæpta, nullo plenario terminata ſunt; id autem fiducia ſecuræ mentis aſſerere, quod in gubernatione Domini Dei Noſtri, & Salvatoris Jeſu Chriſti, Univerſalis Eccleſiæ conſenſione roboratum eſt.* Huc uſque dubius eſt Auguſtinus; Si tamen ipſius ſententia poſtularetur, ita proſequitur. *Veruntamen, ſi quis forte me in eo Conſtitutum, ubi talium rerum quæſtio verſaretur, non præcedentibus talibus, quorum ſententias ſequi mallem, urgeret, ut dicerem, quod ipſe ſentirem, ſi eo modo affectus eſſem, quo eram, cum iſta dictarem, nequaquam dubitarem, habere eos baptiſmum, qui ubicumque, & à quibuſcumque illum verbis*

verbis Evangelicis conſecratum, ſine ſua ſimulatione, & cum aliqua fide accepiſſent: quamquam eis ad ſalutem ſpiritualem non prodeſſet, ſi charitate caruiſſent, qua Catholicæ insererentur Eccleſiæ &c. Addit deinde. *Sicut jam præteritis majorum ſtatutis non dubito, etiam illos habere baptiſmum, qui quamvis fallaciter illud accipiant, in Eccleſia tamen accipiunt, vel ubi putatur eſſe Eccleſia ab eis, in quorum ſocietate id accipitur &c. Ubi autem neque Societas ulla eſſet ita credentium, neque ille, qui ita acciperet, ita crederet, ſed totum ludrice, & mimicè, & joculariter ageretur, utrum approbandus eſſet baptiſmus, qui ſic daretur, divinum judicium per alicujus revelationis oraculum, concordi oratione, & impenſis ſupplici devotione gemitibus implorandum eſſe cenſerem ita ſane, ut poſt me dicturos ſententias, ne quid jam exploratum, & cognitum afferrent, humiliter expectarem: Quanto magis ergo nunc ſine præjudicio diligentioris inquiſitionis, vel majoris auctoritatis, illud dixiſſe accipiendus ſum.*

112. Hiſce omnibus expoſitis ex Auguſtini mente nihil certi colligi poſſe, tu ipſe facillimè vides. Propenſionem quidem ejuſdem vides, ſed imperfectam, & conditionatam. Primo dicit, ſi non præcederent alii, quorum ſententias ipſe præferret; Secundo id aſſerit, ſi eo modo affectus eſſet, quo erat, cum iſta dictaret; Tertio aliorum ſententias poſt ſe dicentium expectaret. Quarto non excludit diligentiorem inquiſitionem.

113. Validius fortaſſe argumentum deſumi poſſet ex eo, quod ibidem dicit de baptiſmate fallaciter dato; *Si poſtea prodatur nemo repetit; ſed aut excommunicando punitur illa ſimulatio, aut pænitendo ſanatur*. Supponit ergo baptiſmum fallaciter datum validum eſſe, & præmiſerat; *Præteritis majorum ſtatutis non dubito, illos etiam habere baptiſmum, qui quamvis fallaciter id accipiant, in Eccleſia tamen accipiunt, vel ubi putatur eſſe Eccleſia ab eis, in quorum ſocietate id accipitur, de quibus dictum eſt, ex nobis exierunt.*

114. Doctores Theologi hæc & ſimilia Auguſtini dicta perpendentes, plura dixerunt; atque in primis Eminentiſſimus Bellarminus aſſerit, hæc omnia dicta ab eodem fuiſſe non definitivè, ſed dubitanter; cui adhærent alii non pauci, inter quos Roſignolus. Videtur hæc explicatio parum conſentanea verbis illis, *Præteritis majorum ſtatutis non dubito &c.* Eſtius, & Sylvius exiſtimant, per fallaces indicari illos, qui cum affectu ad peccatum mortale dant, vel accipiunt baptiſmum, & ideo ficti ſunt, non Sacramenti, ſed præparationis fictione; Sed neque hoc ſatisfacit; cum ibi opponat fallaces, ac veraces; ſed veracium nomine non intelligit illos, qui nullo affectu ad peccatum tenentur; ergo neque fallacium nomine illos intelligit, qui hujuſmodi affectu ſunt implicati. Antec. patet, quia aſſerit, veraces etiam extra Eccleſiam reperiri; ac præterea, cum ibi agat contra Donatiſtas, nunquam fallaces appellavit eos, qui in lethalis peccati ſtatu conferunt Sacramentum.

115. Eminentiſſimus vero de Lugo diſp. 8. ſect. 3. num. 45. poſtquam dixit, Auguſtinum in eo capite de multis dubitaſſe, de quibus modo propter clariorem Conciliorum lucem nobis exhibitam amplius non dubitamus, inquit, id in hac materia contigiſſe, quod ipſi Auguſtiuo, aliiſque Patribus, alios hæreſes impugnantibus evenit; nempe ita acriter in eas contendiſſe, ut in aliam extremam partem inclinaverint, atque ideo, cum Donatiſtæ dicerent, baptiſmum, collatum ab hæretico, nullum eſſe, Auguſtinus adeo in baptiſmi valorem deflexit, ut abſolute dixerit, validum eſſe, nec ullum eſſe diſcrimen inter collatum à veracibus, ac fallacibus.

116. Non prohibemur tamen aliam explicationem exhibere, atque tantum Doctorem pro oppoſita ſententia non fuiſſe, demonſtrare; dum fallaciam no-

minat, intellige defectum fidei, vel circa Sacramentum, vel circa Sacramenti effectum, non vero defectum intentionis, de qua noſter ſermo; vel etiam ſimulationem, qua aliquis fingat ſentire, quod revera non ſentit. Hoc evinco ex toto illius capitis contextu. Primo comparat baptiſmum in Eccleſia receptum, vel in hæreſi fallaciter, baptiſmo recepto in ludo cum fide; inquit enim: *An plurimum diſtet inter ſe credentem in mimo, & irridentem in Eccleſia*; ergo per Miniſtrum fallaciter agentem intelligit deficientem in fide. Secundo quærit, an validum ſit baptiſma, quod in Eccleſia datur fallaciter; & opponit fallaces, à quibus in Eccleſia adminiſtratur Sacramentum, veracibus, in quorum ſocietate confertur, & inquirit, an id, quod eſt in veracibus, validius ſit ad confirmandum, quam id, quod in fallacibus, ad fruſtrandum: *Ubi autem*, pergit Doctor, *nulla ſocietas ita credentium, neque ille ibi, qui acciperet, ita crederet*. Pro credentium ſocietate Eccleſiam deſignat, in qua ſupponit, dari poſſe baptiſma fallaciter per Miniſtros, qui ſe Catholicos ſimulant, & ſic opponuntur veracibus, ideſt fidelibus, in quorum ſocietate baptiſmus adminiſtratur. Tertio fatetur, baptiſmum fallaciter datum non iterari, atque hoc ex majorum ſtatutis; at ubi hæc majorum ſtatuta, niſi loquendo de baptiſmate dato ſine fide, ac probitate? Ubi de intentionis defectu aliquas in Eccleſia leges fuiſſe, reperies? Tandem Auguſtini controverſia erat contra Donatiſtas; atqui Donatiſtę contendebant baptiſmum collatum ſine fide, ac probitate, nullum eſſe; ergo oppoſitum volebat Auguſtinus; dum igitur inquit, baptiſmum cum fallacia datum validum eſſe, pro fallacia intelligebat fidei, probitatiſque defectum. Dixi, *fidei, probitatiſque*; nam in hæreticorum ſocietate utraque deficit, in credentium vero ſocietate, ideſt Eccleſia, interdum deficit probitas, & interdum etiam fides, ut contingeret in eo, qui ſe Catholicum fingeret, ſed revera non eſſet.

117. Ut tamen verum fatear, Auguſtinus in hac re obſcuriſſimus eſt, & vix ſibi conſtare percipi poteſt, imo ſi ipſius dicta velimus ſtricte complecti, etiam baptiſmum mimice, & irriſorie datum, validum eſſe, dicemus; quod tamen non admittes, niſi te hæretici partes ſuſtinere fatearis.

118. Eſt & aliud Auguſtini teſtimonium lib. 3. contra Creſconium cap. 8. ubi ait, curandum non eſſe, *qua mente operetur*, *qua laboret intentione*; & tract. 5. in Joan. aſſerit, in adminiſtrandis Sacramentis *non timere adulterum*, *non ebrioſum*; ſed ebrioſus habere nequit intentionem internam; ergo.

Sed dices, mentis, & intentionis nomine intelligi fidem, non intentionem, de qua agimus, de hac enim nulla erat quæſtio inter ipſum, & Creſconium Donatiſtam, ſed ſolum de fide, ac probitate; unde capite 9. ejuſdem libri inquit: *Deus & per paſtores bonos, & per paſtores malos, cum verbum ſuum Sacramentumque diſpenſat, ipſe poſuit, &c.* In ultimo vero textu probatur, neque requiri actionem ſerio factam. Eſt ne ebrioſus ſerio agendi capax? non timet igitur ebrioſum, qui habitu hujuſmodi ſit, non qui actu. Ea de re de Novatiano Antipapa tertio Eccleſiæ ſæculo à tribus Epiſcopis vino temulentis conſecrato, ſcribit Cornelius Papa ad Fabium Antiochenum, ut refert Euſebius lib. 6. hiſt. cap. 33. nullam fuiſſe ejuſdem conſecrationem.

119. Cum vero Angelicus Doctor fideliſſimus ſit Auguſtini ſectator, videndum modo eſt, quid ipſe in hac re ſenſerit. Sunt enim plures, qui S. Thomam contrariam noſtræ ſententiam approbaſſe, ac docuiſſe arbitrantur, quod ingenue fatetur Pater Vaſq. diſp. 138. Ratio deſumitur ex iis, quæ habet in 4. diſt. 6. quæſt. 1. art. 2. quæſtiunc. 1. proponens enim ſibi argumentum, de quo nos diximus in artic. antec. 1. loco n. 83.

& re-

& referens opinionem illorum, qui mentalem intentionem requirunt, oppoſitæ hiſce verbis ſubſcribit: *Non requiritur mentalis intentio, ſed ſufficit expreſſio intentionis per verba ab Eccleſia inſtituta, & ideo ſi forma ſervatur, nec aliquid exterius dicitur, quod intentionem exprimat, baptizatus eſt.*

120. Communis reſponſio eſt, hæc ſcripta eſſe à Thoma, cum junior eſſet, in ſumma vero ſe retractaſſe. Verum hoc non ſuffragatur; etenim 3. par. q. 64. artic. 8. proponens ſibi idem argumentum, reſpondet: *Circa hoc eſt duplex opinio. Quidam enim dicunt, quod requiritur mentalis intentio in Miniſtro, quæ ſi deſit, non perficitur Sacramentum, ſed hunc defectum in pueris, qui non habent intentionem accedendi ad Sacramentum, ſupplet Chriſtus, qui interius baptizat; in adultis autem, qui intendunt Sacramentum ſuſcipere, ſupplet devotio, & fides. Sed hoc ſatis poſſet dici quantum ad ultimum effectum, qui eſt juſtificatio à peccatis, ſed quantum ad effectum, qui eſt res, & Sacramentum, ſcilicet quantum ad characterem, non videtur, quod per devotionem accedentis poſſit ſuppleri, quia character nunquam imprimitur, niſi per Sacramentum. Et ideo alii melius dicunt, quod Miniſter Sacramenti agit in perſona totius Eccleſiæ, cujus eſt Miniſter; in verbis autem, quæ profert, exprimitur intentio Eccleſiæ, quæ ſufficit ad perfectionem Sacramenti, niſi contrarium exterius exprimatur ex parte Miniſtri, vel recipientis Sacramentum.*

121. Si in litterali cortice perſiſtamus, nihil certe pro ſufficientia ſolius actionis externæ clarius afferri poteſt; & quamvis in textu ſint nonnulla, quæ diuturna explicatione indigerent, nam ſi non perficiatur Sacramentum, certum eſt non poſſe ſuppleri per Chriſtum in pueris, aut in adultis per fidem & devotionem effectum ſacramentalem, attamen, quantum ad rem noſtram attinet, ſi ejuſdem ſcopum perpendamus; etiam mentem aſſequemur. Oppoſuerat ergo ſibi, quod ſi requireretur interna intentio, animi pax, & conſcientiæ ſerenitas haberi non poſſet, quia de hujuſmodi intentione dubium excitari poſſet ſemper in nobis. Quid igitur ipſe? *Alii melius dicunt, quod Miniſter Sacramenti, &c. in verbis autem, quæ profert, exprimitur intentio Eccleſiæ, &c.* nimirum, ſi Miniſter ſerio agat, habemus ſufficiens fundamentum exiſtimandi, fuiſſe etiam intentionem faciendi quod facit Eccleſia, atque ideo Sacramentum perfecit, atque perfectum eſſe, ipſis ad conſcientiæ tranquillitatem perſuadere debemus.

122. Neque etiam diſplicet aliorum interpretatio dicentium, S. Thomam tantum arbitratum eſſe, non requiri intentionem actualem, claram, & expreſſam, ſed ſufficere habitualem, ideſt virtualem (pro habituali enim virtualem intelligit, cum nondum adinventa foret hujuſmodi diviſio) confuſam & implicitam generatim faciendi, quod facit Eccleſia.

123. Certe aliquo modo S. Thomam explicare debemus juxta ſenſum noſtrum, ne dicamus in paucis verbis ſibi contradixiſſe, cum pluribus in aliis locis pro intentione interna apertiſſime ſteterit. In eadem quæſt. art. 10. in corp. inquit: *Dicendum, quod intentio Miniſtri poteſt perverti dupliciter. Uno modo reſpectu ipſius Sacramenti, puta, cum aliquis non intendit Sacramentum conferre, ſed deriſorie aliquid agere; & talis perverſitas tollit veritatem Sacramenti, præcipue quando ſuam intentionem exterius manifeſtat*; notanda eſt autem illa particula *præcipue*; per quam innuitur, quod etiam ſi perverſa intententio exterius non manifeſtaretur, adhuc veritas Sacramenti non eſſet; artic. 9. quærens, utrum fides Miniſtri ſit neceſſaria, objicit ſibi hoc argumentum: *Videtur, quod fides Miniſtri ſit neceſſaria; ſicut enim dictum eſt, intentio Miniſtri eſt neceſſaria ad Sacramenti perfectionem, ſed fides intentionem dirigit;* ergo

ergo ſi deſit vera fides in Miniſtro, non perficitur Sacramentum. Reſpondet vero: *Dicendum, quod poteſt contingere, quod aliquis patiatur defectum fidei circa aliquid, non circa veritatem Sacramenti, quod exhibet: puta ſi aliquis credat, juramentum eſſe in omni caſu illicitum, & tamen credat, baptiſmum efficaciam habere ad ſalutem, & ſic talis infidelitas non impedit intentionem conferendi Sacramentum; ſi vero patiatur fidei defectum circa ipſum Sacramentum, quod exhibet, licet credat, per id, quod agitur exterius, nullum ſequi interiorem affectum, non tamen ignoret, quod Eccleſia Catholica intendit per hujuſmodi, quæ exterius aguntur, præbere Sacramentum, unde non obſtante infidelitate, poteſt intendere facere id, quod facit Eccleſia, licet exiſtimet, id nihil eſſe, & talis intentio ſufficit ad Sacramentum.* Porro Sanctum Doctorem hic loqui non de intentione externa, ſed interna, ſic probo; loquitur de ea intentione, quam impedire poſſet infidelitas; ſed infidelitas non poteſt impedire intentionem externam, cum hæc ſeparari non poſſit ab opere externo, quod ſerio exercetur; ergo de intentione interna.

124. Denique in opuſc. 5. in ſecun. par. ſub titulo de Sacramentis ſic loquitur: *Requiritur etiam in quolibet Sacramento perſona Miniſtri cum intentione conferendi, & faciendi, quod facit Eccleſia.* Et paucis interpoſitis ſubdit; *Et ſi Miniſter Sacramenti non intendit Sacramentum conficere, non perficitur Sacramentum.*

125. Supereſt modo, ut mentem Innocentii IV. in medium producamus. Hic ſcribens in tertium Librum Decretalium, titulo, *De baptiſmo, & ejus effectu*, hæc habet. *Non eſt neceſſe, quod baptizans ſciat, quid ſit Eccleſia, quæ baptizat, quis baptizatus, & unde ſit; nec quod gerat in mente facere, quod facit Eccleſia, imo ſit contrarium gereret in mente, ſcilicet non facere quod facit Eccleſia; ſed tamen facit, quia formam ſervat, nihilominus baptizatus eſt; dummodo baptizare intendat; Unde, ſi aliquis in caſu neceſſitatis conſtitutus, vel etiam ſine neceſſitate vadat ad Saracenum, & dicat, baptiza me, & doceat eum formam, & ille Saracenus baptizat, non credens per immerſionem aliquid aliud fieri, niſi madefactionem, & non intendat eum baptizare, vel etiam madefacere ſecundum intentionem petentis baptiſmum, ut baptiſmus operetur quidquid operari poteſt, & ipſe baptizans conferat tanquam Miniſter, quod alii baptizantes conferunt, licet non credat, ipſum poſſe aliquid operari; vere baptizatus eſt; ſed ſi hoc non intenditur, non baptizaret &c.*

126. Si priora verba juxta litteram conſideremus, Pontificem Maximum nobis adverſari, quiſque fateretur; at ſi contextum perſcrutemur, id aſſerere, quod à nobis defenditur, apertè declaratur. Primo dicitur: *Dummodo baptizare intendat.* Secundo dicitur, *& ipſe baptizans conferat tanquam Miniſter, quod alii baptizantes conferunt.* Tertio, *& ſi hoc non intenderet, non baptizaret.* Quid clarius afferri ad rem noſtram poteſt?

127. Quid igitur reſpondendum, cum ſecunda primis opponi videantur? Fateor, ſatis obſcurè locutum eſſe Innocentium, fortaſſe, ut multi ſolent, ne intelligantur, & in utramque partem detorqueri poſſint; quod præſertim contingit, cum ipſorum definitio cauſam finiret, & tot in ambages vertuntur, ut cui parti decretoriè adhæreant, ignorent. Multa immiſcent, ut utrique faveant, & nulli; Explicare tamen poſſumus ea, in quibus nobis adverſari videtur. Unum eſt, *neceſſe non eſſe, quod baptizans ſciat, quid ſit Eccleſia, quæ baptizat, quis baptizatus, & unde ſit.* Fatemur; nos enim ipſi diximus, intentionem non eſſe dirigendam ad Eccleſiam Romanam, ſed ad eam, quam ipſe putat eſſe veram; Hoc ſupra; & quamvis nullam Eccleſiam hujuſmodi eſſe putaret, ſatis eſt, ſi intendat facere, quod

tales

tales faciunt, quamvis exiſtimaret, id perperam, & ſacrilegè fieri. Secundum eſt. *Nec quod gerat in mente facere, quod facit Eccleſia, imo ſi contrarium gereret in mente*. Hoc explicari poteſt quantum ad priora verba, de intentione actuali, quam dicimus neceſſarium non eſſe; quantum vero ad poſteriora, de contrarietate quantum ad effectum, & gratiam, quæ per Sacramentum confertur, &, neque hanc intentionem neceſſariam eſſe, docemus; atque hoc quidem habetur ex aliis verbis, quæ ſequuntur, *ut baptiſmus operetur, quidquid operari poteſt*. Itaque &c.

128. Si quæ hactenus diximus agentes de intentione ritè perpendantur, clarè apparebit, omnia rejecta eſſe, quæ objici ulterius poſſent; Tale eſt illud Nicolai Papæ I. ad conſulta Bulgarorum, quod refertur in 3. Tomo Concil. & in cap. *A quodam Judæo* de Conſecr. diſ. 4. ubi interrogatus de iis, qui baptizati fuerant a quodam Judæo, reſpondit, ſi debita forma baptizati erant, non eſſe rebaptizandos; Tale eſt illud Concilii Rhotomagenſis celebrati anno 1581., in quo prohibetur, baptiſma, à Calviniſtis collatum, etiam ſub conditione iterari; & hoc, *quia conſtabat, Calviniſtas in cætu publico baptizare in forma verborum, & materia à Chriſto inſtituta*. Talia etiam ſunt alia, quæ magis explicabuntur in ſequentibus.

ARTICULUS XII.

Reſolvuntur alia de Miniſtri intentione.

129. JAm num. 75. intentionem in actualem, habitualem, ac virtualem diſtinximus; & paucis verbis, quid ipſæ forent, aſſignavimus; Diuturnam tamen quæſtionem apud veteres Doctores pro ipſarum diſtinctione ſtabilienda reperies; In iſtis tamen rebus nobis immorari non placet; Quare, ſi noſtris, qui legit, adhærere nolit, ipſos legat, deinde, quid didicerit, referat.

130. Sed quia dictum eſt ibi, intentionem habitualem nequaquam ſufficere; ideo liceat aliqua argumenta proferre, quibus contrarium concludi poſſe, videtur.

Et primo; argumentum deſumitur ex doctrina S. Th., qui 3. par. q. 64. art. 8. ſic loquitur: *Ad 3. dicendum, quod licet ille, qui aliud cogitat, non habeat actualem intentionem, habet tamen habitualem, quæ ſufficit ad perfectionem Sacramenti*.

Reſp. ut ſuperius dictum eſt, tempore S. Th. nondum fuiſſe inventam diſtinctionem intentionis in actualem, habitualem, ac virtualem; Hanc enim accepimus à Subtiliſſimo Doctore, cui tantum debet Eccleſiaſtica Reſpublica, & cujus Doctrina, cui ego adhæreo, uſque modo irreprehenſibilis perſeverat; Ii tamen, qui prius ſcripſerunt, dum habitualis intentionis mentionem fecerunt, eamque, tanquam ſufficientem Sacramentorum adminiſtrationi, exiſtimarunt, pro virtuali à nobis explicata illam uſurparunt; & ſi omnia S. Thomæ verba laudato loco adducta fuiſſent, non eſſet, cur argumento reſponderemus; ſubdit enim Angelicus Doctor; *Puta, cum Sacerdos, accedens ad baptizandum, intendit facere circa baptizandum, quod facit Eccleſia. Unde, ſi poſtea in ipſo exercitio actus, cogitatio ejus ad alia rapiatur, ex virtute primæ intentionis perficitur Sacramentum*. Nos porro intentionem virtualem eodem modo explicamus; ex. ca. Sacerdos ad baptizandum vocatur; induit ſe veſtibus ſacris, intendit baptizare, deinde diſtrahitur, & paulo poſt baptizat; adhuc dicimus, in ipſo eſſe virtualem intentionem, quia agit virtute prioris intentionis non retractatæ, nec aliis diſparibus actionibus interruptæ.

131. Secundo opponi ſic poteſt. Si quis hodie applicaret ſacrificia per annum à Sacerdote peragenda, hæc ſacrificia

ficia illi forent utilia, pro quo applicata ſunt, nec tamen eſſet applicatio virtualis; ergo ſi quis hodie vellet aliquem baptizare, & poſtea inter dormiendum baptizaret, validum eſſet baptiſma.

Sed contra. Actus, per quem alicui per totum annum applicantur à Sacerdote ſacrificia offerenda, non eſt tantum propoſitum applicandi, ſed ipſamet realis applicatio; è contrario actus, quo quis vult hodie aliquem baptizare, eſt tantum baptizandi propoſitum.

132. Sed hic potiſſimum quæritur; Quodnam eſſe debeat intentionis objectum; Dictum jam fuit, neceſſarium non eſſe, Miniſtrum intendere formaliter facere ritum Eccleſiæ, ut Sacramentum eſt, vel facere quod facit Eccleſia Catholica & Romana; unde reſolvendum ſupereſt, an debeat intendere etiam effectum Sacramenti, ſeu gratiam, quam recte diſpoſito Sacramentum confert.

Reſp. negative. Ad hoc probandum ſufficeret perpetua Eccleſiæ praxis, quæ approbavit tanquam validum baptiſmum collatum à Pelagianis, quamvis iſti, ſicut culpam originalem, ita etiam per baptiſmum ab hac culpa infantes purgari negaverint; atque hoc probant ea, quæ de Nicolao I. & Concilio Rhotomegenſi diximus num. 128. Porro hujuſce Concilii verba ſunt iſta: *Antea à pleriſque noſtrarum Diæceſeon locis baptizati ab hæreticis, præſertim Calviniſtis, redeuntes ad Eccleſiam Catholicam, iterum tingebantur hac ſub verborum forma*: Si non es baptizatus, ego te baptizo; *quia dubitabant nonnulli de valore baptiſmi ab hujuſmodi hæreticis collati, eo quod non haberent intentionem baptizandi in remiſſionem peccatorum, &c. Vetamus baptiſma repeti, ne de Anabaptiſmo redarguamur*. Idem ſtatutum fuit in pluribus aliis Conciliis; & jam dixerat Auguſtinus epiſt. 98. ad Bonifacium ſic: *Nec illud te moveat, quod non ea fide ad baptiſmum percipiendum parvulos ferant, ut gratia ſpirituali ad vitam regenerentur æternam, ſed quod eos putant hoc remedio temporalem retinere, vel recipere ſanitatem. Non enim propterea illi non regenerantur, quia non ab iſtis hac intentione offeruntur; celebrantur enim per eos neceſſaria myſteria, & verba Sacramentorum, ſine quibus conſecrari parvulus non poteſt.*

133. Docuit hoc S. Th. pluribus in locis in præſenti quæſtione 64. præſertim vero art. 10. *Poteſt perverti*, inquit, *intentio Miniſtri quantum ad id, quod ſequitur Sacramentum, puta, ſi Sacerdos intendat aliquam feminam baptizare, ut abutatur ea, vel ſi intendat conficere Corpus Chriſti, ut eo ad veneficia utatur, &c. talis intentionis perverſitas veritatem Sacramenti non tollit; ſed ipſe Miniſter ex tali intentione graviter peccat.*

134. Ratio eſt, quia etſi homines ſint Miniſtri Chriſti, & Dei in Sacramentis conficiendis; non ſunt tamen ejus Miniſtri in ipſorum effectum, ſeu efficaciam, ſed tota ipſorum virtus à ſolo Deo dependet; & ita dependet, ut in ſubjecto rite diſpoſito effectum neceſſario debeant producere; unde, quemadmodum ſi quis ignem admoveret ſtuppæ, ignis combureret, nec contraria intentio prohibere poſſet; ita ſi quis Sacramentum conferat, Sacramentum gratiam cauſabit, nec contraria Miniſtri intentio poteſt obeſſe.

135. Op. Miniſter, ut Sacramentum conficiat, habere debet ex dictis intentionem Eccleſiæ; ſed Eccleſia intendit etiam effectum Sacramenti; ergo debet hunc intendere etiam Miniſter.

Reſp. aliud eſſe intendere facere, quod facit Eccleſia, & aliud intendere, quod intendit Eccleſia; primum eſt verum, ſecundum eſt falſum; & certe Eccleſia effectum Sacramenti facere non poteſt; Hic enim eſt gratia, quæ à ſolo Deo producitur.

De nonnullis aliis Doctores inquirunt, ſed parum Theologo prodeſſe judico.

QUÆ-

QUÆSTIO IV.

De Sacramentorum ſubjecto.

CUM, excepta Euchariſtia, reliqua Sacramenta in actione tranſeunte conſiſtant; non ſolum ad ſui productionem principium efficiens ſibi poſtulant; ſed etiam ſubjectum exigunt, in quo recipiantur. Hinc, cum in antecedente quæſtione actum ſit de Miniſtro conficiente, congruum eſt, ſi ſtatim de eorumdem ſubjecto pertractemus. Quamvis vero Doctores Theologi plurima dubia in hac re promovere ſoleant, nos tamen pauca reſolvemus, illa nempe, quæ ſpectant ad Sacramenta generatim ſumpta, de quibus nunc agimus, acturi de reliquis, ubi de quolibet Sacramento in particulari diſputationes inſtituemus.

ARTICULUS I.

An ſolus homo viator ſit ſubjectum. Sacramentorum.

1. DUplex ſubjectum eſt, remotum unum, quod & phyſicum appellatur, proximum aliud, quod & morale dicitur. Primum illud eſt, quod ſecundum propriam naturam eſt capax aliquid recipiendi, ſecundum eſt illud, quod etiam eſt diſpoſitum ad aliquid recipiendum; Pauca hic dicemus de ſubjecto in prima conſideratione; evitabimus autem ea omnia, quæ juxta potentiam Dei extraordinariam fieri poſſent; atque ea aliis relinquemus, quorum ingenium in rebus poſſibilibus, vel impoſſibilibus ſummopere delectatur.

Dicendum; ſolos homines viatores eſſe ſubjectum remotum Sacramentorum, & omnes omnium; ſi Sacramentum ordinis excipias, cujus feminæ incapaces ſunt, ut in proprio loco declarabo.

2. Prob. prima pars, eſſe ſubjectum remotum Sacramentorum eſt eſſe ſubjectum capax recipiendi Sacramenta; ſed ſoli homines viatores ſunt ſubjectum capax recipiendi Sacramenta; ergo ſoli ſunt ſubjectum remotum Sacramentorum. Prob. min. ſoli viatores ſunt ſubjectum capax recipiendi vel gratiam, vel augmentum gratiæ, ad quam conferendam Sacramenta inſtituta ſunt.

Confirm. Illi tantum ſunt capaces Sacramentorum, qui ſpectare poſſunt ad Eccleſiam Dei viſibilem, ſed ſoli homines viatores ſpectare poſſunt ad Eccleſiam Dei viſibilem, ergo ſoli, &c. major conſtat, cum Chriſtus Eccleſiæ ſuæ viſibili Sacramenta contulerit.

Et certe hoc poſtulat ipſa Chriſti inſtitutio. De Baptiſmate dictum fuit: *Docete omnes gentes, baptizantes eos, &c.* De Sacramento pœnitentiæ: *Quorum remiſeritis peccata remittuntur eis*; & ſic ſingula percurrendo.

3. Neque dicas; eſſe cauſativum gratiæ eſſe a Sacramento ſeparabile; & quamvis ſubjectum ſit incapax recipiendi gratiam, attamen eſt capax Sacramenti, ut patet in homine actu peccatore. Contra enim eſt; ſeparabile illud eſſe à Sacramento in actu ſecundo quando ſubjectum eſt indiſpoſitum, & cum obice; ſeparabile tamen non eſſe in actu primo; & indiſpoſitio, ſeu obex, qui reperitur in homine peccatore, qui in via ſit, ex vi præſentis inſtitutionis removeri poteſt; imo Sacramentum pœnitentiæ ad hoc inſtitutum eſt; Contrarium vero contingit in aliis, qui jam ad terminum pervenerunt; ideo, &c.

4. Secunda pars aſſertionis oſtenditur,

tur, quia juxta præſentem inſtitutionem quilibet capax eſt, vel proxime, vel remote omnium Sacramentorum; De Baptiſmate, Confirmatione, & Euchariſtia nullum dubium eſſe poteſt, nam prima duo Sacramenta conferuntur etiam pueris, & poſtremum olim conferebatur, & ſolum Eccleſiaſtico jure nunc ſervatur oppoſitum. De pœnitentia ita conſtat, ſicut manifeſtum eſt, omnem viatorem poſſe peccare; quod ſi illi, qui nondum pervenerunt ad rationis uſum Sacramentum hoc nequeunt recipere, non eſt titulo incapacitatis ſubjecti; ſed defectu materiæ, quæ ad Sacramentum, veluti pars, conſtituendum concurrit; & ita etiam loquendum de matrimonio, & extrema unctione; ideo dixi, vel proxime, vel *remote*.

Verum ad alia progrediamur; hæc enim leviſſimi momenti cenſenda ſunt.

ARTICULUS II.

An voluntatis conſenſus, ſeu intentio requiratur in ſubjecto ut vere Sacramentum percipiat.

5. DE parvulis nulla quæſtio, cum in iſtis nullum eſſe poſſe conſenſum, manifeſtum ſit; atque idem dicendum de iis, qui nunquam rationis uſum habuerunt, qui idcirco parvulis æquiparantur; Rurſus de Euchariſtia dubium nullum, hoc enim eſt Sacramentum permanens, & ideo cum hujuſmodi ſit ante ſumptionem, nihil ad ipſum refert, quod in ſuſcipiente ſit, vel deſit intentio, & conſenſus. Itaque de reliquis erit ſermo.

6. Docuerunt aliqui ad valorem Baptiſmi nullum poſitivum requiri conſenſum; ſed ſufficere ſolam non repugnantiam, ſeu non contrariam voluntatem; ita ut ſi gentilis aliquis nihil unquam de Baptiſmo cogitaverit, & ideo nec velle, nec nolle illud potuerit, ſi dormiens baptizetur, validus Baptiſmus ſit exiſtimandus. Hæc ſententia tribuitur Cajetano quæſt. 68. art. 7. & eam ſequi videtur Ledeſma in 4. 1. par. quæſt. 9. art. 7. & videtur colligi ex Innocent. III. cap. *Majores* de Baptiſm. ubi hæc habentur: *Tunc characterem ſacramentalis imprimit operatio, quando obicem contrariæ voluntatis non invenerit.*

7. Oppoſitum tamen docent omnes alii Theologi cum S.Th. quæſt. 68. art. 7. Scoto quæſt. 4. diſt. 4. Bonavent. diſt. 4. quæſt. 1. artic. 2. Richard. Palud. &c. atque horum ſententia approbanda eſt; ita ut in adultis ad valide ſuſcipiendum Sacramentum neceſſaria ſit aliqua poſitiva intentio illud recipiendi.

Hanc probant primo definitiones Conciliorum, Summorumque Pontificum Decreta. Si de Conciliis loquamur, occurrit Carthaginenſe tertium cap. 34. ubi dicitur: *Ægrotantes, ſi pro ſe reſpondere non poſſunt, cum voluntatis eorum teſtimonium hi, qui ſui ſunt, dixerint, baptizentur.* Carthagin. 4. c. 76. ait: *Is, qui pœnitentiam in infirmitate petit, ſi caſu, dum ad eum Sacerdos invitatus venit, oppreſſus infirmitate obmutuerit, vel in phreneſim verſus fuerit, dent teſtimonium, qui eum audierunt, & accipiat pœnitentiam.* In Arauſicano primo can. 12. ſic decernitur: *Obmuteſcens baptizari, aut pœnitentiam accipere poteſt, ſi voluntatis præteritæ teſtimonium aliorum verbis habet.* Supponunt ergo Concilia, neceſſariam eſſe aliquam poſitivam voluntatem præcedentem.

8. Si vero Summorum Pontificum Decreta proferre placet, in promptu eſt Innoc. III. cap. *Majores* de baptiſmo, & ejus effectu lib. 3. Decretal. tit. 42. prius affert illorum opinionem, qui dicebant, non ſolum parvulos, qui non conſentiunt, ſed etiam fictos, qui quamvis ore, corde tamen diſſentiunt, Sacramentum recipere; etſi non quantum ad rem, quantum tamen ad characterem, inquit; *Sed opponitur talibus, quod qui fuiſ-*

fuiſſent inviti, & reluctantes immerſi, ſaltem ratione Sacramenti ad juriſdictionem Eccleſiaſticam pertinerent, unde ad ſervandam regulam fidei Chriſtianæ forent rationabiliter compellendi. Verum id eſt Religioni Chriſtianæ contrarium &c. Pergit deinde Pontifex dicens. *Dormientes autem, & amentes, ſi priuſquam amentiam incurrerent aut dormirent, in contradictione perſiſterent, quia in eis intelligitur contradictionis propoſitum perdurare, etſi fuerint immerſi, characterem non ſuſcipiunt Sacramenti. Secus autem ſi prius Catechumeni extitiſſent, & habuiſſent propoſitum baptizandi; unde tales in neceſſitatis articulo conſuevit Eccleſia baptizare. Tunc ergo characterem Sacramentalis imprimit operatio, cum obicem voluntatis contrariæ non invenit obſiſtentem.* Nota autem, per voluntatem contrariam non ſolum intelligere poſitivum diſſenſum, ſed etiam carentiam conſenſus, cum enim ſermo eſt de adulto, ſi hic non conſentit, poſitive diſſentire cenſendus eſt; agitur enim de baptiſmo, in quo qui baptizatur, ſubit obligationem ſervandi legem Eccleſiaſticam, tanquam Eccleſiæ ſubditus. Pro hujuſmodi autem obligatione, qui adultus eſt, & Dominus ſuæ libertatis, ſemper cenſetur invitus ac contrarius, ſi poſitivè ſe non obliget, & conſentiat.

9. Innoc. vero IV. in tertium lib. Decret. titulo de baptiſmo & ejus effectu qu. 10. expreſſiùs docet, nec Baptiſmum recipi, nec Matrimonium contrahi ſine conſenſu; & in Rituali Romano de Baptiſmo adultorum prohibetur, Baptiſmum conferri adulto amenti; niſi priuſquam in amentiam inciderit, illum poſtulaverit.

10. Totum hoc jam priùs docuerat S. Auguſtinus; qui lib. 4. contra Donatiſt. cap. 24. affert diſcrimen inter infantes, & adultos, qui baptizantur, hiſce verbis. *Cum alii pro eis* (nempe parvulis) *reſpondeant, ut impleatur erga eos celebratio Sacramenti, valet utique ad eorum conſecrationem; quia ipſi reſpondere non poſſunt; At ſi pro eo, qui reſpondere poteſt, alius reſpondeat, non itidem valet; Ex qua regula illud in Evangelio dictum eſt, quod omnes, cum legitur, naturaliter movet; ætatem habet, ipſe pro ſe loquatur.*

11. Neque dicas, ex ſuperioribus definitionibus probari quidem, Baptiſmum eſſe illicitum; non tamen invalidum; ſicuti ex quo Concilia docuerint, infantes infidelium non eſſe baptizandos ſine parentum conſenſu, infertur tantum, requiri hujuſmodi conſenſum ad licitam Baptiſmi collationem, non tamen ad validam. Contra enim eſt; Quando Baptiſmus adultorum prohibetur à Conciliis tanquam illicitus, prohibetur etiam tanquam invalidus; alioquin grave foret adultorum detrimentum, prohibitum eſſe tanquam illicitum, quod pro ipſorum ſalute eſſet validum; nec alio modo poſſent ſalutem comparare; & S. Th. qu. 68. art. 7. ad 2. inquit; *Si in adulto deeſſet intentio ſuſcipiendi baptiſmum, eſſet rebaptizandus.* Utique quia nec validè eſſet baptizatus. Neque eadem eſt ratio de Baptiſmate parvulorum, quia tunc relinquerentur infantes abſque remedio, & inſtante mortis periculo ceſſat quæcumque prohibitio, & poſſunt licitè baptizari etiam deficiente parentum conſenſu; ut ſuo loco dicetur.

12. Ex iſtis ratio etiam colligitur ad idem declarandum, & ſic exponitur. Dum conficiuntur Sacramenta, quæ conſiſtunt in actione tranſeunte; inducitur neceſſario in ſuſcipiente effectus exigens in ipſo aliquam diſpoſitionem, ſi adultus ſit, ergo. Prob. ant. Hæc Sacramenta vel ſunt pœnitentia, & extrema unctio, & iſta nequeunt eſſe valida, quin ſint formata, ut in propriis locis oſtendemus; vel ſunt Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo, quæ imprimunt characterem; vel Matrimonium inducens quaſi characterem propter indiſſolubilitatem vinculi conjugalis, atqui character & indiſſolubilitas vinculi exigunt in ſuſcipiente aliquam diſpoſitionem, ergo.

Prob. mi. Habens rationis uſum, & in arbitrii libertate conſtitutus non debet, connaturaliter loquendo, conſtitui ſine proprio conſenſu in aliquo ſtatu permanente, in quo gravibus obligationibus ſubdatur, & ex alia parte Deus ſe accomodat, quantum fieri poteſt, rerum connaturali exigentiæ; atqui Sacramentalis character, & Matrimonii indiſſolubilitas conſtituunt ſuſcipientem in aliquo ſtatu permanente, & gravibus obligationibus ſubjectum efficiunt; & ſuſcipiens habet uſum rationis, & arbitrii libertatem, ergo. Obligationes autem ſunt iſtæ. Character Baptiſmi conſtituit baptizatum in perpetua ſubjectione debita Eccleſiæ; Character confirmationis in perpetua ſpirituali militia; Character ordinis in perpetuo debito reddendi Deo peculiarem cultum. De conjugali vinculo non eſt cur dicam; dicant qui adſtricti ſunt, ergo.

13. Quod ſi Concilium Florentinum, loquens de Sacramentis, meminit intentionis neceſſariæ in Miniſtro, non ſic in ſuſcipiente, non recte inferfertur, iſtam nequaquam requiri; nam meminit etiam perſonæ Miniſtri, non perſonæ ſuſcipientis, & tamen hanc neceſſariam eſſe, quis poteſt ambigere? ſed hujus ratio eſſe poteſt, vel quia intentio Miniſtri requiritur directè, & ratione ſui in Sacramento; è contrario intentio ſuſcipientis indirectè, & ratione effectus, ut dixi in probatione; vel quia illa exigitur magis univerſaliter, ideſt in omnibus Miniſtris, & in quolibet Sacramento; è contra iſta requiritur tantum in adultis, & nequaquam in Euchariſtia.

ARTICULUS III.

Refelluntur argumenta contra prædicta.

14. OPp. 1. Gloſſa in cap. *Solet* de conſecratione diſ. 4. docet, validum eſſe Baptiſma, *ſi qui ſuſcipit, dicat, ore ſe conſentire, quamvis corde diſſentiat*; ergo.

Reſp. primo momentum hoc nullius roboris eſſe, Gloſſam enim hanc Gregor. XIII. juſſit expungi. Secundo id verum eſſe quantum ad forum Eccleſiæ, quæ de internis non judicat; non vero quantum ad Sacramenti ſubſtantiam, & valorem, & hoc habetur in alia Gloſſa marginali.

15. Op. 2. Sacramenta etiam per vim collata valida ſunt; ergo ad Sacramentorum valorem non requiritur ſuſcipientis conſenſus. Ad probandum antecedens duo facta ex Hiſtoriis afferri poſſunt. Primum refertur à Theodoreto cap. 13. Hiſtoriæ Religioſæ. Nempe fuiſſe quemdam Macedonium Aſcetam virtute eximium, atque ſpectabilem, qui in montis vertice ab hominibus ſejunctus angelicam vitam degebat; tunc Flavianus Antiochenæ Eccleſiæ Præſul, per objectæ accuſationis ſpeciem ad ſe illum adduxit, atque ipſum inſcium in numerum Sacerdotum coaptavit; Quid peractum eſſet indicarunt aliqui, tunc ipſe, veritus, ne hujuſmodi ordinatio optatam ſolitudinem foret ereptura, primum convitiis univerſos proſcidit, deinde arrepto baculo, quo innixus propter ſenium incedebat, ipſum Antiſtitem, alioſque, qui aderant, inſecutus eſt; Viri indignationem amici quidam ſedaverunt; ſed cum dies Dominicus rediiſſet, iterum illud evocat Flavianus, ut celebritati cum ipſo interſit. Iis, qui juſſu Paſtoris, advenerant; an vobis, ait, non ſufficiunt, quæ jam acta ſunt, ſed iterum me Presbyterum creare vultis? Illi autem reſponderunt, fieri non poſſe, ut bis eadem fiat manuum impoſitio. Ille tamen non acquievit. Erat igitur juxta Flavianum, alioſque Macedonius ordinatus, nec tamen fuit ipſius conſenſus, potiori itaque jure ſufficiet voluntas minime contraria; quin dicamus neceſſarium eſſe aliquem poſitivum conſenſum.

16. Secundam refertur à S. Epiphanio in epiſ. ad Joan. Jeroſolymitanum inter Hieronymianas 110. qui Paulinianum

num S. Hieronymi fratrem Diaconum, deinde Presbyterum inauguravit. Verba Epiphanii ſunt iſta. *Ignorantem eum, & nullam penitus habentem ſuſpicionem per multos Diaconos apprehendi juſſimus, & teneri os ejus, ne forte liberare ſe cupiens, adjuvaret nos per nomen Chriſti; & primùm Diaconum ordinavimus &c.*

17. In eo, quod ad Macedonium ſpectat, reſpondent aliqui, ordinationem illam haud quaquam validam fuiſſe, quippe quod nec precibus, nec minis adduci potuit, & plane ignarus & inſcius manuum impoſitionem percepit; unde Theodoretus, poſtquam rem narravit, addidit; *Scimus ſanè, non laudandam multis viſam iri hanc narrationem*. At reſponſio hæc futilis videtur, nam Flavianus magnus ille vir, ac canonum peritiſſimus illam ratam habuit, & Macedonius ab aliis Eccleſiis verus Presbyter habitus eſt.

18. Dici igitur potius debet; ipſius voluntatem in actu explicito ac particulari fuiſſe poſtea contrariam; in actu tamen implicito, ac univerſali fuiſſe prius conſentientem; habebat enim vir ille ſanctus & humilis animum in omnibus Eccleſiæ ſubditum; proinde etiam ratum habebat, quidquid Eccleſiæ nomine, & auctoritate dabatur; ſed illius ordinatio Eccleſiæ nomine, & authoritate collata erat; ergo illam in actu implicito, & univerſali ratam habuit; ac eodem modo præbuit conſenſum, quamvis poſtea ſe contrarium oſtenderet, quod Sacramenti valori non officit.

19. Hoc idem de Pauliniano dici poteſt; ſed de hoc præſertim affirmandum eſt, fuiſſe quidem invitum ſecundum quid, ſimpliciter tamen fuiſſe conſentientem; Plures enim tunc temporis ex humilitate, metu, ac reverentia erga ſacros ordines, iſtos refugiebant, ad quos perſæpe populi votis, precibus, clamoribus, imperio impellebantur; & ſic contingebat, ut ſe ordinari conſentirent, quamvis ex alia parte forent inviti; Unde S. Cyprianus in epiſt. 52. ad Antonianum, ſcribens de electione, & ordinatione Cornelii in Epiſcopum Romanum, inquit, *non, ut quidam, vim fecit, ut Epiſcopus fieret, ſed ipſe vim paſſus eſt, ut coactus Epiſcopatum exciperet*. Ita res evenit in Pauliniano, de quo Epiphanius verebatur, ne ſe cuperet liberari; ideo dicit, *apprehendi juſſimus, & teneri os ejus, ne forte liberari ſe cupiens &c.* ſubdit deinde Epiphanius. *Proponentes ei timorem Dei, & compellentes, ut miniſtraret, valde enim obnitebatur, indignum ſe eſſe conteſtans; vix ergo compulimus eum, & perſuadere potuimus &c.* Totum hoc oſtenditur eorum exemplo, qui ex. ca. ſuppliciorum metu eligerent baptizari potius, quam tormenta ſubire; iſti non ſimpliciter inviti baptizarentur; eo modo quo projiciens merces metu naufragii, non ſimpliciter invitus projicit.

20. Ad hanc rem revocantur ea, quæ habet Innocen. III. loco citato n.8. videlicet; *Propter quod inter invitum, & invitum, coactum, & coactum alii non abſurdè diſtinguunt; quod is, qui terroribus atque ſuppliciis violenter attrahitur, & ne detrimentum incurrat, baptiſmi ſuſcipit Sacramentum; talis characterem ſuſcipit chriſtianitatis impreſſum, & ipſe tanquam conditionaliter volens, licet abſolutè non velit, cogendus eſt ad obſervantiam fidei chriſtianæ &c.*

21. Op. 3. factum Geneſii; ſed de hoc dictum ante num. 84. præcedentis quæſtionis. Illud ergo Dioſcori, qui dum mimicè Chriſtianorum myſteria proponeret, baptizatus eſt, & validè baptizatus eſſe, ambigit nemo.

Equidem nec ego ambigo; ſed Baptiſmi recipiendi aliquam non habuiſſe intentionem, nego: Quanquam non dicam aliquam, ſed fortaſſe omnibus aliis explicatiorem. Ægrotaverat Dioſcori filia, quam ſummopere, ne dicam unicè diligebat; vix ſalutis ſupererat ſpes. Ut ſolent homines, in tribulatione clamavit ad Dominum, atque ſi illam ſalvam haberet, ſe Chriſtianum fieri promi-

miſit; Clamavit homo, exaudivit Deus, qui ſuplicum preces excedit & vota; Promiſſa non ſervavit homo; miſericorditer indignatus eſt Deus; Repentina cæcitate ſuffuſus Dioſcorus fuit; Nova tribulatio novum cæco indidit lumen; Unde hoc evenerit, perpendit; agnovit, atque iterum vovet, ſi lumen acceperit, impleturum quod voverat; Recepit, implevit. Hæc omnia narrat Auguſtinus epiſ. 67. ad Alipium; Quibus expoſitis, quis dicet, Dioſcoro baptiſmi recipiendi defuiſſe conſenſum? Hoc nemo dicat; ſed cum eodem Auguſtino hymnum canat, & Dnminum ſuperexaltet in ſæcula.

22. Op. 4. Parvuli nullum habent conſenſum, nullam intentionem; & tamen ipſis validè confertur Baptiſma, & validè etiam cnnferretur ordinatio; ergo ad Sacramenti valorem non requiritur aliqua intentio, etiam in adultis; Prob. conſ. Quod ad valorem Sacramenti non eſt neceſſarium in unn, neque eſſe poteſt in alio; ergo ſi parvuli nullum habent &c. & tamen &c. etiam &c. Ratio autem eſt; quia quod ad eſſentiam rei pertinet, ubicumque ſit, pertinere debet.

Reſp. ſi de eſſentia metaphyſica ſermo ſit, verum eſt argumentum; non ſi de eſſentia morali, quæ dependeat ab alterius voluntate; Voluit autem Deus, in parvulis Baptiſma eſſe validum abſque ipſorum intentione, quæ eſſe non poterat; noluit autem hoc in adultis, qui intentionem, atque conſenſum habere poterant; Hoc ſufficeret, ne quid ulteriùs à me peteres; nihilominus rationem exhibebo; Peccaverunt parvuli tantum voluntate aliena; Quid mirum ergo, ſi tantùm voluntate aliena poſſint ſalvi fieri? Peccaverunt adulti voluntate propria; igitur etiam voluntate propria à peccato ſe liberent; illudque ſuſcipiant, qun liberare ſe poſſint. Quod ſpectat ad ordinationem, etiam in proprio loco.

23. Opponi tandem poteſt quodam Auguſtini teſtimonium tract. 26. in Joan. dicentis: *Intrare quiſquam in Eccleſiam poteſt nolens, accedere ad Altare poteſt nolens, accipere Sacramentum poteſt nolens; credere non poteſt niſi volens.* Et lib. 4. Confeſſionum cap. 4. narrantis, quemdam amicum ſuum, cum ſine ſenſu jam diu jacuiſſet, fuiſſe inſcium baptizatum.

Sed, quantum ad hoc ſecundum; amicus iſte Auguſtini priùs Baptiſmum petierat, dum ſanus eſſet, quem poſtea inſcius recepit infirmus; & iterum ad ſenſum rediens approbavit; Quantum ad primum, vel ibi eſt ſermo tantum de Euchariſtia, ut patet ex verbis, *accedere ad Altare poteſt &c.* vel ſi de Baptiſmo, loquitur, de parvulis; quod ſi de adultis, verbum illud, nolens, nnn eſt intelligendum ſimpliciter, ſed ſolum ſecundum quid.

ARTICULUS IV.

Qualis eſſe debeat, ut ſufficiat, ſuſcipientis intentio.

24. Probata neceſſitate alicujus intentionis ex parte ſubjecti ad Sacramenti valorem, ſupereſt modo, hujuſce intentionis qualitatem ſtatuamus. Qua in re

Dico; non eſſe neceſſariam, niſi intentionem habitualem, ideſt intentionem aliquo tempore habitam, & non retractatam.

Ratio prima hujus eſt; quia intentio actualis non eſt neceſſaria in Miniſtro conficiente, ſicuti dictum fuit, in iſto ſufficit intentio virtualis; ergo minor ſufficiet in ſubjecto recipiente; plus enim requiritur ex parte illius, quod ſe habet ad inſtar cauſæ efficientis, quam illius, quod eſt cauſa materialis, ſed hęc minor intentio eſt intentio habitualis; ergo iſta ex parte ſubjecti ſufficiet.

25. Ratio ſecunda & potiſſima eſt; quia ex Sacrorum Canonum ſtatutis habemus, valida eſſe Sacramenta, collata dormientibus, amentibus, & ſubita infir-

firmitate correptis; dummodo prius vel verbis, vel aliquibus ſignis ea poſtulaverint; ſed in iſtis eſt ſola intentio habitualis; ergo ad valorem Sacramenti iſta ſola ſufficiet.

26. Imo neque neceſſaria eſt intentio habitualis explicita & abſoluta, ſed ſufficit etiam implicita, ſeu interpretativa; Hoc evincitur ex Rituali Romano ſub titulo de extrema unctione, ubi aſſeritur, conferendam eſſe extremam unctionem ſenſibus deſtitutis; non ſolum ſi prius illam petierint; ſed etiam ſi veriſimiliter petiiſſent, in quo explicatur intentio habitualis implicita, ſeu interpretativa. Porro hujuſmodi intentio ab aliquibus explicatur latiori quoddam modo; ita ut dicant in eo conſiſtere, quod adultus poſt Baptiſmum ſuſceptum, vel voce, vel operibus ſemper Chriſtianam Religionem profeſſus fuerit, teſtatuſque, ſe juxta Catholicæ Eccleſiæ leges vivere, ac mori velle; ab aliquibus verò dicitur in eo conſiſtere, quod quis omnes Eccleſiæ leges, & præcipuè in Sacramentorum ſuſceptione ſollicitè ſervaverit; tunc enim præſumendum meritoeſt, quod ſi poſſet illa Sacramenta petere; id faceret.

27. Exiſtimo tamen, ut diſtinctius quidpiam dicamus; diſtinguenda eſſe Sacramenta; aliqua enim ſunt, quæ in ſuſcipientibus graves quaſdam obligationes inducunt, ut Baptiſmus, Ordo, & Matrimonium; aliqua vero, quæ vel nullam, vel tenuem, ut ſunt Confirmatio, extrema Unctio, Euchariſtia, ac Pœnitentia; In illis neceſſaria eſt habitualis expreſſa; eſt enim rationi, ac rerum naturæ congruum, ut creatura rationalis in aſſumendis gravioribus oneribus per actum magis expreſſum propriæ voluntatis in illud feratur; non ſic vero in iis, quæ plurimum ſuſcipienti utilia ſunt, & modiciſſimum ferunt incommodum; Atque id dicendum eſt ſtatutum à Deo, & Servatore noſtro Jeſu Chriſto, hominum conditioni, naturæque ſe accomodante.

28. Atque ex his ſolvitur dubium illud, in quo inquiritur, utrum infidelis, qui per omnia media ſuæ ſaluti conſulendi voluntatem generalem exhibuerit; ſi repentino morbo corripiatur, ſit baptizandus. Etenim in hujuſmodi infideli vel ſupponitur notitia Baptiſmi ad ſalutis aſſequutionem neceſſarii omniumque onerum, quæ ex illo conſequuntur, vel non ſupponitur; Si primum, videtur illi non eſſe conferendum Baptiſmum; quia juſtiſſima præſumptio eſt, voluntatem illam generale[m] non fuiſſe relatè ad Baptiſmum; cur enim prius numquam petiit; ejuſque nunquam prius deſiderium exhibuit? Hoc a fortiori dicendum, ſi ſecundum; Hæc eſt plurium Theologorum opinio, quam proponit, & aſſerit præſertim Roſignolus. Fateor tamen, hujuſce Doctoris fundamenta nihil probare. Fundamentum in prima ſuppoſitione, nempe quod habuerit Baptiſmi cognitionem, eſt illud, quod adduxi. At ſi ille intentionem illam habuit conſulendi ſaluti ſuæ per omnia media neceſſaria, per conſequens etiam per Baptiſmum; & ſic ejus mentem jure interpretari poſſumus; quod ſi morbus non impediret, tunc peteret; & voluntas, quæ prius inefficax erat, efficax fieret. Fundamentum in ſecunda ſuppoſitione eſt, quia habetur præſumptio rationabilis, quod ſi cognoviſſet onera, quæ ex Baptiſmi ſuſceptione proveniunt, habuiſſet voluntatem Baptiſmo repugnantem; ſed eadem ratione dicam, haberi præſumptionem rationabilem, quod ſi cognoviſſet utilitatem, quæ ex Baptiſmi ſuſceptione progreditur, imo ejus neceſſitatem ad ſalutem, habuiſſet voluntatem pro Baptiſmo ſedulam. Ut igitur illa ſententia defendatur, dicat tantum, requiri ad Baptiſmum intentionem expreſſam juxta Concilium Carthaginenſe 3. & Arauſicanum 1. num. 7. à nobis laudata.

29. Sed quod dictum eſt de intentione habituali, videtur non ſubſiſtere pro Sacramento Matrimonii, nec enim dor-

dormientes, aut amentes nubere poſſunt; etſi prius nubendi habuerint intentionem expreſſam.

Reſpondeo tamen; vel ſupponitur, contrahentes eſſe ſolos Miniſtros hujus Sacramenti, & tunc verum eſt, non ſufficere intentionem habitualem propterea, quæ diximus, ubi de Miniſtri intentione quærebatur; ſi autem ſolus Sacerdos Miniſter ſupponatur; qui civilem contractum, antequam ſomno ſe traderent; per verba de præſenti inierunt, valide poſſunt à Sacerdote, licet dormiant, ſacra benedictione donari.

ARTICULUS V.

Quid ſentiendum de fide ad valide ſuſcipiendum Sacramentum; & quid neceſſarium ſit ad licitam Sacramentorum ſuſceptionem.

30. Dicendum 1. fidem neceſſariam non eſſe ad valide Sacramenta ſuſcipienda.

Jam vides, reſolutionem eſſe de adultis, cum parvulis nullam fidem ineſſe poſſe, manifeſtum ſit; Oſtenditur autem hoc primo, quia ſi in Miniſtro neceſſaria fides non eſt, ut jam in antecedentibus dictum eſt, potiori jure neceſſaria non erit in ſuſcipiente; Hoc tamen melius demonſtrari non poteſt, quam ex uſu, & perpetua Eccleſiæ praxi, quæ ſemper ratum habuit Baptiſmum, quem, cum debita intentione collatum, Ariani, Neſtoriani, ac Macedoniani receperunt; & quia fortaſſe dicere poſſes, iſtos quidem erraſſe circa articulos alios, qui ad fidem pertinent, non tamen circa Baptiſmum, atque ideo hunc valide ſuſcepiſſe; ideo pro hoc Sacramento audi Auguſtinum lib. 3. de Baptiſm. c. 14. imo de quocumque Sacramento ita dicentem: *Non intereſt, cum de Sacramenti integritate, & ſanctitate tractatur, quid credat, aut quali fide imbutus ſit ille, qui accipit Sacramentum. Intereſt, quidem plurimum ad ſalutis viam, ſed ad Sacramenti quæſtionem nihil intereſt.*

31. Excipias tamen Sacramentum pœnitentiæ; ſiquidem ſi fides in ſuſcipiente deficeret, deeſſet etiam dolor requiſitus, tanquam hujus Sacramenti materies; & in hoc valet quod ſuperius ſuppoſuimus, & ſuo loco probabimus, Sacramentum hoc validum eſſe non poſſe; quin ſit etiam formatum. Hæc quidem de valore.

32. At ſi de licita Sacramentorum ſuſceptione ſermo noſter inſtituatur; fidem, aliaſque diſpoſitiones neceſſarias eſſe, procul dubio tenendum eſt; quod quidem evincitur primo ex laudato Auguſtini teſtimonio; Ratio autem Theologica eſt, quia per Baptiſmum gratia regenerationis, qua à peccato originali adultus liberatur, confertur; porro regenerari non poteſt, ſeu de filio iræ fieri filius Dei, niſi fides præſupponatur; cum ſine fide impoſſibile ſit placare Deo; Hinc etiam Chriſtus Dominus mittens diſcipulos ſuos dixit Mat. ultimo: *Docete omnes gentes, baptizantes, &c.* ita ut doctrina fidei præcederet, Baptiſmi Sacramentum ſequeretur, quod Eccleſia cum Cathecumenis ſemper ſervavit.

33. Verum neque ſolam fidem ſufficere, exiſtimandum eſt; cum etiam requiratur peccatorum actualium retractatio, ſaltem per attritionem: *Niſi enim pœnitentiam egeritis, ſimul omnes peribitis*; & ut dicitur in cap. *Majores* de Baptiſmo: *Actuale peccatum quod conſenſu contrahitur, ſine conſenſu minime relaxatur.*

34. Hæc quidem de Baptiſmo, quod eſt unum Sacramentum mortuorum; at ſi de aliis, quæ vivorum appellantur; neceſſarius eſt etiam per ſe loquendo ſtatus gratiæ; ut enim, qui corpore non vivit, incapax eſt cujuſcumque affectus, & rei, quæ corpori vivo tribuitur; ita qui ſpiritu non vivit ea vita, quæ per ſolam gratiam tribuitur, incapax eſt eo-

eorum Sacramentorum, quæ pro vivis inſtituta fuerunt; imo ſi quis, conſcius peccati lethalis, illa ſuſcipiat; gravioris peccati reum ſe conſtituit; de quo puncto in propriis locis ampliora dicemus. Nunc ſufficiat doctrina Concilii Tridentini ſeſs. 7. can. 6. & cap. 6. cujus verba non refero.

35. Contra id tamen, quod in prima aſſertione à nobis dictum eſt; videntur poſſe nonnulla momenta produci. Occurrit ſtatim Concilium Arelatenſe 1. ſtatuens can. 8. *Ut Afri, in Eccleſiam redeuntes, denuo baptizentur; ſi interrogati, non reſponderint Trinitatem; ergo requiritur ſaltem fides Trinitatis*; & Concilium alterum pariter Arelaten. can. 27. decernit: *Bonoſiacos baptizatos in Trinitate, ſi interrogati fidem noſtram ex toto corde confeſſi fuerint, cum chriſmate, & manus impoſitione in Eccleſia recipiendos eſſe*; ergo ſupponit, neceſſariam eſſe fidem in ſuſcipiente, ut ratum, & validum habeatur Sacramentum.

36. Reſp. in priori canone aliud Patres non intendiſſe, niſi ipſis notum fieri, ſub qua forma eſſent Afri baptizati; & ſi non reſponderint *Trinitatem*, ideſt ſub invocatione Trinitatis; denuo baptizentur, quia prius Baptiſma defectu formæ nullum fuiſſet. Ex ſecundo vero nihil infertur, niſi Bonoſiacos, dummodo in nomine Trinitatis baptizati eſſent; præfato modo in Eccleſia recipiendos eſſe, dummodo fidem profiterentur; ſed aliud eſt eſſe valide baptizatum, & aliud in Eccleſia recipi. Quanquam mirum eſſe non debet, ſi etiam de Baptizatorum fide veteres ſe ſollicitos demonſtrabant; ſiquidem ex illa argumentum ferebant, quo ritu, qua forma ipſis fuiſſet Baptiſma collatum; ſi enim Trinitatem non reſpondiſſent, non levis fuiſſet ſuſpicandi ratio, eos in nomine Trinitatis, ut neceſſe eſt, baptizatos nequaquam fuiſſe; in quo ſenſu etiam Nicolaus I. reſpondens ad conſulta Bulgarorum, præcipit, explorandam eſſe conditionem Baptizantium, an Chriſtianus, an Judæus, an Paganus.

37. Dices. Ita eſt neceſſaria fides illius, qui Baptiſmum recipit, ſicut invocatio Trinitatis in illo, qui Baptiſmum confert, ſed hæc neceſſaria eſt ad valorem Baptiſmi, ergo & illa. Prob. maj. ex Optato Milevitano lib. 5. contra Parmenian. *In hoc*, inquit, *Sacramento baptiſmatis celebrando tres ſpecies eſſe, conſtat. Prima ſpecies eſt in Trinitate; ſecunda in credente, tertia in operante. Duas video neceſſarias. Principalem locum Trinitas poſſidet, ſine qua res ipſa non poteſt geri; hanc ſequitur fides credentis. Trinitas enim ſemper ipſa eſt, fides in ſingulis una eſt, vim ſuam ſemper retinent ambæ*. Ergo ita eſt, &c.

38. Sed contra ne. maj. ad prob. reſpondet Natalis ab Alexandro in hiſtor. tertii ſæculi diſſert. 13. id revera exiſtimaſſe Doctorem illum; atque hanc reſponſionem approbat Juenin quæſt. 6. de Sacram. cap. 2. dicens, præcedentis traditionis mentem illum minime fuiſſe aſſecutum. Non video tamen, cur tanto Præſuli hanc feramus injuriam, cum dicere poſſimus, utique neceſſariam aſſeruiſſe & Trinitatis invocationem, & ſuſcipientis fidem, ſed diverſo neceſſitatis gradu; primam quidem ad Sacramenti ſubſtantiam, & valorem; ſecundam vero ad Sacramenti fructum, atque effectum; Rem ita eſſe Optatus ipſe hiſce aliis verbis declarat: *Quis fidelium neſciat, Baptiſmum virtutum eſſe vitam, criminum mortem, nativitatem immortalem, cæleſtis regni comparationem? &c. Has res unicuique non ejuſdem rei operarius, ſed credentis fides, & Trinitas præſtet*.

39. Atque hac diſtinctione valoris, & effectus plurimas explico Patrum auctoritates, quibus videtur ſuſcipientis fides neceſſaria probari. Hujuſmodi eſt illa S. Ambroſii lib. 1. de Spir. Sanct. ubi ſic habet: *Plenum eſt baptiſmatis Sacramentum, ſi Patrem, & Filium, Spiritumque fateamur; ſi unum neges, totum*

tum ſubrues, &c. Quamvis & Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum dicas, & aut Patris, aut Filii, aut Spiritus Sancti minuas poteſtatem, vacuum eſt omne myſterium. Illud enim vacuum exiſtimatur, quod etſi in ſe valeat, attamen alterius vitio ſuum effectum non habet; ſicut de gratia dicebat Apoſtolus: *Videte, ne gratiam Dei in vacuum recipiatis.*

40. Tandem opponi poteſt dictum S. Auguſtini lib. 7. de Bapt. contra Donatiſtas cap. 50. aſſerentis, valere Baptiſmum *receptum ſine ſimulatione, & cum aliqua fide.* Verum in hoc loco præclariſſimus Doctor fidem pro intentione uſurpat; ut conſtat ex epiſtola 98. ad Bonifacium, ubi ait: *Nec te moveat, quod quidam non ea fide ad Baptiſmum recipiendum parvulos ferunt, ut gratia ſpiritali ad vivam regenerentur ætatem.* Laudatus autem Juenin exiſtimat, Auguſtinum loqui de eo, qui jocando prius Baptiſmum recipit; ſed deinde converſus Sacramentum animo recipit, ac probabile ipſi viſum eſſe, in eo caſu propter recipientis fidem validum fieri. Nondum enim aliquid à plenario Concilio res erat definita, ſicut definiri exoptabat Auguſtinus.

41. Ego tamen adderem, quod etſi verum ſit hoc antecedens, validum eſt Baptiſma receptum cum fide; non tamen eſt vera hæc conſequentia; ergo invalidum eſt receptum ſine fide, ſicut verum eſt hoc, licitum eſt Baptiſma receptum cum contritione perfecta, nec tamen eſt verum hoc aliud; ergo eſt illicitum receptum cum contrione imperfecta.

Sunt & aliæ diſpoſitiones, quæ pro ſingulis Sacramentis ad uſum eorum licitum neceſſariæ ſunt, ſed de iſtis nihil modo diſſerimus.

QUÆSTIO V.

De Sacramentorum novæ legis efficacia.

ARTICULUS I.

An Sacramenta novæ legis producant gratiam ex opere operato.

1. CUM dictum fuerit, etiam aliquod Sacramentum veteris legis fuiſſe cauſam gratiæ ex opere operato, hoc quoque per Sacramenta novæ præſtari, quæ adeo præclariora cenſenda ſunt, in dubium revocari non poteſt. Quia tamen Hæretici plura in hac re docent; ideo veritas orthodoxa ſtatuenda eſt.

Plura inquam docent, atque in aliquibus à nobis diſcrepare non videntur, in aliquibus vero ea nobis opponunt, quæ nullo pacto aſſerimus. In illis fraudolenti ſunt; in iſtis ignorantes ſe oſtendunt. Lutherus tom. 1. de Baptiſmo ſic loquitur: *Ad hoc inſtitutus eſt Baptiſmus, ut nobis ſerviat, nobis proſit, nobis donet non aliquid carnale, vel corporale, ſed æternam gloriam, æternam munditiem, & ſanctitatem.* Calvinus in Antidoto adverſus canonem quintum ſeſſ. 7. Concilii Tridentini hæc ſcribit: *Semper memoria repetendum eſt, Sacramenta nihil quam inſtrumentales eſſe conferendæ nobis gratiæ cauſas*; & adverſus can. 6. *Si qui ſunt, qui negent, Sacramentis contineri gratiam, quam figurant, illos improbamus.* Quis Hæreticos nobiſcum convenire non affirmaret? Alia plura ſimilia leguntur in confeſſione Auguſtana art. 9. de Baptiſm. in Gallica art. 34. & ut alios prætaream, Kemnitius in 2. par. exam. cap. *De opere ope-*

operato hæc habet: *Si hoc vellent*, ideſt Catholici, *Sacramentorum veritatem non eſſe ex Miniſtri operantis dignitate, ſeu merito æſtimandam, ſed ex Dei auctoris inſtitutione, potentia, & operatione, & falſum eſſe, per Sacramenta gratiam ſine prævia ſuſcipientis fide conferri, quia ſententia vera eſt; nulla eſſet controverſia.*

2. Verum rapaces iſti lupi, ovium veſtimenta interdum præferentes, aliud omnino in re ſenſerunt. Cum enim pertinaciter teneant, impium per ſolam fidem juſtificari, id etiam tenere neceſſe eſt, ut Sacramentis nulla inſit immediata gratiæ efficientia, ſed ſolum externa & objectiva; quatenus movent homines ad eam fidem excitandam, per quam promiſſionem de peccatis remittendis ſibimetipſis applicent, & certiſſime credant ſibi per Chriſtum remiſſa eſſe peccata. Ita eos ſentire, clariſſima ipſorum teſtimonia ſuadent. Luther. lib. de captivit. Babylon. cap. de Baptiſm. inquit: *Baptiſmus neminem juſtificat, nec ulli prodeſt; ſed fides in verbum promiſſionis, cui additur baptiſmus, hæc enim juſtificat*; & infra: *Idem Deus, qui nos nunc per baptiſmum, & panem ſalvat; ſalvavit Abel per ſacrificium, Noe per arcam, Abraham per circumciſionem, & alios omnes per ſigna*. Ibidem numerans inter legis veteris Sacramenta, ſignum datum Gedeoni in rore, & vellere, & ſignum datum Manue in ſacrificio, hæc quoad efficaciam noſtris paria fuiſſe contendit, concluditque: *Noſtra, & Patrum ſigna, ſeu Sacramenta habent annexum verbum promiſſionis, quod fidem exigit, & nullo alio opere impleri poteſt; ideo ſunt ſigna ſeu Sacramenta juſtificationis, quia ſunt Sacramenta juſtificantis fidei, & non operis, unde & tota eorum efficacia eſt ipſa fides, & non operatio; Qui enim iis credit, implet ea, etiamſi nihil operetur*. Calvin. lib. 4. inſtitut. cap. 14. §. 6. *Cavendum*, inquit, *ne in errorem nos abducant, quæ ad amplificandam Sacramentorum dignitatem paulo magnificentius à veteribus ſcripta ſunt, ut ſcilicet arbitremur, latentem aliquam virtutem Sacramentis annexam, affixamque eſſe, qua ipſa per ſe Spiritus Sancti gratiam nobis conferant; cum hoc tantum illis divinitus injunctum ſit munus, teſtificari nobis ac ſancire Dei in nos benevolentiam*; & poſt pauca: *Sacramenta id ſunt nobis à Deo, quod ab hominibus rerum lætarum nuntii, vel arrhæ in pactis ſanciendis; utpote quæ non à ſe quidem largiantur aliquid gratiæ, ſed renuntient, & oſtendant; atque, ut ſunt arrhæ, & teſſeræ, rata apud nos faciant, quæ divina largitate nobis donata ſunt.*

3. Idcirco, cum Hæretici dicunt, Baptiſmum inſtitutum eſſe, ut nobis ſerviret, prodeſſet, &c. necnon Sacramenta eſſe cauſas gratiæ inſtrumentales; hoc ſemper intelligunt mediante fide; ita ut ipſa nihil aliud agant, quam fidem, quæ ſola juſtificet, excitare.

4. Aliqua vero nobis opponunt, quę nunquam nos aſſeruimus; Opponunt, agere ex opere operato idem eſſe, quod eſſe cauſam primariam, ac principalem; nos docere, agere ex opere operato, eſſe agere per qualitatem inſitam, inhærentem, ac permanentem, vel agere modo phyſico; per opus operatum excludi à ſuſcipientibus tanquam neceſſarios prævios fidei, ſpei, aliarumque virtutum motus; quaſi diceremus, Sacramenta ex ſe ipſis, cuicumque ſubjecto admota, gratiam conferre. Primum, & poſtremum nullo pacto à nobis affirmatur; agnoſcimus enim cauſam primariam gratiæ eſſe ſolum Deum, & meritoriam Jeſum Chriſtum; confitemur pariter, nullam à Sacramentis gratiam conferri, niſi ſuſcipientes ſint rite diſpoſiti; & hoc diſerte docet Concil. Trident. ſeſſ. 6. cap. 7. & ſeſſ. 14. de Pœnit. cap. 4. Alia vero duo ſunt tantummodo Scholarum opiniones, & ſive dicamus, Sacramenta eſſe inſtrumenta phyſica, ſive moralia gratiæ, ad dogma fidei nihil pertinet; & dummodo aſſera-

ramus, ea eſſe cauſas ex opere operato effectrices, fidei ſatisfacimus; quamvis modum, quo ſint, explicare non valeamus, quod quidem in aliis fidei myſteriis contingit.

5. Sed hic jam video, amplius à nobis declarandum eſſe, quid intelligamus per actionem ex opere operato. Id præſto. Obſervandum eſt in juſtificatione, quam per Baptiſmum & Pœnitentiam accipit homo, & in juſtificationis augmento, quod per alia Sacramenta, plura concurrere; voluntatem Dei utendi illa re ſenſibili, Chriſti meritum, & paſſionem, Miniſtri poteſtatem atque intentionem, ſuſcipientis fidem, pœnitentiam, alioſque motus, & denique actionem externam cum debita applicatione materiæ, ac formæ. Voluntas Dei concurrit active, tanquam cauſa principalis, paſſio Chriſti pariter active, tanquam cauſa meritoria objective manens in mente Dei, poteſtas, & intentio Miniſtri tanquam cauſa illius actionis externæ; fides, pœnitentia, &c. ſuſcipientis tanquam diſpoſitiones ex parte ſubjecti, per quas auferatur impedimentum effectus, ſeu formæ producendæ; ipſa vero actio externa, qua Sacramentum confertur & ſuſcipitur, & hanc dicimus cauſare gratiam ex opere operato, ideſt facto, abſque aliqua efficientia progrediente ab operante, vel à ſuſcipiente. Totum hoc explicari poteſt exemplo deſumpto ex ignis combuſtione. In hac prærequiritur, v. g. exſiccatio ligni, ignis, & applicatio ignis; certe cauſa combuſtionis non eſt exſiccatio, neque ignis applicatio, nec ignis excuſſio, v. gr. ex ſilice; ſed eſt ſolus ignis, ut cauſa primaria, calor & calefactio, tanquam cauſa inſtrumentalis. Ita in re noſtra.

6. Sed rem in propoſita materia clarius explicabo. Sint duo parvuli, baptizetur unus, hic juſtus fit, & ſi moriatur, æternam ſalutem conſequitur. Alius non baptizetur, & moriatur, remanet injuſtus, damnaturque; Quid in cauſa eſt? non aliud, niſi quod uni applicantur merita Chriſti per Baptiſmum receptum; alteri non applicantur; quomodo vero uni applicantur? utique ex opere operato, ideſt virtute & efficacia operis externi ſacramentalis, nec inter parvulorum, adultorumque juſtificationem aliud diſcrimen reperitur, niſi quod in adultis præviæ diſpoſitiones exiguntur, non ſic in parvulis. Hinc opus operatum aliud non eſt, niſi Sacramentum ipſum ſubjecto debite applicatum, vi cujus moveatur, ac determinetur Deus ad producendam gratiam, propter promiſſionem annexam actioni externæ, qua materia Sacramenti rite cum forma conjungitur.

7. Solent autem Hæretici nobis opponere, voces iſtas, *ex opere operato* novas eſſe, nec in Scriptura, aut antiquis Patribus, ac Theologis adhibitas, imo contra Latini regulas ſermonis, cum verbum illud, *operatum*, nequeat paſſive uſurpari.

Hæc inſtantia ſimilis pluribus aliis eſt, quibus perperam nos irridere ſolent Novatores; hujuſmodi ſunt, vox juſtificationis, tranſubſtantiationis, &c. Sed hæc argumenta de voce ſunt, nequaquam de re; non reperiuntur quidem voces illæ expreſſis verbis; idem tamen ſignificatum reperitur, quod in aſſertionis noſtræ, inferius ſtatuendæ, probatione conſtabit; interim unus ſit Auguſtinus, qui lib. 4. contra Creſcon. cap. 16. inquit: *Non eorum meritis, à quibus miniſtratur, aut eorum, quibus miniſtratur conſtat baptiſmus, ſed propria ſanctitate, atque veritate, propter eum, à quo inſtitutus eſt.* Si autem velint purioris latini ſermonis verba; fatemur in illis vocibus non inveniri; ſed quid? Dum dogma fidei definiri debet, ac res Theologicæ declarari, Grammaticos relinquamus oportet: *Intelligant populi, reprehendant Grammatici* dicebat Auguſt. contra eumdem Creſcon. Ipſe Auguſtinus in Pſalm. 138. ne æquivocationi locus daretur, uſurpavit oſſum oſſi, pro os oſſis; Utinam hoc ediſcerent quidam etiam

etiam noſtrorum temporum Theologi, qui magis verborum elegantiæ, quam argumentorum ſoliditati ſtudentes, aut argumenta confundunt, aut enervant; Hiſce explicatis.

ARTICULUS II.

Reſolvitur difficultas propoſita.

8. DIcendum. Sacramenta novæ legis cauſare gratiam ex opere operato.

Prob. Id dicendum quod ex Scripturis, Conciliis, Patribus, atque ratione Theologica evincitur; ſed ex hiſce omnibus evincitur, Sacramenta cauſare gratiam ex opere operato, ergo.

Nunc primam minoris partem probaturus aliquas ſcripturas eligam proponendas, in quibus veritas noſtra clarius, & expreſſius nobis demandata eſt. Joan. 3. dicitur de Baptiſmo. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum Dei.* Renaſcitur igitur homo, ſpiritualiter quidem, & ex aqua, & ex Spiritu Sancto, ab hoc quidem tanquam cauſa principali, ab illa tanquam inſtrumento.

9. Textum hunc multifariam explicare, ſeu detorquere contendunt. 1. inquiunt, renaſci ex fide, quam excitat aqua. 2. in eo non eſſe ſermonem de Baptiſmo aquæ, ſed de ſola interna renovatione. 3. loquutionum eſſe figuratam, & ſenſum eſſe, renaſci oportere hominem ex Spiritu Sancto, qui *fideles animas irrigando, & purgando, vice aquæ fungatur*, quæ ſunt verba Calvini lib. 4. Inſtit. cap. 16. §. 25. ſicut, cum dictum eſt. Matt. 3. *Qui poſt me venit, ille vos baptizabit in Spiritu Sancto, & igni*, ubi ignis nomine ſignificatur idem Spiritus Sanctus, qui corda fidelium inflammando, & cælitus accendendo ignis naturam ac proprietates imitatur.

10. Perperam tamen hæc omnia dicta ſunt; Perperam primum; Quid enim in cauſa eſt, ut fides excitetur ex aqua? cum æquali modo excitari poſſit per aliam quamcumque materiam? Et, cum Chriſtus nihil prius dixiſſet de fide, quis ſibi perſuadere poſſet; Chriſtum hoc dicendi modo excitandæ fidei rationem tradere voluiſſe? Rurſus; ſi ita eſſet, aptius dictum eſſet; Niſi quis renatus fuerit ex verbo, & Spiritu Sancto; Verbum enim magis, quam aqua, ad excitandam fidem idoneum eſt. Perperam ſecundum; etenim & ſermo eſt de Baptiſmo aquæ, & de interna renovatione, quæ ejuſdem Baptiſmi eſt effectus. Utramque indicavit Paulus ad Tit. 3. dicens: *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus Sancti.* Perperam tertium; nam ſi pro aqua uſurpare poſſumus Spiritum Sanctum, omnia alia Myſteria perverti poterunt. In hac re attendenda eſt praxis Eccleſiæ, quæ pro Baptiſmo conferendo aquam ſemper adhibuit, nunquam ignem; & ſi Spiritus Sanctus aquæ munere fungeretur; non eſſet, cur à nobis ſuppeditaretur aqua; ſicut quando functus eſt munere ignis, ignem nequaquam exhibuimus. Sed quid plura? afferat Calvinus aliquem ex Sanctis Patribus, qui tropicè illa verba intellexerit, ſicut nos ipſi afferemus, omnes Patres ea in vero proprioque ſenſu ſemper accepiſſe; Legantur Juſtin. apol. 2. Tertull. lib. de Baptiſ. Cyprian. lib. 3. ad Quirinum cap. 25. Ambroſius &c. Neque ſuffragatur exemplum illud de Spiritu Sancto & igne. Primo propter ſuperius dicta; Secundo quia non metaphorice, ſed vere, Spiritus Sanctus ſub ignis ſpecie ſuper Apoſtolos deſcendit. Tertio ſubtiliter adnotat Bellarminus. In primo textu prius poni aquam, deinde Spiritum Sanctum; in ſecundo autem priùs Spiritum Sanctum, quam ignem; atque ita fit, ut aqua non ſit effectus Spiritus Sancti; ignis vero fuerit effectus ejuſdem.

11. De eodem Baptiſmo inquit Paulus ad Epheſ. 5. *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & tradidit ſemetipſum pro ea, ut illam*

illam ſanctificaret, mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ. Et Act. 2. legitur: *Pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum in remiſſionem peccatorum.* Unde & cap. 22. Ananias dixit Paulo, *baptizare, & ablue peccata tua, invocato nomine ipſius.* Hiſce poſtremis textibus tribuitur baptiſmo ablutio, & peccatorum remiſſio, nec dici poteſt, id fieri, quia per baptiſmum fides excitetur. Illi enim, ad quos Petri ſermo, jam crediderant; audita ſiquidem Petri concione compuncti corde dixerunt; *Quid faciemus viri fratres &c.* ſimiliter prius crediderat & Paulus, qui, & pœnitentiam agens, triduo jejunaverat; Unum reponit Calvinus tum in Comment. Actorum, tum lib. 4. Inſtitut. cap. 15. §. 18. nimirum, baptiſmo tribui ablutionem, ac remiſſionem peccatorum, quia eſt teſtimonium, ac ſigillum acceptæ juſtificationis, quo fides confirmetur, atque roboretur.

12. Si res ita eſt, priùs igitur erit hominem eſſe juſtificatum, quam eſſe baptizatum; & ſi hoc, poterit Sacramentum eſſe ſigillum falſum, quis enim Miniſter ſcire poteſt, utrum ille, cui applicat ſigillum Divinum, juſtitiam ſit aſſequutus? Quid inſuper eſt, priùs hominem baptizandum præcipi, deinde dici peccata ablui ac remitti? Abluere peccata ſignificat ſignum juſtificationis acceptæ, quæ nova atque inaudita explicatio? Dum dictum eſt Calvino in ultimo ſuæ vitæ inſtanti; Ito in ignem æternum, poterat ne ſignificare præteritam ſui damnationem? Illud prius fuit, hæc poſterior. Centum alia exempla proferri poſſent. Verum de hiſce ſigillis alibi erit ſermo in diluendis objectis.

13. Progrediamur modo ad idem de aliis Sacramentis oſtendendum, dictum eſt de Confirmatione Act. 8. *Tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum Sanctum.* De Euchariſtia Joan. 6. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem habet vitam æternam.* Et, *niſi manducaveritis &c. non habebitis vitam in vobis.* De Pœnitent. Joan. 20. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* De extrema Unctione in epiſt. Jacobi cap. 5. *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & ſi in peccatis ſit, remittentur ei.* De Ordine, ad Timot. 2. *Admoneo te, ut reſuſcites gratiam, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum.* Et cap. 4. *Noli negligere gratiam, quæ eſt in te, quæ data eſt tibi per Prophetiam cum impoſitione manuum presbyterii.* Matrimonii tandem gratiam commendavit Chriſtus, cum præſentia ſua in Cana Galileæ nuptias ſanctificavit.

14. Quod ſi hiſce omnibus expoſitis nolint acquieſcere hæretici, dicam ego, eadem ratione, etiam fidei non eſſe tribuendam juſtificandi virtutem; ſi de fide dictum eſt Luc. 7. *Fides tua te ſalvam fecit*, De Baptiſmo dictum eſt 1. Petri 3. *Vos ſalvos facit Baptiſma*; ſi de illa ad Rom. 3. *Arbitramur hominem juſtificari per fidem*, de hoc ad Tit. 3. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis.* Si de uno Act. 15. *Fide purificans corda hominum*, de alio ad Eph. 5. *Mundans eam lavacro aquæ.* Denique Fidei datum eſt illud Joan. 5. *Qui credit ei, qui me miſit, habet vitam æternam.* Euchariſtiæ datum eſt Joan. 6. *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Vel igitur negent hominem juſtificari per fidem, vel etiam concedant, juſtificari per Sacramenta.

15. Secunda pars minoris à nobis propoſitæ ad Conciliorum doctrinam pertinebat. Legatur autem Concilium Nicænum 1. ex Græco traductum ab Alphonſo Piſano, in cap. quod inſcribitur doctrina fidei ante Can. 8. hæc habentur. *Baptiſma noſtrum non oculis corporeis conſiderandum eſt, ſed mentis oculis. Aquam vides, conſidera virtutem Dei in aquis abſconditam.* Legatur Conſtantinopolit. 1. in Symbolo, ubi dicit: *Credimus*

dimus unum baptiſma in remiſſionem peccatorum. Legatur Milevitan. cap. 2. in quo ſic. *Parvuli, qui nihil peccatorum in ſemetipſis adhuc committere potuerunt, ideo in remiſſionem peccatorum veraciter baptizantur, ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione traxerunt*. An dicent hæretici per baptiſmum fidem in parvulis excitari. Hoc quidem olim dicebant, ſed jam à nobis rejectum fuit in 2. Tomo, & modo nemo etiam ex ipſis tantæ veſaniæ ſubſcribit: Legatur tandem Arauſic. 2. can. 25. ubi dicitur. *Hoc etiam ſecundum fidem catholicam profitemur, quod accepta per baptiſmum gratia &c.*

16. Quid igitur mirum ſi Florentinum in Decreto unionis dixerit; *Hæc noſtra Sacramenta & continent gratiam, & ipſam dignè ſuſcipientibus conferunt?* Si Tridentinum in Decreto de Sacramentis ſeſſ. 7. docuerit: *Conſentaneum viſum eſt, de ſanctiſſimis Eccleſiæ Sacramentis agere; per quæ omnis juſtitia vel incipit, vel cæpta augetur, vel amiſſa reparatur?* Et can. 6. definierit. *Si quis dixerit, Sacramenta novæ legis non continere gratiam, quam ſignificant, aut gratiam ipſam non ponentibus obicem non conferre; quaſi ſigna externa tantùm ſint acceptæ per fidem gratiæ, vel juſtitiæ, & notæ quædam Chriſtianæ Religionis, quibus apud homines diſcernuntur fideles ab infidelibus, anathema ſit*. Et tandem can. 8. *Si quis dixerit, per ipſa novæ legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, ſed ſolam fidem divinæ promiſſionis ad gratiam conſequendam ſufficere, anathema ſit?*

17. Tertia pars ejuſdem minoris Patrum teſtimonia poſtulabat. Celebris eſt illa Tertulliani ſententia lib. de Reſurrect. carnis cap. 8. *Caro abluitur, ut anima emaculetur, caro ungitur, ut anima conſacretur, caro ſignatur, ut & anima muniatur &c.* Expreſſiora ſunt tamen teſtimonia, quæ ſubdemus. Irenæus lib. 3. cap. 17. ait: *Corpora noſtra per lavacrum illam, quæ eſt ad incorruptionem, unitatem acceperunt; animæ autem per ſpiritum; unde & utraque neceſſaria, cum utraque proficiant in vitam Dei*. Cyril. Jeroſolymit. Catech. 3. *Qui in aquam deſcenſurus es, non aquæ ſimplici mentem adhibe; ſed Spiritus Sancti virtute ſalutem ſuſcipe; nam ſine utriſque ad perfectionem deduci non poteris*. Gregor. Nyſſen. orat. in Baptiſmum Chriſti. *Baptiſma peccatorum expiatio eſt, remiſſio delictorum, renovationis, & regenerationis cauſa*. Huic poſtremæ auctoritati, non habent, quid reſpondeant.

18. Ex Latinis vero præter Tertullianum laudatum, afferre poſſem Cyprian. qui lib. 2. epiſt. 2. ad Donatum fatetur, vix à ſe credi potuiſſe, quod de Baptiſmate à Chriſtianis audiebat, nempe repente hominem mutare, peccata abſtergere, virtutes infundere; ſed tamen hæc omnia experimento didiciſſe. En ipſius verba, quæ adducenda putavi, ut inde quædam obſervare datum eſſet. *Difficile, ac durum pro illis tunc moribus opinabar, quod de ſalute mihi divina indulgentia pollicebatur; ut quis renaſci denuo poſſet, utque in novam vitam lavacro aquæ ſalutaris animatus, quod priùs fuerat deponeret; corporis licet manente compage, hominem animo, ac mente mutaret &c.* Unde porro tanta credendi difficultas, ſi Baptiſma tantum excitaret ad fidem? nunquam ſic miratus eſt Cyprianus de Verbo prædicato, quod movet ad credendum, quo pacto etiam Baptiſma ſi tantum objectivè moveret, repentè animum mentemque mutaret? An non eidem verbo alii celerius, alii tardius, alii nunquam credunt? Afferre poſſem Lactantium lib. 7. de Divino præmio cap. 5. Ambroſium lib. 2. de pæniten. cap. 2. Hieronym. epiſt. 83. ad Ocean. ſed mihi ſufficiant Sylveſter Papa, & Auguſtinus. Ille ex Niceph. lib. 7. cap. 33. cum Conſtantinum baptizaret, hæc dixit: *Hæc aqua divina virtute per invocationem Trinitatis concepta, ſicut extra corpus hominis abluit; ita animam*

mam intra à ſorde, & inquinatione mundans, ſplendidiorem radiis ſolaribus efficit. Alius vero lib.19.contra Fauſtum cap.11. ait: *Sacramentorum vis inenarrabiliter valet plurimum &c.* nota verbum illud *inenarrabiliter. Et ideo contempta ſacrilegos facit; Impiè quippe contemnitur, ſine qua non poteſt perfici pietas.* Nota etiam verbum illud *ſacrilegos facit ſine qua non poteſt.* Et, ut plurima tanti Doctoris dicta prætercam, notum eſt illud tract. 80. in Joan. *Unde tanta virtus aquę, ut corpus tangat, & cor abluat?* Quæ quidem admiratio riſu foret excipienda, ſi in hæreticorum ſenſu Sacramentorum vis explicaretur.

19. Hæc pauca dixi, quæ tamen pro re noſtra ſufficiunt, & quibus demonſtratur; quàm inſipienter dixerit Melanchthon in Apologia art. 13. *Neque ulla littera eſt ex veteribus Scriptoribus, quę patrocinetur ſcholaſticis.* Calvinus vero, & Lutherus agnoverunt Patres pro nobis eſſe; ſed quod ipſorum effugium? *Hominum ſunt dicta ſibi ipſis ſæpius pugnantium, & pleraque humano ſenſu prçter ſcripturas docentium.* Ita Lutherus in lib. contra Cochlæum. *Forte miſeros iſtos Sophiſtas deceperunt immodica illa Sacramentorum encomia, quę de ſignis noſtris apud veteres leguntur, quale eſt illud Auguſtini, quod veteris legis ſacramenta Salvatorem promittebant, noſtra vero dent ſalutem. Has, & ſimiles dicendi figuras, cum non adverterent, hyperbolicas eſſe; & ipſi hyperbolica ſua dogmata promulgarunt.* Ita Calvinus lib.4. inſtit. cap.14. §. ultimo. Quanti hæc valeant, perpende; Eos tamen redarguat Auguſtinus epiſt.23. ubi ait, *infideles eſſe, qui non credunt, parvulos etiam ſine fide actuali per ipſum Sacramentum ſalvari.*

20. Quarta tandem pars primæ minoris erat, id etiam rationibus Theologicis oſtendi; Has igitur exhibeamus oportet. Prima ſit; Infantes, perpetuo amentes, ac ſubito morbo correpti, ſi prius baptiſmum petierint, baptizantur, & baptiſma illis prodeſt; ut dictum eſt: ſed non poteſt prodeſſe, quia in ipſis excitet fidem; ergo prodeſt, quia ex opere operato gratiam producit; minor conſtat, nullus enim ex illis capax eſt fidei.

Reſpondent, excitari fidem Eccleſiæ, quæ in illis eam ſupplet, quam habere non poſſunt; At inanis reſponſio. Siquidem fides illa generalis Eccleſiæ infantes, alioſque non juſtificat, niſi quia ipſis applicetur baptiſmus, qui Sacramentum eſt fidei, & fides, quæ per Novatores juſtum reddit, eſſe debet ſubjectiva, & perſonalis; atqui non eſt hujuſmodi fides Eccleſiæ, ergo; & ſicuti parvulis, ac perpetuo amentibus non niſi ineptiſſime fieret concio, aut alia ſigna adhiberentur ad excitandam fidem, ita non niſi ineptiſſimè tunc applicaretur baptiſma.

21. Secunda ratio ſit; ſi baptiſmus præſtaret tantummodo fidei excitationem, per quam, tanquam per opus operantis, gratia obtineretur, ſic prodeſſet illi, qui baptizaretur, ut aliis adſtantibus, cum omnes poſſent ad fidem excitari; ſed hoc abſurde dicitur, ergo.

Tertia ratio. Si baptiſmus &c. quid digniùs eſſet in baptiſmo Chriſti, quod non fuerit in baptiſmo Joannis? certè etiam in hoc fides excitabatur; Rurſus quid ampliùs, quod non eſſet in aqua benedicta, vel in ſigno crucis? hæc enim omnia ſunt ſigna externa fidem excitantia.

Tandem. Baptiſmus ſemel collatus gratiam confert, repetitus damnat; ſed ſi operaretur tantùm objectivè excitando fidem; non ad damnationem, ſed ad utilitatem, repeteretur, ergo. Propoſitio eſt Optati lib. 5. contra Parmenian. ſub initio dicentis. *Baptiſma Chriſtianorum, Trinitate confectum, confert gratiam; ſi repetatur, facit vitę jacturam.*

A R-

ARTICULUS III.

Refelluntur argumenta Hæreticorum.

22. EX pluribus argumentis, quæ Novatores contra nos proferunt, aliqua ſunt, quibus probare contendunt, ſolam fidem eam eſſe, per quam homines juſtificantur; Hæc tamen à nobis omittentur; cum de his actum ſit in primo Tomo, ubi de fidei neceſſitate, atque ſufficientia. Alia tamen ex ſcripturis ſubdenda cenſemus.

Primo. Marci ult. dixit Chriſtus. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur*. Duplici via argumentatur Lutherus. Qui credit & baptizatur ſalutem conſequitur; qui non credit, etiamſi baptizetur; in æternum abit interitum; ergo non baptiſmus juſtificat, ſed fides. 2. Qui non crediderit, condemnabitur; non vero dicitur. Qui baptizatus non fuerit, condemnabitur, ergo ſola fides ſalvum facit, non baptiſmus.

Reſp. hanc eſſe doctrinam noſtram; fatemur enim nihil prodeſſe Sacramentum Baptiſmi, ſi adultus fidem non habeat, non quia fides juſtificet, ſed quia eſt prima diſpoſitio ad juſtificationem neceſſaria. Quanti vero faciendum ſit primum Lutheri argumentum, quilibet logicus judicaret. Baptiſmus ſine fide non ſalvat, ergo ſola fides ſalvat; hæc illatio falſa eſt, ſicut eſſet falſa hæc argumentatio: Non eſt animal, ergo non eſt homo, eſt animal, ergo eſt homo; antecedens eſſet verum, ſed conſequentia nequaquam; Etiam Apoſt. 1. ad Corint. 13, aſſerit; Fidem ſine charitate non prodeſſe: ergo ex hoc dicemus, fidem nihil prodeſſe. Ad 2. Jam dixerat Chriſtus: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt intrare in regnum Dei*. Non erat igitur, cur repeteret. Qui vero baptizatus non fuerit, condemnabitur, hoc enim ſequitur ex altero. Qui enim non credit, neque vult baptizari; & quamvis vellet, baptiſmus minime prodeſſet: Sed quare unum dixerit, omiſerit alterum: vide quæ diximus juxta S. Bernardum qu. 5. de Fide §. 2.

23. Secundo. Opponunt illud Pauli ad Epheſ. 5. *Mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ*. Tota vis in hoc textu tribuitur verbo, ſed verbum nihil facit, quam fidem excitare, ergo. Huic additur, quod ait S. Petrus ep. 1. cap. 3. *Vos ſalvos facit baptiſma, non carnis depoſitio ſordium, ſed conſcientiæ bonæ interrogatio in Deum per reſurrectionem Jeſu Chriſti*. Hic Apoſtolus aperte dicit, baptiſmum ſalvos non facere, ſed conſcientiam bonam, & fidem reſurrectionis, ergo.

Reſp. per verbum vitæ non eſſe intelligendum verbum concionatorium, ſed verbum conſecratorium, quod practicum, & efficax eſt; De hoc jam diximus qu. 1. art. 7. In textu Sancti Petri videtur aliquid difficultatis promoveri, ideo plures explicationes adhibent Doctores, quas prætereo; cum hanc, quam ſubdo, genuinam exiſtimem; Nos ſalvos facit baptiſma, non carnis depoſitio ſordium, ideſt non ut ſumitur ad mundandum corpus, ſed ut ſumitur ad mundandum animam per diſpoſitionem huic effectui accommodatam, quæ diſpoſitio ſignificatur per conſcientię bonę accommodationem, atque illa verba reſpiciunt conſuetudinem Eccleſiæ, quæ baptizandum interrogat, an velit baptizari, & Sathanæ abrenuntiare, & baptizandus vel per ſe, vel per alium reſpondet: *Volo, Abrenuntio*. Neque verum eſt, S. Petrum dicere, baptiſmum ſalvare per fidem reſurrectionis, ſed per reſurrectionem; ita ut Chriſti reſurrectio non ſit quidem cauſa meritoria noſtræ juſtificationis, quia Chriſtus reſurgendo non meruit, ſed cauſa exemplaris; ipſe enim reſurgendo novæ vitæ ineundæ nobis exemplar propoſuit; *Mortuus enim eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter juſtificationem noſtram*, ad Rom. 4., ſcilicet, per Chriſti paſ-

paſſionem peccatis morimur, per Chriſti vero reſurrectionem juſtitiæ vita incipimus vivere, quod & clariùs explicavit Paulus ad Rom.6. dicens: *Conſepulti ſumus cum illo per baptiſmum in mortem, ut quomodo Chriſtus ſurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus*. Aliam explicationem exhibeo in 3. Tomo in quæſt. de Chriſti merito art.2. num. 18.

24. Tertio. Opponunt Sanctum Auguſtinum pluribus in locis. 1. Auguſtinus tract. 80. in Joan. expendens illa verba, *Vos mundi eſtis propter ſermonem*, inquirit, quare non dixerit, propter baptiſma, & reſpondet; quia baptiſmus non habet vim ſanctificandi, niſi *à verbo Chriſti*. Et addit, *non quia dicitur*, *ſed quia creditur*. Statim vero profert ſuperiora verba Petri, in quibus juſtificatio fidei tribuitur: unde & ſer. 30.de verbis Domini inquit: *Baptiſmus, qui ſemel adhibetur*, *per fidem mundat*. Auguſtino addamus Proſperum, cujus verba in lib.ſentent. citat Algerus lib.3. de Euchariſtia cap.7. & ſunt iſta. *Verus baptiſmus non conſtat tam ablutione corporis*, *quam fide cordis*.

25. Secundo. His clariora habet in lib. quæſt. veter. ac novi teſtam. qu. 59. dicens. *Qui baptiſmum putat carnali ratione conſiſtere*, *hic non eſt ſpiritualis*; *nec donum cæleſte poterit conſequi, qui ſe per aquam, non per fidem commutari credit*. Et lib. 19. contra Fauſtum cap. 16. *Quid ſunt corporalia Sacramenta*, *niſi quædam quaſi verba viſibilia*, *ſacroſancta quidem*, *verumtamen mutabilia*, *& temporalia*? Hinc ſupponit S. Doctor, non aliter Sacramenta juſtificare, quàm ad inſtar concionis, quæ ſolum objectivè movet, & picturæ, quæ repræſentando agit.

26. Reſp. omnia eſſe vera, quæ Auguſtinus primo loco dixit; Fatemur enim, aquam ex ſe nullam habere ſanctificandi virtutem, ſed hanc habere, quia unitur verbo Chriſti, per quod verbum conſecratur, & conſtituitur in eſſe Sacramenti; datur autem virtus hæc verbo, non quia dicitur, quia ſic aliud non eſt, quam virtus, ſeu ſonus tranſiens, ſed quia creditur, quia ſic eſt virtus manens, ut loquitur ibidem idem S. Doctor; dum autem audis, quia creditur, ne intelligas neceſſariam eſſe fidem aut ex parte Miniſtri, ut dictum fuit, aut ex parte ſuſcipientis, niſi ſit adultus; ſed intellige vel fidem Eccleſiæ, vel fidem objectivè; nempe quia continet in ſe fidei profeſſionem, ac myſterium. Si autem dicit, baptiſmum per fidem mundare, non ſumas fidem, tanquam effectricem cauſam, ſed tanquam baptiſmi effectum; verè enim baptiſmus confert fidem vivam, quæ in genere cauſæ formalis juſtificat, & in hoc ſenſu intellige Fulgentium, pluresque alios Patres.

27. Ad 2. Bellarminus ſentit, librum illum falſo tribui Auguſtino, cum multa contineat contra fidem, & contra ipſum Auguſtinum, ibi enim legitur, mulierem ad imaginem Dei creatam non eſſe; Adam Spiritum Sanctum non habuiſſe; Melchiſedech fuiſſe Spiritum Sanctum, quæ omnia quem abſurda ſint, nemo non videt. Attamen, etiamſi admitteremus, Auguſtinum fuiſſe auctorem illius textus, nihil contra nos probaretur; Certè enim baptiſmus noſter non eſt ſola mundatio carnis, neque per externam lotionem renovantur homines, ſed per fidem vivam, qua formaliter homines juſtificantur; quæ eſt Concilii Tridentini doctrina ſeſſ. 6. c.7. quamque fidem vivam confert ipſe baptiſmus tanquam inſtrumentum Dei; atque hoc innuitur etiam in loco contra nos adducto, cum ibi addatur: *Aqua cernitur*, *ſed qui non videtur*, *Spiritus operatur*, *ut fides in ipſo ſit*. Quibus verbis apertè excluditur fides, vel quæ diſponat, vel quæ juxta Lutheranos juſtificationem apprehendat; hæc ſiquidem præcedere debet baptiſmum.

28. Ad aliud contra Fauſtum; eo loco Auguſtinus loquitur tantum de uno Sa-

Sacramentorum effectu, ideſt de ſignificatione; alios vero non negat, quos alibi ſæpius probaverat; Agebat enim de Sacramentis veteris ac novi Teſtamenti, quibus Chriſtus ſignificabatur, & ſignificatur, quæ proinde mutabilia ac temporalia ſunt, prout ſignificabant Chriſtum venturum, qualia erant illa, & prout ſignificant Chriſtum jam natum, & mortuum, qualia ſunt nòſtra; atque ut occurreret Manichæis, qui reprehendebant mutationem Sacramentorum veterum in nova, proinde dicebant, Chriſtum veniſſe ad legem ſolvendam, non adimplendam, & ideo legem veterem damnabant; inquiit mutanda fuiſſe Sacramenta juxta temporum conditionem, quamvis res ſignificata non mutaretur, & ſicuti prius dicebatur Chriſtus veniet, poſtea dicitur Chriſtus venit; ita mutandum erat id, per quod venturus ſignificabatur, in illud per quod veniſſe ſignificetur, neque per hoc legem veterem damnandam eſſe, ſicuti damnandi non ſunt illi, qui tunc dicebant; Chriſtus veniet. Qualis autem in re noſtra fuerit Auguſtini mens, etiam in eodem loco idem declarat. Omnia ejuſdem verba proferamus, ut etiam explicatio ſuperius data innoteſcat: *Si ſoni verborum, quibus loquimur, pro tempore commutantur, eademque res aliter enuntiatur facienda, aliter facta, quid mirum, ſi aliis myſteriorum ſignaculis paſſio, & reſurrectio Chriſti futura promiſſa eſt, aliis jam facta annuntiatur? Porro quid alia ſunt quæque corporalia Sacramenta, niſi quædam viſibilia verba, ſacroſancta quidem, verumtamen mutabilia, & temporalia?* addit vero: *virtus tamen, quæ per iſta operatur, jugiter manet, & donum ſpiritale, quod per iſta inſinuatur, æternum eſt.*

29. Quarto opponunt alios Patres, appellantes Sacramenta ſigilla, ſignacula, & pignora gratiæ, hæc autem ſignificando operantur, non aliquid efficiendo; Inter autem illos Patres præcipue eſt S. Bernardus, qui in ſerm. de Cœna Domini ſic loquitur: *Sic inveſtitur Canonicus per librum, Abbas per baculum, Epiſcopus por annulum, ſic diviſiones gratiarum diverſis ſunt traditæ Sacramentis*; liber autem reſpectu Canonici, baculus reſpectu Abbatis, annulus reſpectu Epiſcopi, non ſunt niſi ſigna ſpeculativa, nihil efficientia, ſed ſolum ſignificantia; ergo etiam Sacramenta hujuſmodi ſunt.

30. Reſp. Sacramenta dici à Patribus ſigna, ſigilla, pignora, ſed practica, id efficientia, quod ſignificant. Pro teſtimonio Bernardi dicendum, illa exempla non proponi, ut cum iis comparare velit modum, quo agunt Sacramenta, ſed ſolum ut indicet, varias eſſe in Sacramentis gratiarum diviſiones, ſicut variæ ſunt in Eccleſia dignitates. S. Th. vero 3. par. quæſt. 62. art. 1. in corp. expendens auctoritatem Bernardi inquit, ſumpſiſſe Sacramenta in ratione tantum ſigni, non autem cauſæ; & ſic habet: *Si quis recte conſideret, iſte modus non tranſcendit rationem ſigni; nam denarius plumbeus non eſt niſi quoddam ſignum regiæ ordinationis de hoc, quod pecunia recipiatur ab iſto, ſimiliter liber eſt quoddam ſignum, quo deſignatur traditio Canonicatus. Secundum hoc igitur, Sacramenta novæ legis nihil plus eſſent, quam ſigna gratiæ; cum tamen ex mult s Sanctorum Patrum auctoritatibus habeatur, quod Sacramenta novæ legis non ſolum ſignificant, ſed cauſant gratiam.* Ut vero Bernardi mens pateat, attende quid in eodem ſermone dixerit: *Duo*, ait, *operatur in nobis Sacramentum Dominici Corporis, ut videlicet & ſenſum minuat in minimis, & in gravioribus peccatis tollat omnino conſenſum; ſi quis veſtrum non tam ſæpe modo, non tam acerbos ſenſit iracundiæ motus, invidiæ, luxuriæ, aut cæterorum hujuſmodi, gratias agat Corpori & Sanguini Domini, quoniam virtus Sacramenti operatur in eo.*

31. Quinto opponunt rationibus. Pri-

Prima ſit. Illa efficacia eſt Sacramentis concedenda, quæ conceditur verbo, ſed verbo alia non conceditur efficacia, quam ad fidem excitare; ergo. Prob. maj. Ita ſcriptura loquitur de juſtificatione habita per verbum, ſicut de illa habita per Sacramenta; ait enim Apoſtol. ad Rom. 1. *Evangelium virtus Dei eſt in ſalutem omni credenti*; ergo. Præterea, ſicut in verbo duæ veluti manus concurrunt, nempe manus prædicantis & Dei, necnon manus hominis illud excipientis, ita in Sacramento concurrit manus Dei offerentis gratiam, & manus hominis illam accipientis; porro hæc manus hominis, ſicut in verbo eſt fides, ita & in Sacramento; ergo ſicut verbum nihil prodeſt, niſi habeatur fides, juxta illud ad Hebr. 4. *Non proficit illis ſermo auditus, non admiſtus fidei*; ita neque Sacramentum quidpiam prodeſt ſine fide. Argumentum eſt Kemnitii in 2. par. exam. cap. de efficacia Sacrament.

32. Reſp. ne. maj. quæ præter dicta ex eo apparere poteſt falſa, ſicut eſt, quia verbum præcedit fidem; fides vero debet præcedere Sacramentum, ſicut diſpoſitio præcedit formam: ad probationem, fateor in ſcripturis tribui juſtificationem & verbo, & Sacramentis, non tamen eodem modo; aliter, cum in ſcripturis tribuatur juſtificatio Verbo, & Deo, & Chriſto, colligere poſſemus, eodem modo juſtificare verbum, quo juſtificat Chriſtus, & Deus.

Ad 2. Non inficior manum Dei eſſe in Verbo & in Sacramento, ſeu Verbum & Sacramentum eſſe manum Dei, ſed manus plura munera habere poteſt, aliquando enim porrigere poteſt, nec operari, aliquando porrigere, & operari. Primo modo verbum eſt manus, porrigit enim & demonſtrat ſalutem; ſed hanc non efficit: poſteriori modo eſt Sacramentum, quod re ipſa applicans Chriſti merita, ſalutem operatur. Et revera, Verbum non prædicatur niſi intelligentibus, Sacramentum autem applicatur etiam infantibus, & amentibus; Neque etiam negamus, fidem eſſe manum noſtram, etenim in adultis eſt neceſſaria, tanquam diſpoſitio obicem removens, & animam diſponens, non tanquam pro ſe ſolam juſtificans.

33. Secunda ratio ſit. Deus ſolus, qui novit hominum corda, poteſt juſtificare; ergo nulla vis juſtificandi Sacramentis conferri poteſt; Quod ſi hoc diceremus, conſectarium eſſet, Deum eſſe Sacramentis alligatum; ita ut ſi quis Sacramentum ſuſciperet, non poſſet à Deo non juſtificari. Ita Zuvinglius in lib. de vera & falſa religione, cap. de Sacram.

Non eſſet cur hujuſmodi argumenta proponerem, quæ facillime rejici poſſunt; ſed potius propono, ut Hæretici arguentis ignaram mentem oſtendam. Fides, quæ per Hæreticos juſtificat, novit ne hominum corda? Solus Deus certe hæc novit, & ſolus Deus ille eſt, qui tanquam cauſa principalis juſtificat; Sacramenta autem ſunt illa, quibus utitur Deus, ut juſtificet; Neque verum eſt Deum alligatum, & obſtrictum eſſe Sacramento, cum etiam ſine Sacramento poſſit juſtificare; Sacramenta vero ſunt alligata Deo, quæ ſine Deo nihil poſſunt producere; Quod ſi non poteſt non conferre gratiam illi, qui rite Sacramentum ſuſcepit, hoc non Sacramentis debet, ſed ſuæ veritati ac fidelitati; qua quod promiſit, indefectibiliter ſervat; ſed hoc mirum, Deum per hæreticos alligatum eſſe fidei, & ipſis abſurdum videri, alligatum eſſe Sacramentis.

34. Tertia ratio ſit. Plures per fidem ſalvi ſunt abſque Sacramento; nullus autem ſalvus factus eſt per Sacramentum ſine fide; ergo fidei tribuendæ eſt virtus juſtificandi, non Sacramento. Præterea, nullum eſt Sacramentum, in quo non ſit promiſſio, nec ullum promiſſionis verbum eſſe poteſt ſine fide, promiſſionem acceptante; fides igitur illa eſt, quæ immediate juſtificat, & operatur. Hoc eſt argumentum Lutheri

in

in captivit. eap. de baptiſm. aliorumque. Calvinus vero lib. 4. Inſtit. cap. 14. §. 14. inquit, Sacramentis tribuere, gratiam efficere, eſſe hominem à Deo avertere, & facere, ut in rei corporeæ ſpectaculo acquieſcant.

35. Reſp. antec. falſum eſſe, etenim omnes infantes per baptiſmum ſine fide ſalvi ſiunt; fatemur tamen, plures per fidem ſalvos factos eſſe ſine Sacramento in re; fuit tamen Sacramentum in voto; & ſic ſolus Deus, qui corda intuetur, abſque Sacramento juſtitiam infudit; & tunc neque ſola fides cum Sacramento in voto ſufficit, ſed ulterius neceſſaria eſt peccatorum deteſtatio; ſed hoc nequaquam probat, Sacramenta gratiam non efficere; imo, ſi Sacramentum in voto juſtificat propter operantis opus; à fortiori juſtificabit, ſi illud applicetur. Dicimus tamen, nos nunquam negare, neceſſariam in adultis eſſe fidem; ſed ſolum negamus, fidem eſſe cauſam effectricem gratiæ, & ſi abſque fide Sacramentum non ſalvat; hoc non eſt, quia Sacramento virtus ſalvandi deſit; ſed quia deeſt diſpoſitio, & remanet impedimentum, quod prohibet gratiam à Sacramento produci.

Ad aliud patet reſponſio, nempe fidem neceſſariam eſſe; ſed aliud eſt, aliquid requiri neceſſario ad effectum, & aliud, ab eo effectum produci; neceſſaria eſt ſiccitas ligni ad combuſtionem; nec tamen ſiccitas combuſtionis eſt cauſa. Præterea. In omni Sacramento neceſſaria eſt promiſſio in ſui inſtitutione, non tamen in ſui collatione; Facta fuit promiſſio baptiſmati: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit*. Facta Euchariſtiæ: *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum*. Facta pœnitentiæ: Quorum remiſeritis peccata, &c. & tamen qui baptizat, dicit tantum: *Ego te baptizo, &c.* qui conſecrat, tantum: *Hoc eſt Corpus meum*. Qui abſolvit, tantum: *Ego te abſolvo, &c.* At Sacramentum operatur, non dum eſt inſtitutum, ſed dum eo utimur.

Argumentum Calvini ridiculum eſt; agnoſcendus enim eſt Deus, tanquam cauſa principalis, atque ideo in ipſo quieſcendum; & laudanda ejus ſapientia, ac providentia ſuavis, quæ uti voluit rebus corporeis ad ſanandos homines, qui per res corporeas deliquerunt; ſi ſecus eſſet, culpandus Moyſes, qui ſerpentem æneum propoſuit, quem qui aſpicerent, ſanarentur, culpandus ipſe Deus, qui, ſe incarnando, voluit corpus aſſumere.

36. Quarta ratio ſit. Sacramenta res corporeæ ſunt; quomodo igitur poſſunt aliquid in anima operari? numquid virtus ſpiritualis eſt? ſed ſi ita, quo pacto adinſtar accidentis eſſe poteſt in re corporea? Rurſus. Si hæc Sacramenta poſſunt in anima quidpiam operari, certe prius deberent corpus pertingere, ut conſtat in aqua baptiſmatis, quæ corpus tangit & cor abluit, ut ait Auguſtinus; At hoc dici non poteſt de aliis Sacramentis, nec enim ex. ca. dum quis abſolvit, neceſſe eſt, ut ſonus verborum ad pœnitentem uſque perveniat; multo minus de matrimonio, quod fieri poteſt etiam inter abſentes; Et ſi S. Th. docet 1. par. quæſt. 45. art. 5. nullam creaturam eſſe poſſe inſtrumentum creationis, multo magis negari debet, eſſe poſſe inſtrumentum juſtificationis; Hæc enim, utpote opus ſupernaturale, excellentius eſt creatione. Alia argumenta proponunt, quæ omnia in eo ſita ſunt, quod explicari à nobis non poſſit, quo pacto hæc gratia à Sacramentis producatur.

37. Reſp. Hæreticos divinam virtutem à modo, quo agentia naturalia agunt, velle metiri; Falluntur omnino; In hiſce rebus rationes à nobis non expoſcant, nec modum quærant; fidei obſequentes ſumus, nequaquam ſapientes agimus. Tota ratio facti eſt potentia facientis; Hanc virtutem rebus corporeis indidit Deus, qui inſtrumentis utitur, quæ voluerit, & quomodo voluerit. Verum in ſententia mea, quam mox ſta-

ſtabiliam; Totum id verum dici poteſt, dum agitur de efficientia phyſica; non ſic, dum ſermo eſt de morali, ſicut eſſe in noſtra re declarabo; & quod dicitur de actione creativa, ad quam promoveri non poteſt creatura, neque tanquam inſtrumentum, falſum per me eſt, ut dixi in quæſtionibus philoſophicis. Hiſce tamen omnibus reſpondent etiam illi, qui phyſicam cauſalitatem Sacramentis concedunt, & dicunt: Vide pro hac re Doctores Thomiſtas, & dicunt, inquam, Sacramenta habere hanc virtutem, neque per aliquam qualitatem corpoream, neque ſpiritualem, ſed per motum Dei, qui, ut cauſa principalis, applicat Sacramentum ad gratiam producendam; Quod vero dicitur de creatione; Hæc eſt majus opus quantum ad diſtantiam inter ens, & non ens; juſtificatio vero eſt majus opus quantum ad miſericordiam.

Omiſi aliquorum ſententiam, qui dicebant, Sacramenta eſſe conditiones, ad quarum præſentiam Deus gratiam producat; Hanc ut hæreticam non condemno, cum non habeamus in oppoſitum definitiones Conciliorum; attamen ſcripturis & Patribus à nobis productis nequaquam eſt conſona.

ARTICULUS IV.

Quomodo Sacramenta cauſent gratiam.

38. Aliam eſſe cauſam moralem alicujus effectus, & aliam phyſicam, nullus eſt, qui ignoret, vel neget. Prima illa eſt, quæ licet non producat effectum, illi tamen effectus tribuitur, vel quia præcipiat, vel conſulat, vel alio modo ad ipſum moveat; ſic præcipiens homicidium, vocatur homicida. Secunda e contrario eſt illa, cui revera tribuitur effectus, quia per ſe vel principaliter, vel inſtrumentaliter effectum producit. Sacramenta eſſe cauſam tantummodo moralem Sacramentorum, quatenus iis applicatis, riteque ſuſceptis Deus ad gratiam conferendam moveatur, eo quod merita Salvatoris, ejuſque Sanguinis pretioſi contineant, & ſe habeant inſtar chirographi, ſeu manus porrigentis pretium pro redemptione captivorum; fuit ſententia Scoti in 4. diſt. 1. quæſt. 4. cum ſuis, quorum ſententiam amplexi ſunt Vaſquez, Cardinalis de Lugo, Coninch. aliique plures, inter quos ex Thomiſtis Melchior Can. in Relectione de Sacram. in genere par. 4 E contrario cauſalitatem phyſicam inſtrumentalem docent Thomiſtæ, quam defendunt Suarez, Bellarm. Cacheran. Madernus, Roſign. aliique diverſimode ſe explicantes, & ſi modos omnes proferre vellem, magis confunderem, quam explicarem, quod & novit, & dixit prælaudatus Melchior.

39. Eſſe inſtrumenta moralia gratiæ, nullus ex Catholicis poteſt inficiari, cum moraliter ſint actiones Chriſti, & ſiant ejus nomine juxta illud 1. ad Corint. 4. *Sic nos exiſtimet homo, ut Miniſtros Chriſti*. Idcirco, licet Chriſtus nunc non mereatur, cum non ſit viator; nihilominus, dum per Miniſtros Sacramenta perficit, ita ſe habet quantum ad effectum, ac ſi mereretur, & pro peccatis noſtris pretium rependeret. Utrum vero hoc ſufficiat, modo ſtabiliendum occurrit.

Sentio. Sacramenta novæ legis cauſare gratiam tantum moraliter.

40. Prob. Non ſunt multiplicanda entia ſine neceſſitate; ſed nulla eſt neceſſitas dicendi, Sacramenta novæ legis cauſare phyſice gratiam; ergo. Prob. min. Si qua neceſſitas, vel erit propter auctoritates Patrum, vel ob diſtinguenda Sacramenta noſtra ab illis veteris legis; ſed non ex primo capite, cum nunquam phyſicæ cauſalitatis mentionem fecerint; imo, ſi ſtricte eorum dicta intelliguntur, nimis probarent; neque ex ſecundo, cum ſufficienter ſervetur nobilitas Sacramentorum novæ legis ſuper Sacramenta veteris, quia illa cauſent

mora-

moraliter ex opere operato continendo merita Chriſti jam peracta, & non tantum in fide, præter alia, quæ diximus quæſt. 2. art. 4. ergo.

41. Jam vero ſubdam auctoritates illas, quibus oppoſitam ſententiam inſinuare contendunt; Concilium Nicænum inquit: *Virtutem Dei in aquis abſconditam*. Baſil. lib. de Spir. Sanct. cap. 15. *Si qua eſt in aqua gratia non ex aquæ natura eſt, ſed ex præſentia ſpiritus*. Gregorius Nyſſen. lib. de Baptiſm. *Si quis mihi dubitando negotium exhibeat, interrogans, qua ratione aqua regeneret, dicam optimo jure, à Deo; oſtende mihi modum nativitatis, quæ ſit ſecundum carnem; dices fortaſſe, ſemen cauſa hominis cauſa effectrix eſt; audi igitur contra à nobis, quod aqua, quæ benedicitur purgat, & illuminat hominem*. Cyril. Alexandr. lib. 2. in Joan. cap. 42. *Quemadmodum viribus ignis aqua intenſius calefacta non aliter urit, quam ipſe ignis; ſic Spiritus Sancti operatione aqua, qua baptizati corpus reformatur ad divinam virtutem, & potentiam*. Leo ſerm. 5. de Nativit. Domini: *Virtus altiſſimi, & obumbratio Spiritus Sancti, quæ fecit, ut Maria pareret; facit, ut regeneret unda credentem*. Sylveſter Papa ſic Conſtantinum alloquitur: *Hæc aqua ſicut exterius abluit, ita interius animam mundat*.

42. Quis autem non videt, hæc omnia ſervari, ſi moralem Sacramentorum efficientiam concedamus? Cum enim cauſa moralis abſolute, & ſine aliquo addito vera cauſa efficiens dicatur, poſſunt Sacramenta noſtræ ſanctitatis, & purgationis cauſa appellari, licet phyſice non ſanctificent, ac purgent; & quis etiam non videt, intellectis auctoritatibus ſuperius relatis juxta verba, Sacramenta dicenda eſſe cauſam principalem noſtræ juſtificationis? Maria enim peperit filium ſuum, ut cauſa principalis ejuſdem, & aqua exterius abluit, tanquam cauſa principalis ablutionis. Non igitur ſimilitudines quantum ad omnia ſervari debent; & quemadmodum dum dicitur, ſicut ignem extinguit aqua, ita eleemoſyna extinguit peccatum, hoc intelligitur in linea morali; ita in adductis exemplis. Plura dicemus in objectionum ſolutione.

43. Imo ita nulla eſt neceſſitas aſſerendi phyſicam efficientiam in Sacramentis, ut ſit neceſſitas illam negandi; & ſic oſtendo; Cauſa, quæ phyſice non exiſtit, non poteſt phyſice operari; atqui Sacramenta cauſant gratiam etiam, quando phyſice non exiſtunt; ergo non cauſant phyſice; Maj. admittitur in philoſophicis principiis, & quamvis à Thomiſtis negetur; attamen petunt principium, cum ad hoc probandum afferant rationem deſumptam à Sacramentis; Min. probatur, baptiſmus in habente obicem non cauſat gratiam, remoto obice cauſat; ſed quando removetur obex, non eſt baptiſmus; ergo. Amplius. Baptiſmus etiam in diſpoſito cauſat gratiam in prolatione completa ultimi verbi; ſed tunc non ſunt phyſice alia verba, quæ utpote conſtituentia baptiſmum, cauſant gratiam; ergo.

44. Pluribus reſponſionibus huic occurrunt argumento. Et primo, penes Cacheranum, qui Suarez ſequitur, in hiſce caſibus Sacramentum eſſe cauſam tantum moralem. Secundo, cauſare per virtutem à ſe relictam in charactere, vel ornatu. Tertio, Sacramentum exiſtere ſecundum aliquid ſui, & ſecundum hoc phyſice operari.

Contra primum eſt; nullam igitur eſſe neceſſitatem ad ſervandas auctoritates Conciliorum, & Patrum, quibus adeo gloriantur, dicendi, Sacramenta phyſice gratiam cauſare; & ſi in hiſce caſibus ſufficit efficientia moralis; quare non in aliis? deinde: Ultimum argumentum probat, quod ſemper ita contingat.

Secundum non tenet; nam primo eſt eadem difficultas de charactere, quem nos dicimus cauſari moraliter; ſecundo, admiſſa illa reſponſione datur in-

inſtrumentum inſtrumenti; Tertio character, ornatus, gratia producuntur in inſtanti; Sacramentum autem vtpotè ens ſucceſſivum phyſice, nequit phyſice exiſtere in inſtanti.

Tertium non probat; nam vel omnes partes Sacramenti ſimul agunt, vel tantum pars Sacramenti; Si primum, recurrit argumentum meum; ſi ſecundum; ergo Sacramentum non agit; pars enim illa Sacramentum non eſt. Præterea. Deus non dat qualitatem productivam gratiæ illi parti, vel indiviſibili Sacramenti, quod phyſice eſt, ſed etiam aliis præcedentibus verbis; atqui aliis præcedentibus verbis non poteſt tribuere vim phyſice producendi, cum phyſice non ſint; ergo. Atque ex hoc patet, quomodo humanitas Chriſti, velut inſtrumentum divinitati conjunctum, miracula phyſicè poterat operari, quod tamen à me in tertio Tomo negatum fuit; quomodo aqua piſcinæ, quæ poſt motum Angeli morbos ſanabat; quomodo ignis materialis phyſice poſſit dæmones torquere; Hæc enim omnia erant, & ſunt res permanentes.

45. Dices. Alteratio non eſt ſecundum ſe totam, quando producitur calor; & tamen ſecundum ſe totam producit phyſice calorem; ergo à pari Sacramentum poteſt phyſice producere gratiam, quamvis phyſice ſecundum ſe totum non ſit. Totus etiam ignis agit in ſubjectum, licet agat tantum ſecundum partem approximatam; ergo à pari.

Sed contra; dico primo, multa tribui denominative toti, quæ phyſice tantum parti conveniunt; hic autem agitur de vera virtute phyſica phyſice tribuenda. Secundo aſſero diſparem rationem; quia in alteratione, una pars agit phyſice in aliam partem, & hæc in aliam uſque ad illam, in qua producitur calor, & ſi hoc negetur; nego etiam produci phyſice calorem à tota alteratione. Hoc autem dici non poteſt in Sacramentis, non enim unum verbum phyſice poteſt agere in aliud; Hoc idem valet de igne agente in ſubjectum ſecundum partem approximatam. Undè argumentum pro nobis confici poſſet; ut patet conſideranti.

46. Addo, juxta ſententiam noſtram nulla fieri plura argumenta hæreticorum, quibus productionem gratiæ ex opere operato negare contendunt, de quibus dictum eſt in antecedenti, præter alia, quæ omiſimus. Tandem ab adverſariis inquiro, quid reſponderent, ſi interrogarem, quomodo producatur gratia per Sacramentum Matrimonii contracti inter abſentes per procuratorem; Ille conſenſus eſt ne phyſice? minime, & tamen producitur gratia, dum per procuratorem exprimitur.

ARTICULUS V.

Refelluntur argumenta contraria.

47. OPp. 1. Si dicamus, Sacramenta phyſice gratiam cauſare, aptius ſervamus ſcripturas, necnon definitiones Concilii Tridentini; ergo. Prima pars antec. oſtenditur, de baptiſmo enim dicitur Joan. 3. hominem *renaſci ex aqua & Spiritu Sancto*. Ad Eph. 5. *ſalvum fieri per lavacrum generationis*. Illæ autem particulæ *ex* & *per* veram efficientiam phyſicam indicant, ut conſtat ex illo Joann. 1. *Omnia per ipſum facta ſunt*, certum eſt enim per verbum omnia non moraliter, ſed phyſice eſſe creata.

Secunda pars ejus primi antecedentis etiam declaratur; etenim ſeſſ. 7. can. 6. dicit Concilium, Sacramenta continere gratiam, quam ſignificant; can. 7. definit, per Sacramenta dari gratiam non ponentibus obicem ex opere operato; Rurſùs can. 1. inquit, in baptiſmo Chriſti efficaciorem eſſe virtutem, quam in baptiſmo Joannis; ergo.

48. Reſp. ne. ant. ad primam probationem nego particulas *ex*, & *per* determinatè ſignificare efficientiam phyſicam,

cam, ſed indifferenter vel phyſicam, vel moralem juxta rem, cui applicantur De Chriſti ſanguine legitur ad Hebr. 9. *Chriſtus per proprium ſanguinem introivit ſemel in ſancta, æterna redemptione inventa*; nec tamen fuit cauſa phyſica Redemptionis, ſed ſolum moralis, & meritoria. Quis hoc ambigit? Pluribus aliis exemplis id poſſet oſtendi. Perpendendus eſt igitur modus, quo convenit cauſæ agere.

Ad ſecundam probationem; Quidquid definitum eſt à Concilio tam de actione morali, quàm de phyſica proprie dici poteſt; Continent revera Sacramenta gratiam, quam ſignificant; ſed quare contineant phyſice, quid Concilium declarat? continet & chirographum gratiam, quam Princeps largitur, & cujus intuitu reus à Judice liberatur, continet & ſchedula pecuniam, quam quis mittit, & ſchedula perſpecta Mercator illam numerat. Hoc unum attendamus, oportet; Concilium rem egiſſe adverſus hæreticos, qui Sacramentis tantum ex opere operantis gratiam conferendi vim tribuebant; ut teſtatur Cardinalis Palavicinus; Utrum vero phyſice vel moraliter gratiam conferrent, nihil definivit, & ſcholaſticas opiniones intactas reliquit; ſicut ſemper conſuevere Concilia.

49. Opp. 2. Si dicamus; Sacramenta phyſice gratiam conferre, magis extollimus divinam omnipotentiam, juxta cujus virtutem tantum illam poſſumus explicare, ſicut explicarunt Patres; magis diſtinguimus Sacramenta nova ab antiquis, & veracius Sacerdos dicere poteſt in Sacramento pœnitentiæ, *abſolvo te*: ergo.

Reſp. non inficiamur, divinam omnipotentiam in Sacramentorum cauſalitate agnoſcendam eſſe; at, ſi concedamus moralem dumtaxat, certe Dei omnipotentiam adhuc fatemur; Quod enim ex tali forma, ac materia moveatur Deus ad gratiam conferendam, unde hoc, præter divinam voluntatem, virtutemque? ſtetit ad Joſue imperium, ſol; Apoſtolorum prædicationi barbaræ gentes non reſtiterunt; An non hic divina omnipotentia? nec tamen phyſicum vel in illo, vel in iſtis influxum aſfirmamus; Neque ex hoc capite Sacramenta nova à veteribus diſtinguamus, oportet; Alia capita majoris dignitatis non deſunt in illis; & ſi tam cordi eſt adverſariis hæc major nobilitas, dicant, eſſe cauſam principalem; Tertium momentum nihil concludit; Ut enim Sacerdos abſolvat propriè, ſufficit, ſi Judex ſit, habeatque proferendi ſententiam auctoritatem; ſive poſtea per abſolutionem communicetur gratia phyſice, vel moraliter, parum refert; Numquid hoc etiam in humanis judiciis non contingit?

50. Profecto ſi hujuſmodi argumenta convincerent, dicendum etiam foret, Chriſti ſanguinem phyſice nos à peccatis redimere, juſtoſque reddere; imò potiori ratione; nec tamen id aſſerimus; & qui in ſententia oppoſita id affirmant, perperam affirmant; Quod enim in corpore glorioſo remaneant fixuræ clavorum, & ſtigmata redemptionis, quid, rogo, probat? probabit amplius nunquam, quàm cum in corpore moriente fuerunt; fuerunt autem ſemper cauſæ morales, ſicut ſemper fuerunt cauſæ meritoriæ; atque in hoc puncto maxime decipiuntur, qui nobis adverſantur; Verum & in pluribus aliis maxima contingit deceptio; atque; ut multa dicunt, ſic ſibi non conſtare manifeſte oſtendunt.

51. Ut plurima prætercam, hujuſmodi eſt obiectio illa, quam exponunt, ex quo Eccleſia in benedictione fontis baptiſmalis à Deo poſtulet, *ut dignetur aquis impertiri vim regenerandi, ut Spiritus Sanctus arcana ſui numinis admixtione fœcundet; ut ſanctificatione concepta, ab immaculato divini fontis utero, in novam renata Creaturam progenies cæleſtis emergat*, atque alia hujuſmodi, quæ ibi leguntur. Siquidem ſimiles preces

ces adhibentur etiam in aquæ luſtralis benedictione, ut *ad abigendos dæmones, morboſque pellendos divinæ gratiæ ſumat effectum*; Quis tamen dicat, virtutem quoque hanc phyſicè ipſi convenire? Hujuſmodi preces ab Eccleſia adhibentur an verò ſit phyſicus, vel moralis, vel quomodocumque effectus, non attendit; Imo ex hoc probare poſſent hæretici, id tantum ex opere operantis haberi.

52. Op. 3. verba conſecrationis in Euchariſtia phyſice cauſant tranſubſtantiationem; ergo & Sacramenta phyſice gratiam, antec. conſtat ex S. Ambroſio 4. de Sacrament. *Si tanta* inquit, *vis eſt in ſermone Domini Jeſu, ut inciperent eſſe; quæ non erant, quanto magis operatarius eſt ſermo Dei, ut quæ erant, in aliud commutentur?* ubi comparat verba conſecrationis verbo Dei omnia creantis, ſed vèrbum, quo Deus omnia creavit, phyſice creavit; ergo. Confir. Chriſtus Joan. 6. ait. *Caro mea vere eſt cibus* ergo producit phyſice gratiam; Cur non igitur alia Sacramenta?

53. Reſp. ne. ant. ad prob. eſt quædam ſimilitudo, quæ nequaquam in omnibus ſervari debet; & ſi hanc velint, dicam, quod, ſicuti verbum creationis indicat actum divinæ voluntatis, ita verba conſecrationis, ſumpta pro actu divinæ voluntatis, cauſant phyſice tranſubſtantiationem, & quidem tanquam cauſa principalis, non in ipſorum ſenſu. Ad Confirm. poſſet primo concedi argumentum, cum pro Sacramento Euchariſtiæ ſit peculiaris ratio, conſiſtit enim in re permanente, quod de nullo alio Sacramento affirmari poteſt; attamen negatur conſeq. etenim ad ſervandam analogiam cibi conſiſtentis in carne Chriſti, cum cibo corporali, ſatis eſt, ſi per Chriſti carnem ſervetur vita ſpiritualis, Vita autem ſpiritualis ſervatur æqualiter, ſive gratia producatur phyſice, ſive moraliter.

54. Op. 4. Si Sacramenta non cauſarent phyſice gratiam, eſſent purum ſignum, nec plus haberent, quam verba malefici, quibus poſitis Diabolus operatur, hoc dicamus, abſit, & contrarium docet Concilium Trident. ſeſ. 7. can. 6. ergo. Præſertim quod moveretur Deus ad conferendam gratiam tantum ex pacto inito, & ſui promiſſione. Confirm. Sacramenta ſunt inſtrumenta Dei, qui eſt cauſa phyſica gratiæ; ergo ſunt inſtrumenta phyſica.

55. Reſp. ne. ant. etenim habent ex ſe, quod moveant Deum per merita Chriſti; quod puro ſigno convenire non poteſt; nec comparari poſſunt verbis malefici, per quæ Dæmon operatur quomodocumque proferantur, vel ex malo, vel ex bono fine ex ignorantia, etiam invincibili ſine infallibili promiſſione; Quod verò moveatur Deus ex pacto inito, non obſtat; ex hoc enim movetur mediate, & remote, immediate vero per Sacramenta; ſicut movetur ad dandum præmium ex meritis noſtris, licet moveatur ex vi ſuæ promiſſionis.

Ad Confirm. quam ſit conſ. falſa, conſtat ex dictis de Chriſti humanitate, quæ erat inſtrumentum Dei miracula patrantis, nec tamen juxta principia mea, de quibus in tertio Tomo, erat principium & inſtrumentum phyſicum; Dico tamen, eſſe inſtrumenta paſſionis Chriſti, & Dei, non gratiam reduplicative conferentis, ſed promittentis. Paſſio autem Chriſti eſt tantum in linea morali, ſicut reſpectu noſtri promiſſio Dei; cum moraliter tantummodo perſeverent; Atque ideo argumentum in authores retorquetur.

Si dicta perpendes, habebis, quo pacto Sacramenta dici nequeant puræ conditiones, & ſi fortaſſe diceres, quod cum paſſio Chriſti fuerit cauſa moralis, ſi Sacramenta eſſent moralis cauſa, daretur cauſa duplex moralis; hoc concedo; ſed ſi tu admittis cauſam phyſicam inſtrumentalem, & cauſam phyſicam principalem, quid obtrectas, a me admitti cauſam moralem principalem, ut eſt paſſio Chriſti, & cauſam moralem

lem inſtrumentalem, ut ſunt Sacramenta?

ARTICULUS VI.

Quamnam gratiam habitualem Sacramenta cauſent, primam, vel ſecundam.

56. Aliam eſſe primam, & aliam ſecundam gratiam fatentur omnes Theologi. Prima illa eſt, quæ conceditur homini inimico Dei ipſum Deo reconcilians; Secunda eſt illa, quæ datur homini, jam amico Dei, illum in dulciſſima amicitia magis perficiens. Certum eſt omnium conſenſu, baptiſmum, & pœnitentiam eſſe per ſe primo inſtituta ad producendam primam gratiam, ideo appellantur Sacramenta mortuorum; Difficultas ergo reducitur ad alia quinque per ſe primo inſtituta ad augendam gratiam, utrum etiam per accidens, & ex fine ſecundo primam gratiam producere poſſint.

57. Jam difficultatem procedere in iis, qui invincibiliter non ſint conſcii peccati lethalis, neque erga peccatum affectum retineant; ſed illud attritione ſupernaturali ſaltem implicitè retractaverint, manifeſtum eſt. Reum enim peccati lethalis, licet ejuſdem non recordetur, ſi ſaltem implicite ac generatim non retractavit, quamvis non ſit ſacrilegus; attamen peccatorum veniam & gratiam non conſequi, dubitari non poteſt; quia ex Trident. ſeſs. 6. cap. 6. & ſeſs. 14. cap. 4. *fuit quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum contritionis motus neceſſarius.*

58. Pro negativa ſententia citantur Vaſquez, Lugus, Eſparza, Meracius, Villalobos, & hanc probabiliorem exiſtimant Cacheranus, & Roſignoli: quamve ex Scotiſtis tradiderunt Centin. & Gavatius. Pro affirmativa vero ſunt communius Thomiſtæ cum Cajetano, & Goneto, necnon Scotiſtæ cum Pontio, Maſtrio, Laurea, quos ex Recentioribus ſequuntur Suarez, Valentia, Amicus, Madernus, atque cum iſtis.

59. Dicendum. Sacramenta vivorum per accidens, ſeu ex fine ſecundario cauſare primam gratiam; quod apertis verbis tradidit Scotus in 4. diſt. 4. quæſt. 6. §. *De ſecundo dico*, inquiens de Sacracramento Euchariſtiæ: *Imo ſi quæ alia peccata lateant, per illud Sacramentum etiam remittuntur.*

Prob. Illum eſt aſſerendum, quod videtur magis conſentaneum Eccleſiæ, Patribus, & Conciliis; ſed Sacramenta vivorum ex fine ſecundo cauſare primam gratiam, videtur magis conſentaneum Eccleſiæ, Patribus, & Conciliis; ergo. Prob. min. Dicit Eccleſia de Euchariſtia: *ut ſit ablutio ſcelerum, & remiſſio omnium delictorum.* Ait Auguſt. citatus de conſecr. diſt. 2. *Corpus Chriſti, dum manducatur, vivificat mortuos*; & Trident. ſeſs. 13. can. 6. *Si quis dixerit, præcipuum fructum Euchariſtiæ eſſe remiſſionem peccatorum, &c.* ex quo loquendi modo videtur includi etiam iſte fructus. Magis hoc confirmat idem Concilium ſeſs. 7. can. 6. ubi definit, Sacramenta novæ legis conferre gratiam non ponentibus obicem; ſed accedens cum peccato ſine conſcientia illius, & affectu; imo cum retractatione implicita, & generali, non ponit obicem, & peccatum illud eſt tantum obex materialiter, non formaliter; ergo.

Confirm. Sacramenta per ſe & primario inſtituta ad conferendam primam gratiam, poſſunt cauſare ſecundam, ut patet in accedente ad Sacramentum pœnitentiæ ſine culpa lethali; ergo etiam Sacramenta per ſe & primario inſtituta ad conferendam ſecundam gratiam, poterunt primam cauſare; ſicque, &c. Aliis terminis. Sacramenta mortuorum fieri poſſunt Sacramenta vivorum; ergo Sacramenta vivorum fieri poſſunt Sacramenta mortuorum.

Neque dicant; cauſare primam gratiam plus eſſe quam cauſare ſecundam,

dam; quod autem virtutem habet ad id efficiendum quod majus eſt, habet etiam ad id, quod eſt minus, non e contrario. Siquidem gratia ſecunda ſpecie non differt à gratia prima, niſi de connotato; quatenus prima ſupponit peccatum quod remittit, neque plus eſt conferre primam, quam ſecundam, ſed hoc tantum extrinſece ſe habet, ac dependet ab inſtitutione; Quare ſemper ſupereſt adverſariis probandum, Sacramenta vivorum non eſſe ex ſecundario fine ſic inſtituta.

60. Op. 1. Per peccatum lethale etiam inculpate ignoratum, & attritione ſupernaturali retractatum habetur impedimentum ad gratiam producendam per Sacramenta vivorum; ergo. Prob. ant. per ſtatum gratiæ tantum putatum habetur impedimentum ad gratiam producendam per Sacramenta vivorum; ſed per peccatum lethale etiam inculpate ignoratum, & attritione ſupernaturali retractatum, habetur ſtatus gratiæ tantum putatus; ergo. Prob. maj. attritio tantum putata impedit effectum Sacramenti pœnitentiæ; ergo. Item baptiſmus tantum putatus impedit effectum aliorum Sacramentorum; ergo à pari.

61. Reſp. ne. ant. ad prob. ne. maj. ad prob. conc. ant. ne. conſ. nam ſi attritio ſit tantum putata, deficit materia Sacramenti pœnitentiæ, ut colligitur ex Trident. ſeſs. 14. & ex propoſitione damnata ab Innoc. XI. num. 57. *Probabile, ſufficere attritionem naturalem modo honeſtam*; Sacramentum autem pœnitentiæ ſine materia perfici non poteſt. At ſi quis habeat peccatum lethale invicibiliter ignoratum, & attritione ſupernaturali ſaltem implicite retractatum non habet obicem gratiæ, & cum Sacramenta novæ legis conferant gratiam non ponentibus obicem; ſequitur, &c. Ex hoc reſolvitur etiam quod addebatur; Cum enim Sacramentum baptiſmatis ſit janua cæterorum; qui valide baptizatus non eſt, non eſt aptus ad recipiendum effectum aliorum.

62. Dices. Si habens peccatum lethale inculpate ignoratum, & attritione ſupernaturali retractatum, non habet obicem gratiæ, vel hoc eſt propter ignorantiam, vel propter attritionem ſupernaturalem; ſed neutrum; ergo. Prob. min. Si primum, ergo etiam ſine attritione non habebit obicem; ſi ſecundum, ergo attritus etiam cum conſcientia lethalis, non habebit obicem.

Sed contra. dico, requiri utrumque; attritionem, quia ex Concilio Trident. fuit quovis tempore ad impetrandum veniam peccatorum dolor neceſſarius; ignorantiam, quia ab eo, qui conſcientiam lethalis habet, exigitur ſtatus gratiæ vel per contritionem, vel per pœnitentiæ Sacramentum.

63. Op. 2. Habens peccatum lethale etiam inculpate ignoratum, &c. eſt ſpiritualiter mortuus; ergo per Sacramenta vivorum non poteſt in ipſo gratia cauſari. Prob. conſeq. Deficiente vita naturali non poteſt animal nutriri, & augeri naturaliter; ergo deficiente vita ſpirituali non poteſt anima nutriri, & augeri ſpiritualiter.

Reſp. conc. ant. ne. conſ. ad prob. diſparitas ex eo habetur, quod non in omnibus naturalia, & ſupernaturalia debeant ſervare ſimilitudinem; Mortuus enim corpore nullo modo poteſt cibum accipere, & manducare; e contrario mortuus ſpiritu poteſt Euchariſtiam, v. g. accipere, non tantum corpore, ſed etiam ſpiritu bona fide, devotione, ſuorumque peccatorum retractatione; Inſuper; cibus corporeus non habet vitam in ſemetipſo, neque vitam tribuere poteſt, niſi per actionem viventis in ſubſtantiam aliti convertatur; At Euchariſtia habet vitam in ſe ipſa, & virtute ſua non ipſa convertitur in manducantem, ſed manducans in ipſam; juxta illud Auguſtini: *Non me convertens in te, ſed te convertens in me, &c.* Ideo, &c.

AR-

ARTICULUS VII.

In quo conſiſtat gratia Sacramentalis.

64. Gratiam ſacramentalem aliquo pacto diſtingui à gratia habituali, & ſanctificante, communis eſt Theologorum doctrina; ſed in hujuſmodi ſtatuenda diſtinctione non omnium eadem eſt mens. Aliqui diſtinguunt propter diverſitatem principii, à quo eſt, ſiquidem gratia ſanctificans & habitualis à ſolo Deo producitur; ſacramentalis vero à Deo, & ſimul a Sacramento; Aliqui ex eo, quod prior gratia procedat ſaltem diſpoſitive ab actibus, & ſalutaribus motibus recipientis; poſterior vero principaliter à virtute Sacramenti, & ſolum de ſecundario à recipientis diſpoſitionibus. Aliqui per hoc, quod per gratiam ſacramentalem producatur vel character, ut in Sacramentis imprimentibus characterem, vel quidem ornatus, ut in aliis, quæ characterem non imprimunt; non ſic vero quidpiam producatur per gratiam ſolum habitualem. Haſce opiniones, aliaſve, quas apud Doctores invenies, nequaquam examinare placet; ſed ſolum quod veriſimilius cenſendum ſit, exponam paucis.

65. Et primo dicendum eſt, omnia Sacramenta præter ſanctificantem gratiam, aliam peculiarem, quæ ſacramentalis ſit, producere. Ratio hujus eſt, quia omnia Sacramenta inſtituta ſunt ad aliquem peculiarem finem; debent igitur aliquid efficere, quod omnibus commune non ſit; atqui gratia ſanctificans communis eſt omnibus Sacramentis; imo etiam haberi poteſt extra Sacramenta re ſuſcepta; ergo, præter gratiam ſanctificantem, debet alia peculiaris produci. Hoc ſatis indicavit Tertullianus lib. de reſurrectione carnis cap. 8. alibi à nobis citat. dicens: *Caro abluitur, ut anima emaculetur, caro ungitur, ut anima conſacretur; Caro manus impoſitione adumbratur, ut anima ſpiritu illuminetur, caro corpore Chriſti veſcitur, ut anima de Deo ſaginetur*; atque idem tradidit Concilium Florentinum in Decreto Eugenii, ubi leguntur hæc verba: *Per baptiſmum ſpiritualiter renaſcimur, per confirmationem augemur in gratia, & roboramur in fide; renati autem & roborati nutrimur divina Euchariſtiæ alimonia; Quod ſi per peccatum incurrimus ægritudinem animæ, per pœnitentiam ſpiritualiter ſanamur; ſpiritualiter etiam & corporaliter, prout animæ expedit per extremam unctionem; per ordinem vero Eccleſia gubernatur, & multiplicatur, per matrimonium augetur corporaliter.*

66. Secundo dicendum eſt, gratiam ſacramentalem non eſſe habitum diſtinctum à gratia ſanctificante; ſed tantum per illam dari jus ad obtinenda auxilia gratiæ actualia, quæ ad proprios uniuſcujuſque Sacramenti effectus obtinendos neceſſaria ſit; atque ideo dici poteſt, gratiam ſacramentalem diverſo modo gratiam ſanctificantem afficere. Hæc ſententia ita expoſita eſt Scoti in 4. diſt. 1. quæſt. 4. & 5. necnon S. Th. Bonavent. Bichard. Alenſ. & communiter ab aliis Theologis traditur. Satis autem hæc aſſertio probatur, quia ſi ſecus eſſet, quot ſunt Sacramenta, tot eſſent iſti habitus à gratia ſanctificante diſtincti, qui vel perficerent ipſam animam immediate, vel immediate animæ potentias, ſeu facultates; hoc autem non niſi temere diceretur, cum non ſit aliquis finis aſſignabilis, propter quem hujuſmodi habitus concederentur, & anima, ejuſdemque potentiæ ſufficientiſſime perficiuntur per gratiam habitualem, necnon dona virtutum Theologalium, & moralium, quæ juxta Concilium Tridentinum una ſimul cum gratia infunduntur. Res igitur ita ſe habet, ut per Sacramenta vel gratia ſanctificans habeatur, ut contingit per Sacramenta mortuorum, vel augeatur, ut fit per Sacramenta vivorum, & ſimul unumquodque Sacramentum conferat

jus ad habenda ſuo tempore, & prout opportunitas poſtulat, illa auxilia, quæ hominem adjuvent ad ea implenda, quæ tale reſpiciunt Sacramentum; Hoc explico, ſingula Sacramenta perpendendo; In baptiſmi ſuſceptione confertur baptizato jus ſpeciale ad auxilia, quibus honeſte, ſanctеque alia Sacramenta ſuſcipiat, & Chriſto famuletur; In confirmatione jus ad auxilia, quibus viriliter agat, Chriſtique fidem conſtanter profiteatur; In Euchariſtia jus ad auxilia, quibus charitate ferveat, ac Deo uniatur; In pœnitentia jus ad auxilia, quibus ſatisfaciat Deo pro peccatis præteritis, & caveat à futuris; In extrema unctione jus ad auxilia, quibus in miſericordiæ ſpem erigatur, artes Dæmonis ſuperet, morbique faſtidia patienter, & æquo animo ferat; In ordine jus ad auxilia pro bono uſu officii ſuſcepti; Denique in matrimonio jus ad auxilia, quibus carnis concupiſcentia cohibeatur, conjugalis fides ſervetur, proliſque cura habeatur. Hæc, ſi præter ſanctificantem gratiam, Sacramentis tribuamus, ſatis tribuimus, gratiamque ſacramentalem ſatis diſtinguimus.

67. Dixi, conferri jus ad habenda ſuo tempore auxilia; neque enim ſtatim poſt Sacramentum ſuſceptum hæc habentur, cum plerumque contingat, hominem hiſce auxiliis nec ſtatim, nec ſemper indigere. Manifeſtum eſt hoc in pueris, qui baptizantur, & confirmatione unguntur; nec enim aut illi præcepta ſtatim debent ſervare, nec iſti ſtatim fidem profiteri; & hac ſervata proportione de aliis Sacramentis ſermo poteſt inſtitui. Quemadmodum vero jus iſtud in gratia ſanctificante ſuum fundamentum habet; ita deperditur, ſi illa deperdatur, & iterum conceditur, cum gratia reſtituitur.

68. Cum vero dictum ſit, gratiam ſanctificantem, & habitualem obtineri etiam extra Sacramentum; ſed cum ſolo voto Sacramenti, inquiri poteſt primo, an Sacramentum in voto cauſet gratiam ex opere operato; ſecundo, an auxilia, quæ ſuo tempore ex vi Sacramenti habentur, haberi poſſint extra Sacramentum.

Quantum ad primum, videtur affirmative eſſe concludendum; Primo, quia in ſententia probabili, magiſque communi, martyrium, quod ſupplet vices baptiſmi, cum ſolo baptiſmo in voto ex opere operato juſtificat; ſecundo, quia ſi contritio ex opere operantis juſtificaret, non vero ex vi Sacramenti, ut quid foret præceptum habere votum Sacramenti? Tertio tandem, quia ſi dicamus, Sacramenta in voto gratiam cauſare ex opere operato, hoc magis Sacramentorum dignitatem commendat, & excellentiam; & ſicut diſpoſitio ex parte ſuſcipientis Sacramentum non impedit, Sacramentum ex opere operato juſtificare; ita non impedit diſpoſitio ex parte Sacramentum deſiderantis.

69. Nihilo tamen minus exiſtimo, Sacramentum tantum in voto gratiam ex opere operato non cauſare. Ratio hujus eſt, quia gratiam conferre ex opere operato, nihil aliud eſt ex vi nominis, quam illam conferre ex vi actionis ſacramentalis, applicatæ ſubjecto obicem non ponenti; atqui in Sacramento in voto nulla eſt actio ſacramentalis, quæ hoc pacto ſubjecto applicetur, ſed tantum eſt in apprehenſione, & in deſiderio; ergo. Præterea. Si Sacramentum in voto gratiam conferret ex opere operato; etiam conferret & alia, quæ confert in re ſuſceptum, & ſic baptiſma in voto imprimeret characterem; ſed hoc non; ergo; imo, ſicuti ſola attritio ſufficit, dummodo Sacramentum ſit in re; ita etiam ſufficeret, ſi Sacramentum foret in voto; quod nemo dicet: Ex quo infertur, vim juſtificandi extra Sacramentum ſoli contritioni convenire, proinde gratiam ex opere operantis obtineri, & ita dicito de aliis actibus per reſpectum ad alia Sacramenta, quæ ſecundam gratiam producunt:

To-

Totum hoc conſonum eſt promiſſioni Chriſti Domini; dixit enim: *Qui manducat meam carnem vivet in æternum. Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, &c.*

70. Ad argumenta oppoſita; Si martyrium gratiam cauſat ex opere operato, hoc habet à virtute ſua, & privilegio proprio; ut conſtat in infantibus pro Chriſto occiſis, quos veneramur; quin tamen plerique acceperint circumciſionem in re, nec in voto; & in adultis, qui martyrium ſine baptiſmate pro Chriſto ſubirent, aliud non requiritur, niſi fides & conſenſus; Neque dici debet, præceptum, quo jubemur habere votum baptiſmi, aliorumve Sacramentorum, ſuperflue impoſitum eſſe; etenim ſic proberetur, etiam Sacramenta ipſa ſuperflue fuiſſe inſtituta, cum gratia ſine Sacramentis obtineri poſſit; Præceptum igitur datum eſt, quia qui Sacramenta ſuſcipere poteſt, debet; atque ideo debet illa, ſi ſuſcipere non poteſt, exoptare; & quidem majus meritum habet exoptando; cum ſicut majorem gratiam dat Deus, ſi ſuſcipiantur; ita majus meritum correſpondet voto, ſi habeatur. Tertium potius minuit Sacramentorum dignitatem; nam ſi ex opere operato cauſarent gratiam, dum ſunt in voto; nihil excellentius haberent, dum re ſuſcipiuntur; eſſentque pura cæremonia, nec niſi ad ſervandum præceptum reciperentur.

71. Deveniendo ad ſecundum, quod inquirebatur; Aliquibus viſum eſt, auxilia illa, quæ conferuntur per Sacramenta, extra Sacramentum non dari; alioquin ſuperflua fuiſſet Sacramentorum inſtitutio; Aliquibus vero, non eſſe neceſſaria Sacramenta re ſuſcepta, attamen quando dantur, in ordine ad illa, ſeu in voto illorum dari. Hoc tamen abſolute non eſſe verum, exiſtimo; ita ut eadem auxilia, quæ per Sacramenta obtinentur, alio etiam modo, vel per orationem, vel per alia ſimilia, poſſint obtineri. Si dicas, Sacramenta valde utilia eſſe, atque ideo ipſorum inſtitutionem non eſſe ſuperfluam, id libenter admittam, ſi autem dicas neceſſaria; hoc nunquam. Quis enim inficias ire poteſt, ex. cau. non confirmatum; ſi in periculo ſit fidem deſerendi, ſi faciat quantum poteſt, obtinere non poſſe auxilium neceſſarium ad fidei conſtantiſſimam profeſſionem, & quidem ſine confirmatione in voto, præſertim per illos, qui negant, confirmationem eſſe ſub præcepto? Idem dicito de Euchariſtia, v. g. confert auxilia ad ſedandam libidinem, cæteroſque deordinatos motus. Ideo ſuperius dixi, Sacramenta tribuere jus ſpeciale ad talia auxilia, ſed aliud eſt auxilia habere, & aliud, habere jus ad auxilia.

ARTICULUS VIII.

Utrum Sacramentum inæqualiter diſpoſito inæqualem conferat gratiam.

72. NON inquiro de Sacramentis inter ſe comparatis; utrum nempe unum Sacramentum majorem gratiam conferat, quam aliud; Cum enim unum præ alio nobilius ſit, præſertim ſi loquamur de Euchariſtia, in qua continetur ſanctitas ipſa ſubſtantialis, unum etiam præ alio majorem habere efficaciam, videtur, dubitari non poſſe; & quidem non ſolum quantum ad inæqualitatem ſpecificam, nempe ad diverſos in ſpecie effectus, ſed etiam accidentariam, & intenſivam. Quæſtionem igitur moveo de eodem Sacramento; v. g. utrum Euchariſtia æqualem conferat gratiam in duobus ſubjectis, quæ æquales habeant diſpoſitiones, & inæqualem, ſi inæquales.

73. Fuit ſententia Paludani in 4. diſt. 4. quæſt. 1. necnon Cajetani qu. 64. art. 1. aſſerentium, baptiſma collatum duobus parvulis inæqualem gratiam conferre; Fundamentum eſt, quia unus eſſe poteſt ad majorem gloriam prædeſtinatus, quam alius, ſed gloria correſpon-

ſpondet gratiæ; ergo uni major, quam alteri, gratia conceditur; atque id magis promovent, dicendo, homines ſubrogandos eſſe Angelorum loco, qui ceciderunt; Idcirco ſicut Angeli erant inæquales in gratia, & donis ſupernaturalibus; ita etiam debent eſſe homines; conſequenter & pueri, qui per ſolum baptiſma gratiam receperunt.

74. Hæc opinio tribui etiam ſolet Doctori ſubtili in 4. diſt. 4. quæſt. 7. §. *Sic ergo*. Sed revera Scotus tria ibi reſolvit; Primum eſt: Fieri poſſe, majorem gratiam conferri uni, quam alteri ex ſpeciali Dei benevolentia; Secundum eſt, hoc poſſe contingere ex peculiari paſſionis Chriſti applicatione; Tertium eſt, hoc oriri poſſe ex merito Miniſtri, parentum precibus, & adſtantium devotione; Quod quidem optime dictum eſſe non inficior; ſed hujuſmodi reſolutiones ad rem noſtram non faciunt; cum inquiramus tantum de gratia, quæ confertur per Sacramentum ex opere operato, & ex vi Sacramenti; non vero de illa, quæ conferri poteſt ex ſpeciali Dei benevolentia, & paſſionis Chriſti applicatione ab ipſo Chriſto per proprium actum facta; neque de illa, quam ex opere operantis alii poſſunt impetrare.

75. Affertur etiam aliorum placitum, qui dixerunt, Sacramentum cum inæquali diſpoſitione conferre ſemper æqualem effectum, quia ſi obicem non reperit, tantam gratiam ex ſeſe producit, quantam poteſt; atqui obex non reperitur, ſive ſit major, ſive ſit minor diſpoſitio; ergo, ſive ſit major ſive minor diſpoſitio, producit quantum poteſt, igitur æqualem.

76. Tertia tandem ſententia eſt; Unum quodque Sacramentum in ſubjecto æque diſpoſito ęqualem gratiam producere, & è contrario. Hæc eſt communior, & verior.

Ratio eſt, quia ubicumque eſt eadem cauſa æquali modo applicata, & diſpoſitio ſubjecti eſt eadem, idem effectus produci debet, ut experientia conſtat; ſed Sacramentum idem eſt, & æquali modo applicatum; ergo ſi diſpoſitio ſubjecti eſt eadem, eadem erit & gratia; Hoc ampliùs explicatur; etenim unumquodque Sacramentum gratiam confert ex certa, & ſtatuta lege, ut ſtatuit Concil. Tridentinum ſeſs. 7. can. 7. & ſicuti habet eandem ſignificationem, ita etiam habet eandem efficientiam ex parte Dei; igitur ex parte Dei effectus eſt æqualis; ergo ſi etiam ex parte ſuſcipientis æqualitas ſit, gratia procul dubio æqualis erit. Homini propterea melius diſpoſito major gratia conferetur juxta id, quod dixit Damaſc. lib. 4. cap. 10. inquiens. *Quamvis peccatorum remiſſio omnibus æque per baptiſmum detur, Spiritus tamen gratia pro fidei, ac præcedentis purgationis modulo, ac ratione comparatur* & Concil. Trid. ſeſs. 6. cap. 6. docet, *Nos juſtificari, juſtitiam in nobis recipientes, unuſquiſque ſuam ſecundum menſuram, quam Spiritus Sanctus partitur ſingulis prout vult, & ſecundum propriam uniuſcujuſque diſpoſitionem, & cooperationem*.

77. Dices, ex hac Concilii auctoritate nihil probari; etenim in ea eſt ſermo de duplici juſtificatione; de una, quæ fit extra Sacramentum per proprios actus dilectionis, & contritionis, & hæc eſt ex opere operantis; de alia quæ fit per Sacramentum; & hæc eſt ex opere operato: Ad primam referuntur poſteriora verba, *& ſecundum propriam uniuſcujuſque diſpoſitionem, & cooperationem*; ad ſecundam verò referuntur alia, *ſecundum menſuram, quam Spiritus Sanctus partitur ſingulis prout vult*. Præterea. Conferri gratiam ex opere operato, eſt, conferri ex meritis Chriſti; at ſi conferretur juxta menſuram diſpoſitionis, conferretur etiam ex meritis uniuſcujuſque propriis. Tandem; ſive ſit major, ſive ſit minor diſpoſitio eadem in Sacramento eſt ſignificatio; ergo & eadem efficientia.

Contra; omitto de utraque juſtificatio-

eatione ſermonem haberi ſed poſtea utramque complectens Concilium, inquit dari & ſecundum menſuram, quam partitur Spiritus Sanctus, & ſecundum uniuſcujuſque diſpoſitionem, & ideo, etiam dum per Sacramentum datur, juxta diſpoſitionem datur, per quam determinetur Sacramentum ad ſuum effectum producendum; omitto inquam; cum ibi loquatur de juſtificatione, quæ fit per baptiſmum; Ego tamen dicerem, juſtificationem, quæ habetur ex opere operantis eſſe juxta menſuram, quam Spiritus Sanctus partitur ſingulis, nempe juxta menſuram gratiæ excitantis & cooperantis, quæ præcedere debet opus, & ſimul eſſe cum opere, quo quis juſtificatur, & ad quam nulla datur diſpoſitio; juſtificationem vero ex opere operato haberi quidem per Spiritum Sanctum tanquam per cauſam principalem; ſed juxta menſuram diſpoſitionum, quæ præcedere debent juſtificationem; Ad ſecundum; verum eſſet argumentum, ſi gratia conferretur juxta menſuram diſpoſitionum, quæ eſſent cauſa gratiæ; ſed hoc à nobis non dicitur; agnoſcimus enim diſpoſitiones melius aptare ſubjectum ad recipiendam gratiam, non tamen gratiam producere, quod etiam conſtat in naturalibus; nam quo major eſt ſiccitas in ligno, fit major combuſtio; quæ tamen ab igne eſt, nequaquam à ſiccitate. Ad 3. eadem eſt ſignificatio in actu primo, non in actu ſecundo; & ſi argumentum valeret, dici poſſet, ſive ſubjectum ſit diſpoſitum, ſive indiſpoſitum eadem eſt ſignificatio; ergo & eadem efficientia, illationem hanc non admittes. Sacramenta igitur in actu primo ſignificant gratiam indefinite, nec magis nec minus intenſam; in actu vero ſecundo prout illam cauſant, ſignificant majorem, vel minorem juxta ſubjecti, cui applicantur diſpoſitionem.

79. Quare autem juxta majorem diſpoſitionem major gratia per Sacramentum conferatur, alia ratio reddi non poteſt, niſi Chriſti inſtitutio; Quamvis enim potuiſſet ita inſtituere, & promittere gratiam unicuique Sacramento, ut in omnibus æqualem producerent, voluit tamen ita inſtituere, & promittere, ut uniuſcujuſque diſpoſitioni foret accommodata; Primo quia hoc poſtulabat ordo ſuavis, ac ſapientis providentiæ, ut juſta fieret diſtributio, & melius diſpoſito major gratia conferretur; Secundo ut homines magis excitarentur, ut ſe aptius ad Sacramentorum ſuſceptionem præpararent.

80. Fundamenta prioris ſententiæ omnino inania ſunt; Primum quidem, quia ſi Deus aliquem prædeſtinavit ad majorem gloriam, id effecit, quia prævidit, majora in ipſo futura eſſe merita, majoreſque diſpoſitiones ad Sacramenta recipienda, & frequentius, & utilius, juxta ſententiam meam; Si vero oppoſitum ſuſtines, id effecit, quia actu libero ſuæ voluntatis ipſe decrevit, ipſi uberiora gratiæ auxilia conferre; Quod ſi pueri ſint, & ambo decedant, dico nullum fuiſſe ad majorem gloriam, nec gratiam prædeſtinatum, ſed ad æqualem. Secundum vero; & quia innititur falſo, nempe omnes Angelos differre ſpecie & natura; & quia etiam inter Angelos plures fuerunt in gratia, & donis æquales; & quia ſi id admittemus, cujus Angeli loco ſubrogata fuit Beatiſſima Virgo, quæ omnes Angelos in gratia, & merito ſuperavit.

81. Corruit etiam fundamentum ſecundæ opinionis; quia ſi non eſt obex, producit quidem Sacramentum quantum poteſt gratiæ ſecundum ſuum eſſe ſpecificum, non tamen ſecundum gratiæ intenſionem; ſic enim Sacramentum agere poteſt in infinitum; Hic autem quæritur de majori vel minori gratia in ſenſu poſteriori.

Agendum hic eſſet de Sacramentis, quæ ficte, ideſt cum obice ſuſcipiuntur; utrum remoto obice producant gratiam; Sed quia difficultas hæc potiſſimum agitur de baptiſmo, ideo ad proprium tractatum revocandam arbitror.

QUÆ-

QUÆSTIO VI.

De Charactere.

ARTICULUS I.

Quid ſit Character.

1. IN hac re nihil dicendum foret, ſi veritati ſolum ſtuderemus; Non enim intereſt, in illis rebus, quæ ad fidem noſtram pertinent, ſcire quid ſint; ſed tantum an ſint; eaſque fateri, nequaquam inveſtigare; aut ſatis eſſet ea refellere, quæ cum fidei doctrina nequaquam componi poſſe videntur. Quia tamen ad illud devenimus tempus, quo non melius ſcire, ſed magis ſcire aliqui cupiunt; ideo, ut iſtis etiam ſatisfaciamus, nonnulla dicemus.

2. Character nomen græcum eſt, idem ſignificans, quod apud nos ſignificat ſignum, nota, ſeu ſigillum impreſſum; quodve deſumptum eſt à ſigno, ſeu charactere, quo pecudes per ferri inuſtionem ſolent diſtingui. Porro ſignum hoc imprimi tribus de cauſis conſuevit. Primo, ut res aliqua diſtinguatur, ſicut homines aliqui facinoroſi à Judice diſtingui ſolent, & Oves, ut, cujus ſint domini, dignoſcatur. Secundo, ut pluris res aliqua æſtimetur, ſicuti eſt pecunia, quæ, ſigillo regio ſignata, majus ſibi vindicat pretium. Tertio, ut ad aliquod officium deputetur, ſicut olim, qui militiæ nomen ſuum inſcribebant, charactere militari notabantur.

3. Characterem hunc, tanquam Sacramentorum effectum admittendum eſſe, nec ex ſcriptura, nec ex Patribus probari, aſſeruerunt plures antiqui, Principeſque Theologi; Eccleſiæ tamen auctoritate affirmandum eſſe, apud omnes reperimus. Hoc habet Scotus in 4. diſ. 6. qu. 9. Durand. diſ. 4. qu. 1., Cajet. in 3. p. S. Thom. quæſt. 63. art. 1. Si tamen res ita eſt, aut dicamus oportet novam revelationem Eccleſiæ factam eſſe, novumque fidei articulum condidiſſe, quod concedere nec nos poſſumus, nec poſſunt alii, aut neceſſe eſt aſſeramus, id Eccleſiam ex Patrum traditione accepiſſe; Extat autem pro characteris exiſtentia conſtitutio Innoc. III. cap. *Majores* nec non decretum Eugenii IV. anno 1439. Quidquid tamen dixerint Doctores iſti, reprehendendi non ſunt, cum nec de charactere dubitaverint; ſed, utrum eſſet dogma fidei, in quæſtionem adduxerint; nec quidpiam eſſet à Concilio aliquo definitum; Unde non eſt, cur hæretici illorum auctoritate ſe fulciri arbitrentur.

4. Potius non levis doctorum diviſio facta eſt in aſſignanda characteris eſſentia. Atque in primis citatur Durandus, qui laudato loco dixit, characterem non eſſe aliquid reale & abſolutum diſtinctum ab anima, ſed ſolummodo relatione rationis, ſeu denominationem externam, per quam homo ad aliquas ſacras functiones, vel active, vel paſſive deputatur, ſicuti dantur quidam ſpeciales gradus Doctoratus, ac Magiſtratus per puram relationem rationis, & extrinſecam denominationem; & pretium nummi augetur, vel minuitur per ſolam externam Principis voluntatem; Addit vero rationem; quia alia via character explicari non poteſt, niſi plura obſcura proferendo, quæ in explicandis Fidei dogmatibus nequaquam debent adduci.

5. Hæc opinio ex Bellarmino lib. 2. de Sacram. cap. 19. vix diſtinguitur ab hæreſi, quod etiam affirmat Suarez in 3. par. S. Th. quæſt. 63. diſp. 11. ſect. 2. Vaſq.

Vaſq. vero in eandem quæſt. diſp. 134. art. 6. magnum diſcrimen inter Novatores, & Durandum oſtendit; Laudatus autem Bellarminus dicit, quod ſi Durandus Concilia legere potuiſſet, ſine dubio aliter docuiſſet. Optime ſane dictum eſt; nunc enim definitum eſt per Florentinum, ac Tridentinum, characterem eſſe ſignum ſpirituale animæ impreſſum, & indelebile; quod per relationem rationis, atque externam denominationem ſervari non poſſe, quiſquis intelligit; quis enim ignorat, neque per denominationem extrinſecam cogniti aliquid imprimi in objecto, neque per relationem ad tempus, per quam, v. g. domus dicitur ædificata, aliquid imprimi domui? Quod ſi argumentum Durandi valeret, plane ſequeretur, non magis imprimi characterem per Sacramentum ordinis in lege nova, quam per ſacerdotalem deputationem in lege veteri; quia etiam tunc homines deputabantur ad divinum cultum; imo non magis imprimeretur character homini, cum ordinatur, quam calici, cum conſecratur; quæ omnia veritati Catholicæ opponuntur, ut videbimus. Quod vero obſcuris tantum terminis character explicari poſſit, parum refert; non enim quæ claritatem præſeferunt, ſemper veritatem majorem aſſequuntur; atque in hiſce rebus non rationem ſequi, ſed Eccleſię traditionem amplecti debemus.

6. Si credendum foret pluribus Doctoribus, & procul dubio celebrioribus, quorum dicta aliqui recentiores adduxerunt, inter quos Honoratus Tournely, necnon Juenin; docuiſſe arbitraremur Doctorem ſubtilem, characterem conſiſtere in quadam relatione reali extrinſecus adveniente, da qua à nobis dictum eſt in metaphyſica noſtra; attamen nequaquam id dixit, ſed tantum, utpote acutiſſimi ingenii vir, aſſeruit, admiſſa hujuſmodi relatione eam ſententiam defendi poſſe; ipſe vero in 4. diſt. 6. quæſt. 10. conceptis verbis docuit, eſſe characterem aliquod phyſicum & reale abſolutum ſpectans ad genus qualitatis; atque ideo, ut melius de tanto viro ſentirent, illum legere debuiſſent; ſatius eſſet minus credere, & amplius ſtudere.

7. Sed & alii aſſerentes, ut oportet, eſſe qualitatem abſolutam, ſatis inde diviſi ſunt. Alii enim illam collocant in intellectu, tanquam neceſſariam ad exercendos actus intellectus; Alii in voluntate, tanquam diſpoſitionem neceſſariam ad actus charitatis; Alii in utraque potentia, & alii abſolute in anima. Rurſus, cum apud Philoſophos quatuor ſint ſpecies qualitatis, nempe habitus, & diſpoſitio, potentia naturalis, vel impotentia, patibilis qualitas & paſſio, forma & figura; quidam ad unam, quidam ad aliam qualitatis ſpeciem characterem revocarunt.

8. Hæc quidem omnia examinare non placet, cum pro Scholæ arbitrio dicta ſint; dummodo à noſtris admittatur character, ſatis habemus, ne de noſtris diſſenſionibus glorientur Hæretici; Admittendum eſſe tanquam fidei dogma tenemus, in quo vero conſiſtat, nihil definitum accepimus.

9. Exiſtimo tamen ab iis Theologis melius dici, qui aſſerunt eſſe qualitatem animæ impreſſam, quæ ſpectet ad genus potentiæ; Illud enim ad hoc genus qualitatis reduci debet, per quod deputamur ad aliquid accipiendum, vel tradendum in cultu divino; nam ad recipiendum neceſſaria eſt potentia paſſiva, ad tradendum activa; atqui per characterem deputamur ad aliquid recipiendum, ut in charactere baptiſmatis, & ad agendum, ut per characterem ordinis, & confirmationis; ergo.

10. Neque dicant 1. characterem eſſe de genere ſigni, ſignum autem eſt in genere relationis; & rurſus, ſi ſignum eſt, eſt in linea effectus; ſi vero potentia, non in linea effectus eſt, ſed principii.

Contra; eſt quidem de genere ſigni, ſed non tantum; nam eſſe debet

etiam fundamentum, quod relatio ſupponat; debet ſiquidem eſſe ſpiritualis poteſtas, qua innitatur relatio ſigni, & ſic ad 2. cui addo, quod vel dicimus eſſe ſignum ſenſibile per Sacramentum, & ſic eſt effectus; ſi vero dicamus eſſe ſignum inſenſibile, ut infra dicemus, effectum eſſe, negari poteſt.

11. Opp. Neque character in baptiſmate eſt potentia paſſiva, nec in confirmatione, & ordine eſt activa; ergo nullo modo eſt potentia. Prob. prima pars antec. in charactere non recipiuntur alia Sacramenta, imo character recipitur in anima; ergo character non eſt potentia paſſiva. Prob. ſecunda, ſufficit externa deputatio adjunctis virtutibus fidei, fortitudinis, & religionis; ergo. Prob. tertia, ſimplex Sacerdos non poteſt confirmare, adveniente tamen Pontificis conceſſione poteſt; ſed conceſſio Pontificis non poteſt tribuere potentiam activam; ergo.

12. Reſp. ne. ant. ad prob. primæ partis dico, effectus Sacramentorum recipi in anima, quæ facta eſt idonea per characterem, baptiſmi: ad prob. ſecundæ partis ne. ant. ſufficit quidem ad honeſte ſancteque vivendum; non tamen ad profitendum fidem proprie, ut militem Chriſti decet: ad prob. tertiæ partis, dico, Sacerdotem ſimplicem non poſſe confirmare defectu conditionis moralis, non tamen defectu poteſtatis; ſicut habet poteſtatem abſolvendi, quam ſine juriſdictione exercere non poteſt.

13. Op. iterum. Character ſpectat ad prædicamentum habitus; ergo non ad prædicamentum qualitatis. Prob. ant. Character eſt determinatus ad cultum divinum; ergo. Tum quia character eſt potius patibilis qualitas; cum ex Dionyſio 2. Eccleſiaſticæ Hierarchiæ ſit lumen, lumen autem habitus eſt; ergo.

Reſp. ne ant. ad prob. diſt. ant. qui bene, vel male fieri poteſt conc. ſemper bene ne. ant. & conſ. habitus vero virtutis eſt ille, quo nemo male utitur, ut dicunt Philoſophi, ac Theologi; Ad aliud, dico eſſe lumen ſpirituale datum ad illos effectus, quos in ſequenti recenſebimus, proinde, &c.

ARTICULUS II.

An aliqua, & quænam Sacramenta imprimant characterem.

14. Prius Wicleſus lib. 4. Trialogi c. 15. ut refert Thomas Valdenſis de Sacram. baptiſm. cap. 109. deinde Calvinus in Antidoto Concil. ſeſs. 7. can. 9. cum aliis, negarunt aliquem per ullum Sacramentum imprimi characterem.

Dicendum: Dogma fidei eſſe, per aliqua Sacramenta characterem imprimi.

Ut Catholici ſcripturis aliquibus veritatem hanc probent, nonnullas afferunt; Tales ſunt illæ 2. ad Corint. 1. *Unxit nos Deus, & ſignavit nos, & dedit pignus in cordibus noſtris.* Ad Epheſ. 1. *In quo & credentes ſignati eſtis Spiritu promiſſionis Sancto*; & cap. 4. *Nolite contriſtare ſpiritum Dei, in quo ſignati eſtis in diem redemptionis*; atqui hoc ſignum character eſt; ergo.

Verum quo pacto minor propoſitio ex illis textibus inferatur, nequaquam mihi ipſi ſuadere poſſum; ſi enim explicarentur de interna animæ unctione, necnon de ſigno, & pignore æternæ hæreditatis, explicatio reprehendi non poſſet, niſi redarguantur Patres, qui juxta ſenſum litteralem illos ſic explicarunt. Signatum etiam dicitur ſuper nos lumen vultus Domini, nec tamen aliquis character impreſſus; etiam Euchariſtia æternæ gloriæ pignus appellatur; nec tamen per eam character ullus imprimitur.

15. Potius ex ſcripturis illis argumentum aliquod haberi poteſt, ſi Sanctorum Patrum traditio pro characteris ſignificatione produci poſſit; Plures certe Bellarminus, & Suarez producunt,

cunt, quorum ego ſeriem præteribo. Sufficiunt mihi aliqui. Inter iſtos Baſilius orat. 13. loquens de baptiſmo hæc habet: *Quomodo vindicabit te Angelus ſibi, quomodo excipiet ab hoſtibus, ſi non agnoverit ſignaculum?* Cyrill. Alexand. in libello ad Theodoſium Imperatorem: *Per hunc*, ideſt baptiſmum, *divinus character nobis imprimitur; reformamur enim in Chriſto Jeſu velut in divina quadam imagine*. Auguſt. epiſt. 44. *Vos oves Chriſti eſtis, qui characterem Dominicum portatis, quem accepiſtis in Sacramento*.

16. Conſulto omiſi alios Patres, quia etſi omnes nobis deeſſent, ſatis eſſet Decretum Eugenii IV. in Concil. Florentino, ubi leguntur hæc verba: *Sacramenta tria eſſe, Baptiſmum, Confirmationem, & Ordinem, quæ characterem, ideſt, ſpirituale quoddam ſignum à cæteris diſtinctivum, imprimunt in anima, indelebile; unde in eadem perſona non iterantur*; ſatis definitio Concilii Tridentini ſeſſ. 7. can. 9. ſic ſtatuentis: *Si quis dixerit, in tribus Sacramentis, Baptiſmo, Confirmatione, & Ordine non imprimi characterem in anima, hoc eſt, ſignum quoddam ſpiritaale, & indelebile, unde ea iterari non poſſunt; anathema ſit*.

17. Neque vero deeſt ratio; atque illa eſt, qua utuntur Angelicus, & ſubtiliſſimus Doctor tanquam maxime congrua. In quacumque Republica bene inſtituta illis, qui conſtituuntur in determinato gradu, & ad certum munus deputantur; adhiberi ſolent peculiares notæ, & quædam inſignia, quibus à cæteris diſcernantur; ut conſtat etiam apud nos, & olim fiebat in militibus, qui charactere etiam in corpore impreſſo, notabantur; atqui Eccleſia eſt quædam Reſpublica recte inſtituta, in qua per aliqua Sacramenta in determinato gradu aliquis conſtituitur, & ad certum munus deputatur; ergo. Addit Doctor ſubtilis aliam rationem deſumptam ex eo, quod aliqua Sacramenta non iterantur; adeoque iſta remanent ſemper in aliquo à ſe relicto; nimirum charactere.

18. Atque ex his patet, hæc Sacramenta imprimentia characterem eſſe tria, ideſt, Baptiſmum, Confirmationem, & Ordinem, etenim tantum per iſta conſtituimur in determinato gradu, & ad certum munus deputamur; Per Baptiſmum ſcilicet aſſumimur in Chriſti familiam; per Confirmationem determinamur ad pugnandum pro Chriſti fide; per Ordinem promovemur ad doctrinam, & ad conſtituendos alios in propriis gradibus; aſſumptio autem in familiam, promotio ad militiam, & prælatio ad doctrinam neque in humanis ſolent iterari; ex quibus tamen in omnibus non valet exemplum. Hoc non tenet in aliis Sacramentis; nam per matrimonium multiplicantur in Republica perſonæ; per Euchariſtiam ſpiritualiter nutrimur, & in Principis menſa comedimus; per Pœnitentiam offenſo Principi reconciliamur; per extremam unctionem talem reconciliationem ultimo perficimus. Hæc autem omnia in nulla Republica ſolent determinatum gradum conferre. Nec enim habet in aula Regis determinatum gradum, qui aliquando cum Rege comedit, aut qui ei novum aulicum quodammodo auget, ac procreat, aut qui eum ſibi reconciliat, &c. & ex alia parte comeſtio, nutritio, reconciliatio, procreatio iterantur; ergo.

19. Opp. 1. De charactere nihil habetur in ſcripturis, & Patribus, nihil inter Scholaſticos certum; & inventor characteris fuit Innoc. III. qui plura alia decrevit, ac fecit; ergo non eſt admittendus.

Secundo: Si character eſt admittendus, præſertim tanquam ſignum diſtinctivum membrorum Chriſti ab aliis, ſed non propter hoc; ergo. Prob. min. hæc diſtinctio habetur per fidem, & per æternam prædeſtinationem; ergo.

Tertio, Circumciſio non impri-

mebat characterem; ergo neque baptiſmus.

20. Reſp. ne. ant. ut ex probationibus, quamvis vero non haberetur expreſſe in ſcripturis & Patribus; habetur tamen ex Eccleſia, quæ nihil de fide ſtatuit niſi per ſcripturas, vel per traditionem inſtructa; & falſum eſt inter Scholaſticos nihil certi haberi, cum ad ſummum diſcrepent in explicando charactere, nequaquam in eo admittendo. Quod vero Innocentius III. fuerit characteris inventor, hoc perperam, & non ſine mendacio dicitur; in cap. enim *Majores* extra de baptiſmo refert opinionem quorumdam dicentium, eos, qui baptizantur inviti, recipere tantum characterem, ſicuti qui ficti baptizantur; & ibi loquitur de charactere, tanquam de re trita, & communi apud Theologos; quam occaſione erroris Donatiſtarum, omnium primus clarius expoſuit S. Auguſtinus. Deinde quamvis Innoc. III. fuiſſet inventor, quid inde? nunquid non ejuſdem doctrina à Conciliis approbata? Fuit autem Innocent. commendatiſſimus Pontifex, & ſatis eſſet ejus libros de mundi contemptu, ſermones & epiſtolas legere; De eo ſummis cum laudibus ſcripſerunt Blondus, & Platina, imo & ipſi hiſtorici Germani, inter iſtos eſt Albertus *Krantius* qui lib. 12. Metropolis cap. 2. de illo ſic loquitur: *Præfuit Innocent. III. Pontifex, cui parem multa doctrina, rerum magnificentia ætas illa non habuit*; & lib. 9. cap. 1. *Laudabilia multa ſcripſit, multa conſtituit*.

Ad 2. tranſ. maj. ad prob. negatur quod dicitur de fide; etenim plures baptizantur, nec tamen fidem recipiunt; recipiunt vero characterem: plures etiam fidem amittunt, non amittunt characterem: per fidem quis non conſtituitur capax aliorum Sacramentorum, ut conſtat in Cathecumenis: proinde, &c. quod vero dicitur de æterna prædeſtinatione, per hanc deputantur quidem homines ad præmium futuræ gloriæ: non tamen ſignificantur conſtituti in aliquo gradu, neque ad certum munus determinati.

Ad 3. De circumciſione non habentur illæ auctoritates, & definitiones, quæ habentur de baptiſmate: ſi autem diſparem rationem velint, advertant, circumciſionem fuiſſe Sacramentum carnali populo datum, quod characterem utique carnalem imprimebat; baptiſmum vero eſſe Sacramentum ſpirituali populo conceſſum; imprimit ergo characterem ſpiritualem; Unde argumentum pro nobis conficitur.

21. Op. 2. Eccleſia, & calix dum deputantur ad cultum Dei nullum characterem recipiunt; ergo neque homines. 2. Qui cum obice ſuſcipit Sacramentum baptiſmatis, nullum poteſt recipere characterem; ergo. Prob. ant. Character eſt donum ſpirituale; ſed qui cum obice ſuſcipit Sacramentum baptiſmatis, nullum poteſt recipere donum ſpirituale, nam ita ſuſcipiens peccat; ergo. 3. Character vel eſt gratia gratis data, vel gratum faciens; non primum, cum Apoſtolus inter gratias gratis datas characterem non recenſeat; non ſecundum, quia etiam in peccatoribus reperitur; ergo.

22. Reſp. ad 1. neque Eccleſia, nec calix ſunt capaces gratiæ, & alicujus ſpiritualis poteſtatis; homines autem capaces ſunt.

Ad 2. Etiam fides, & ſpes ſunt donum ſpirituale, & tamen cum peccato componuntur; ita & character.

Ad 3. Eſt eadem reſponſio; nec enim fides, & ſpes ſunt gratiæ aut gratum facientes, aut gratis datæ, &c. Dici tamen poſſet eſſe gratiam gratum facientem in ſui radice, quatenus tribuit facultatem ad alia Sacramenta ſuſcipienda, per quæ homo gratiam gratum facientem conſequitur.

23. Op. 3. A nobis committi circulum vitioſum; nam ideo dicimus imprimi characterem per illa tria Sacramenta, quia non iterantur; ideo vero non ite-

ſterari, quia imprimunt characterem; ſed revera ex quo non iterentur, nequaquam poteſt probari character; primo, quia etiam matrimonium cum eadem perſona iterari non poteſt; nec tamen imprimit characterem; ſecundo, quia, cum baptiſmus repeti non poſſit, alia momenta non deſunt; nam eſt janua ad Eccleſiam, opus autem non eſt, ut ſemel aperta janua iterum aperiatur; ſecundo, quia per baptiſmum deletur peccatum originale, & hoc non amplius redit, ut iterum deleatur; tertio, quia per baptiſmum promittitur vita æterna; Dei autem promiſſio certiſſima eſt; ergo.

24. Reſp. ſi verum eſt primum, committeretur etiam circulus vitioſus, quando cauſam demonſtramus per effectum, & effectum probamus per cauſam; Res autem ita contingit in re noſtra. Ad argumentum: Etſi matrimonium repeti non poſſit cum eadem perſona, poteſt tamen cum aliis; & hoc ſufficit, ut dicamus, per matrimonium characterem non imprimi; non poteſt autem repeti cum eadem perſona; non quia characterem imprimit, ſed quia vinculum eſt, quod diſſolvi non poteſt, niſi per mortem. Erunt enim duo in carne una, & quod Deus conjunxit, homo non ſeparet. Ad 2. rationes illæ parum firmæ ſunt, & licet quidquiam probarent, adhuc character negandus non eſſet: ſed revera prima corruit; nam ſi quis manifeſtus Hæreticus fiat, exit ab Eccleſia; & ſi reſipiſcat, ad Eccleſiam redit, & iterum ipſi aperitur janua, non quidem per baptiſmum, ſed per pœnitentiam; & inquiro, quare non ſit amplius neceſſe ipſi januam aperiri, dicis, quia ſemper aperta manet, ſed cur ſemel per baptiſmum aperta, ſemper aperta manet? quia baptiſmus ſemper perſeverat, non in ſe ipſo; ergo in alio; non in gratia; ergo in charactere; ſecunda non valet, nam ſi quis ficte accedat ad baptiſmum, in eo peccatum originale non deletur, & tamen ſi fictionem deponat, deletur; Neque tertia, nam vita æterna promittitur etiam manducanti Euchariſticum panem, & tamen frequenter percipi poteſt, & debet Euchariſtia. Præterea, falſum eſt, promiſſionem Dei eſſe certiſſimam abſolute, eſt enim hujuſmodi ſolum conditionate.

25. Opp. 4. Quotieſcumque Patres characterem nominant, loquuntur tantum de ſymbolo quodam externo; etenim Auguſtinus in ſermone coram Emerito Donatiſta tria dicit, 1. fidem, & invocationem Trinitatis eſſe characterem, qui fit in baptiſmo, 2. ſi Donatus baptizaſſet, characterem impreſſiſſet, 3. characterem exterius cognoſci, & agnitum approbari: ſed hæc omnia non poſſunt intelligi de charactere interno, ſed ſolum de ſymbolo externo; ergo.

26. Reſp. ne. aſſumptum. Ad loca S. Auguſtini. Primum eſt verum de charactere imprimente, ſeu de cauſa characteris, nequaquam de charactere impreſſo; Quemadmodum enim in ſigillo eſt character imprimens, in cera eſt character impreſſus, ita in Trinitatis invocatione eſt primus, ſecundus vero in anima tanquam illius effectus. Secundum profertur ab Auguſtino ex hypotheſi falſa, ut plerumque fieri ſolet inter diſputandum; Contendebat Donatus, baptiſmum habere vim juxta probitatem, fidemque Miniſtri; contendebat Auguſtinus, totam baptiſmi virtutem a Chriſti inſtitutione, ac poteſtate deſcendere; Hinc, ut hoc oſtenderet, dixit, quod etiamſi Donatus baptizaret, adhuc, ſi reliqua ſervaretur, baptiſmus Donati characterem imprimeret. Tertium probat tantum; characterem cognoſci exterius in ſua cauſa, non autem in ſe ipſo immediate; revera enim cum aliquem baptizatum cognoſcimus, cognoſcimus etiam in illo characterem impreſſum.

Alia nonnulla opponit Kemnitius apud Bellarminum, ſed in dictis ſatis rejecta ſunt.

A R-

ARTICULUS III.

Nonnulla alia ad characterem ſpectantia.

27. Dico primo characterem Sacramentalem eſſe indelebilem, ita ut ſemel impreſſus pro quocumque tempore ex natura rei juxta præſentem Dei diſpoſitionem permaneat. ita docent S. Thom. hic qu. 63. artic. 5. & Scot. in 4. diſ. 6. qu. 9.

Prob. ultra Concilium Florentinum, & Trident. abſolutè tribuentia characteri rationem indelibilis ſigni; ratione ſic. Quod ex natura rei deſtrui non poteſt, vel per deſitionem ſubjecti, vel per introductionem contrarii advenientis, vel per ſubtractionem concurſus conſervativi, perpetuum cenſendum eſt; atqui character Sacramentalis ita ſe habet; ergo. Prob. mi. ſubjectum characteris eſt anima, ſaltem mediatum, quæ immortalis ſupponitur; contrarium adveniens deberet eſſe peccatum, quod minimè opponitur characteri, ſicut non opponitur baptiſmi valori; Deus non ſubtrahit concurſum ſuum de via ordinaria; ergo. Quod ſi dicas; non eſſe, cur character perſeveret in beatis, nec in damnatis; cum nullum munus ab ipſis ampliùs exerceri poſſit; reſpondeo in illis perſeverare ad gloriam muneris, quod fideliter exercuerunt, in iſtis ad confuſionem.

28. Dico ſecundo. Characterem Sacramentalem in omnibus, & ſemper æqualem eſſe. Ratio eſt, quia per Sacramentalem characterem habetur ſignum diſtinguens in peculiari gradu, quem quis habet in Eccleſia; hoc autem ſignum in omnibus, & ſemper eſt æquale, ſicut in omnibus æqualis eſt gradus, & poteſtas; æqualiter enim per baptiſmum ſunt Dei famuli; per confirmationem æqualiter omnes Dei milites; per ordinem æqualiter tribuitur prælatio, & Miniſterium, & quantum eſt ex vi ordinis poſſunt omnes alia Sacramenta conficere, miniſtrare; Perpendamus etiam, ex nullo capite oriri poſſe, characterem eſſe intenſiorem in uno, quam in alio; non ex parte ſubjecti; ſicut enim hujus indiſpoſitio non eſt characteri contraria, ita diſpoſitio characteris intenſioni non prodeſt; non ex parte gradus, & poteſtatis ex dictis; non ex parte auxiliorum actualium; quia ſicut character ſervat indifferentiam ad majorem, vel minorem gratiam habitualem, ita habet indifferentiam ad majora, vel minora auxilia actualia.

29. Neque officit, baptiſmi characterem ſignificare majorem capacitatem ad ſuſcipiendum alia Sacramenta in maribus, quam in fœminis; cum iſtæ nequeant recipere Sacramentum ordinis, quod poſſunt mares; ſicut & per characterem ordinis majorem, & extenſiorem poteſtatem in Sacerdote, quam in Diacono, & in iſto, quam in Subdiacono; in Epiſcopo, quam in Sacerdote. Non officit inquam, quia primum non eſt ex defectu characteris, ſed tantum per accidens, & ex conditione ſubjecti; quod apparet ex eo, quod ſi Deus ſtatueret, poſſe ordinem etiam à fœminis ſuſcipi, idem character ſufficeret; Quod vero character ordinis conferat majorem, extenſioremque poteſtatem in Sacerdote, quam in Diacono, nou facit ad rem; quia hic loquimur de charactere ejuſdem rationis, & nobis ſufficit, ſi omnes characteres Sacerdotales ſint ejuſdem perfectionis; quidquid deinde ſit de illa quæſtione, utrum character ſuperioris ordinis intenſiorem reddat characterem inferioris, vel extenſiorem; quod pendet ex eo, quod characteres ſingulorum ordinum ſint qualitates diverſæ, vel una, quæ ex characteribus ſuperioribus paulatim augentur vel per intenſionem, vel per extenſionem.

30. Dico tertio. Characterem Sacramentalem non ſignificare ex natura rei, ſed tantum ad placitum; & ex Chriſti inſtitutione, ut docet Scotus in 4. diſ. 6. qu. 10.

qu. 10. §. *Iſtud probatur*. Et ſequuntur Suarez, Cacheran. Madern. contra Aureolum, Salas, Lugum, & paucos alios. Omittendo momenta alia, unum ſufficere poteſt, quod ſicuti Sacramenta ſunt tantum ſigna ad placitum, ita characteres impreſſi, & relicti per ipſa.

DISPUTATIO UNICA

De Cœremoniis Sacramentorum in genere, ſeu de Sacramentalibus.

§. I.

Nonnulla præmittuntur.

1. CUM Concilium Tridentinum poſtquam de Sacramentis egerit, etiam de cœremoniis, quæ in Sacramentis vel peragendis vel miniſtrandis ſermonem inſtituat; nos ejuſdem morem agentes, hic de jiſdem nonnulla perferemus, generatim quidem, quia de ſingulis agemus, cum de ſingulis Sacramentis diſputationes reſolvemus. Nomen hoc *Cæremonia* juxta Doctores deſumptum eſt vel à Cœre Italiæ oppido, vel melius à *carendo*. Unde ait Iſidorus lib.6. Etymolog. cap.19., *Apud latinos dicuntur Sacra ea omnia, quæ apud Græcos Orgia vocantur. Proprie autem viſum eſt doctoribus à carendo appellari cæremonias, quaſi carimonias.* Exiſtimo autem id actum eſſe, quia initium duxerint ex abſtinendo; ſicut Nazaræi vini, aliarumque rerum, & Judæi uſu carnis ſuillæ abſtinebant.

2. Cœremonias iſtas S. Thom. 1. 2. quæſt. 101. art. 4. ad quatuor capita revocat, nempè ad Sacramenta, Sacrificia, Sacra, & obſervantias; & ſic loquitur generatim tam de veteri, quàm de nova lege. De Sacramentis jam à nobis dictum eſt; De Sacrificio in tractatu de Euchariſtia Deo annuente peragemus; Sacra autem ea appellantur, quæ ſunt veluti inſtrumenta ad Sacrificia peragenda, aut res ſacras miniſtrandas, ut ſunt veſtes, calices, altaria, templa; Obſervantiæ vero ſunt actiones illæ, quibus Dei cultores utuntur, ut ſe ad Deo honorem præſtandum diſponant.

3. Porro hujuſmodi cœremoniæ ex diverſis capitibus partitiones ſuas ſortiuntur. Primo dividi poſſunt ex parte cauſæ efficientis, ſeu inſtituentis. Aliæ enim quodammodo inſtitutæ à natura, ut in Cœlum oculos attollere, pectus percutere, genua flectere, cum Deo fundimus preces, noſtraſque miſerias exponimus, ut ſubſidium & veniam obtineamus; atque iſtas noviſſimas omnibus eſſe communes, ſicut eſt communis natura. Aliæ ſunt à Deo inſtitutæ, quales fuerunt in veteri teſtamento, & ſunt Sacramenta in novo; & iſtæ dicuntur divinæ, illæ peculiares apud hebræos, iſtæ apud nos; finem illæ acceperunt, ſicut accepit lex, iſtæ uſque ad conſummationem Sæculi permanebunt, ſicut Chriſtiana permanebit Religio. Aliæ ſunt ab Apoſtolis, vel eorumdem Succeſſoribus datæ, atque iſtæ dicuntur Eccleſiaſticæ.

4. Secundo dividuntur ex parte cauſæ formalis. Quædam enim immediate feruntur ad colendum Deum, ut Sacrificium, adoratio, oratio; Quædam mediate, & diſpoſitive, ut jejunia, cœlibatus, ſolitudo &c. Quædam ſunt inſtrumenta, ut ſupra dictum eſt.

5. Tertio ex parte cauſæ materialis; ete-

etenim interdum verſantur circa perſonas, ut exorciſmi, inſufflatio, cineris aſperſio, ſignum crucis; interdum circa tempus, ut celebratio Paſchatis, dierumque Feſtorum, Vigiliæ, Quadrageſima, Adventus; Interdum circa modum, ut quod apud Eccleſiam latinam latinè celebrentur; interdum circa res ipſas, ut benedictio aquæ, Candelarum, Palmarum, Cinerum, Veſtium, olei, &c.

6. Sexto ex parte cauſæ finalis; Siquidem aliquæ inſtitutæ ſunt ad juſtificandum, ut Sacramenta, aliquæ ad aliquos ſpirituales effectus præſtandos, ut exorciſmi, & aqua benedicta ſe habent ad dæmones abigendos; aliquæ vero ad ſolum ornatum, ſolamque ſignificationem, ut lumina cæreorum &c.

7. Tandem aliquæ cœremoniæ ſunt univerſales, quibus omnes utuntur, aliæ particulares, quas adhibet una Eccleſia, nequaquam alia; aliquæ temporales, aliquæ perpetuæ, aliquæ ſub præcepto, aliquæ liberæ; atque de hiſce omnibus agit S. Auguſtin. epiſ. 118.

8. Hæretici noſtrorum temporum, contra quos noſtra erit colluctatio, plura dicunt, in quibus à nobis non diſſentiunt. Fatentur in primis aliquas cœremonias in Sacramentorum adminiſtratione adhibendas eſſe præter eas, quæ ad ipſorum eſſentiam pertinent; Secundo; illas prætermittendas non eſſe, quæ in Scripturis Sacris præcipiuntur, vel quarum in ipſis habentur exempla; Tertio; Eccleſiam poſſe certum modum, & ordinem ſtatuere in uſu dictarum cœremoniarum, ne oriatur confuſio. Negant tamen, Eccleſiam poſſe aliquam cœremoniam inſtituere, ac præcipere; iſtas nullum habere ſpiritualem effectum afferunt, nulloque pacto eſſe bonas, meritorias, & ad divinum cultum ordinatas; aliaque ſimilia, de quibus in ſequentibus diſſeremus.

9. Ne tamen novatores immerito calumnientur; & ideo plura fingant, & exponant contra nos mendacia; Obſerva nunquam à Catholicis dictum eſſe, cœremonias Eccleſiaſticas eſſe præcipuum cultum, qui Deo debeat exhiberi; nunquam, ipſas ad Sacramentorum eſſentiam & efficaciam pertinere; nunquam approbandas, ſi Verbo Dei opponerentur. Hiſce expoſitis.

§. II.

An Eccleſia habeat poteſtatem inſtituendi cæremonias, atque iſtæ debeant obſervari.

10. Plures Doctores ſunt, qui de cœremoniis hiſce quæſtiones inſtituunt, & deficiunt in quæſtionum ſuppoſito; ſtatuere enim cœremonias Eccleſiaſticas, de quo puncto, & non de alio, contra hæreticos agitur, & nihil de poteſtate illas condendi inquirere, eſt ædem aliquam ſine fundamento conſtruere. Ita ſe geſſerunt aliqui, quos memorare, citra injuriam, non licet; non tamen alii, quos authores, Doctoreſque Theologos jure merito memoramus, ac ſæpe proponimus, ac proponemus.

11. Primum igitur, quod inquirimus, eſt; Utrum Eccleſia poteſtatem habeat cœremonias inſtituendi, & quidem præſcindo ab alia difficultate, in qua agitur, utrum Eccleſia poſſit leges condere; quamvis illa affirmative, ut fieri debet, reſoluta, vi paritatis ſequatur, quod dicimus.

Dicimus enim Eccleſiam cœremonias ſtatuere poſſe.

Tantæ veſaniæ eſt id negare, quantæ foret Eccleſiæ Chriſti veterem ſynagogam præferre. Novum non eſt, quod egit Jacob Patriarcha, privatus certe homo, dum in memoriam viſionis erexit lapidem in titulum fundens oleum deſuper; Gen. 28. Non latet, Mardochæum novum diem feſtum, in lege procul dubio non præſcriptum, inſtituiſſe, Eſter 9. Omnibus notum eſt pro Judith victoria alteram ſolemnitatis diem ab hebræis celebratam eſſe, ac ſemper fore

fore celebrandam, Judith cap. ultimo. Quod ſi libros iſtos tanquam non Canonicos reſpuunt hæretici, à nobis in noſtro primo tomo oppoſitum probatum eſt; ſaltem tamen accipiant tamquam hiſtoricos, ſicut reciperent Livium, & Florum.

12. Quamquam non eſt, cur iſta producamus, hanc facultatem, tanquam ſibi à Chriſto traditam ipſo ſub initio, & veluti in cunabulis ſibi vindicavit Eccleſia; Apoſtoli ejuſdem propagatores hujuſce rei dederunt exemplum; Nonne Act. 15. Concilio coacto novam ſtatuerunt diſciplinam, ut Gentiles ad fidem converſi abſtinerent à ſanguine & ſuffocato, quod certe niſi Judæis à Deo fuerat præceptum; quorum lex jam per Chriſti mortem avacuata erat? Quid eſt, Deus bone, quod tantum ea admittenda ſint, quæ in verbo Dei ſcripto reperiuntur præcepta? Huc ea facerent omnia, quibus traditiones noſtræ fidei morumque regulam eſſe, pariter in primo Tomo probavi. Innumera eſſent, quæ proferre poſſem ab Eccleſia condita, ac ſtatuta, quæ à ſola traditione manarunt. Ubinam in ſcriptura habetur Euchariſtiam à jejunis ſumendam eſſe? Vino eſſe in calicis conſecratione aquam miſcendam? *Cætera*, inquit Paulus 1. ad Corinth. 11. *cum venero diſponam*. Quid autem diſpoſuerit, Scriptura non dicit. Diſpoſuit autem procul dubio, & quidem in iis, quæ circa Euchariſtiæ ſumptionem ſervanda eſſent; atque pro hac re eſt illud Auguſtini; *Salvator ideo non præcepit, quo deinceps ordine ſervaretur, ut Apoſtolis, per quos Eccleſias diſpoſiturus erat ſervaret hunc locum*. Quemadmodum vero exigente temporis circumſtantia, ita cœpit Eccleſia; ſic ſeſe pro aliis temporum opportunitatibus, occaſione ſe exhibente, ſemper proſecuta eſt; Tot ſunt Concilia celebrata, in quibus tot canones editi ſunt; Quare vel negent omnia Concilia, quod maximæ dementiæ, & temeritatis eſſet, vel affirment, Eccleſiam poſſe cœremonias ſtatuere. Si majora cupis, abunde dabunt Juſtinus, Tertullianus, Cyrillus, Auguſtinus, omnes. Unum ſufficeret Tertulliani teſtimonium lib. de corona Militis cap. 3. ubi poſt plures cœremonias recenſitas concludit; *Horum, & aliarum hujuſmodi diſciplinarum, ſi legem expoſtules ſcripturarum, nullam invenies, traditio tibi prætendetur auctrix, conſuetudo confirmatrix, & fides obſervatrix*.

13. Merito propterea Concilium Tridentinum ſeſs. 21. cap. 2. *Declarat, hanc poteſtatem perpetuo in Eccleſia fuiſſe, ut in Sacramentorum diſpenſatione, ſalva illorum ſubſtantia, & ſtatueret, & mutaret, quæ ſuſcipientium utilitati, ſeu ipſorum Sacramentorum venerationi pro rerum, temporum, & locorum varietate, magis expedire judicaret*.

14. Atque ea eſt poteſtas, quam Eccleſia, à Spiritu Sancto edocta, habet cœremonias ſtatuendi; ut aliquæ omitti ſine peccato non poſſint, & ſic reſolvo, quod in ſecunda tituli parte inquirebatur? etiam hic præſcindo ab illa quæſtione, utrum leges eccleſiaſticæ obligent in conſcientia, quod plura Pauli teſtimonia ſuadent, & ſolum in cœremoniarum materia me cohibeo. Ratio prima deſumi poteſt ex eo, quia cum ordo & uniformitas in eccleſiaſtico miniſterio ſit maximum bonum; ita confuſio ac deformitas eſſet maximum malum, & fieret contra illud Apoſtoli 1. ad Corinth. 14. *Omnia honeſte, & ſecundum ordinem fiant*. Et certe quanta foret confuſio, ſi cuipiam privato Paſtori liceret vel antiquatos ritus innovare, vel novos invehere. Novit hoc Calvinus ipſe, qui lib. 4. inſtitut. cap. 10. §. 27. inquit, diſſolvi ſuis nervis, & diſſipari Eccleſiam, ſi unicuique liceat mutare cœremonias. Secunda ratio ex eo repeti poteſt; quod cum de aliquibus cœremoniis agitur, de re parvi momenti non agitur, de tanta imo, ut in plures inde diſſenſiones protracta fuerit

rit Eccleſia; Talis fuit illa de diei paſchatis celebratione, propter quam, ut narrat Euſebius lib. 5. hiſt. cap. 25. Victor I. totam Aſiam ab unitate fidelium ſeparare decreverat; quia hanc cœremoniam ſervare reſpuebat; Propter hanc præcipuè convocatum fuit Concilium Nicænum, quod diſertis verbis, ut omnes obedirent, mandavit; ut refert Athanaſ. in epiſ. de ſynodis Ariminenſi, & Seleucienſi; Concilium vero Antiochenum eos, qui legem Concilii Nicæni de paſchate non ſervant, can. 1. anathemate damnat.

15. Æquiſſime igitur Concilium Tridentinum ſeſſ. 7. can. 13. decrevit; *Si quis dixerit, receptos & approbatos Eccleſiæ Catholicæ Ritus in ſolemni Sacramentorum adminiſtratione adhiberi conſuetos, aut contemni, aut ſine peccato à miniſtris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Eccleſiarum Paſtorem mutari poſſe; anathema ſit*; Et ſeſſ. 22. can. 7. *Si quis dixerit, cœremonias, veſtes, & externa ſigna, quibus in Miſſarum celebratione Eccleſia Catholica utitur, irritabula impietatis eſſe magis, quam officia pietatis; anathema ſit*. Hac de re.

§. III.

An uſus Cœremoniarum, ſeu Sacramentalium ſanctus ſit, & Eccleſiæ conveniens.

16. NUNC agendum eſt de alio puncto; in quo dicunt hæretici, uſum plurium cœremoniarum, quæ in Eccleſia Romana fiunt, non eſſe ad divinum cultum ordinatum; ſed ſuperſtitioſum humanum inventum nullam fidelibus utilitatem afferens, nullum meritum.

Hoc quam perperam dictum ſit, pluribus momentis oſtendam. Si de templorum ornatu, in quibus imagines ſacræ, aræ inſtructæ, cruces depictæ, lampades accenſæ, ſermo fiat; quis neget, nos facilius ad devotionem, pietatemque excitari? Hæc ſunt domus Dei; damnetur Salomon, qui pro ædificando, exornandoque templo tot theſauros expendit, dicantque ſuperſtitioſe egiſſe? Si de veſtium apparatu, de feſtorum ſolemnitatibus, de externis geſtibus, de corporis compoſitione loquamur; quis non videt conciliari venerationem, myſteriorum memoriam recoli; animum ad ſpiritualia erigi? Ita homo conditus eſt, ut nonniſi per externa, & ſenſibilia ſigna ad interna, & cœleſtia elevetur; niſi variis cœremoniis nativitas, paſſio, reſurrectio Chriſti Domini nobis proponeretur, facile tam eximii nobis beneficii recordatio periret, nec grata animi noſtri argumenta præberemus. Tolle cœremoniarum uſum, vileſcet Religio; Sacramenta ipſa æſtimatione ac reverentia decident; Auguſt. lib. 9. contra Fauſtum cap. 11. affirmat; nullam Religionem neque veram, neque falſam ſine cœremoniis poſſe conſiſtere; Ea vero, quæ Sacramenta conſtituunt, vilia in ſemetipſis, & pauca ſunt; Materia eſt vel aqua, vel panis, vel vinum, vel oleum, verba jam nota ſunt; Si igitur actiones externæ deficerent, nec cœremoniarum apparatus magnum quid prætenderet, vix ipſorum dignitatem agnoſceremus; aut eorum effectus prorſus lateret; Baptiſmo præmittuntur exorciſmi, & inſufflationes, docemur diabolum ejici, & originale peccatum per Sacramentum illud eſſe delendum; atque, & hoc argumento utitur Auguſtinus lib. 6. contra Julian. cap. 2. & lib. 1. de peccatorum merit. & remiſ. cap. 34., eſſe in infantibus peccatum originale. Quo pacto etiam diſtingui melius poſſunt fideles ab infidelibus, quam per cœremoniarum, & Sacramentalium exercitium? Signas te cruce? abſtines à carnibus feria ſexta? jam diſcerneris ab hæreticis, nec cum illis te communicare demonſtras; ſicut initio Eccleſiæ Apoſtoli Sabbathum in dominicam commutarunt, ut Chriſtiani à Judæis diſtinguerentur; Diſtinxit ita ſe Eleazarus à gentilibus, eligens po-

potius occidi, quam vetitas carnes manducare; atque ille miles, cujus meminit Tertullian. lib. de corona, qui maluit mori, quam à cœteris militibus laurea coronari. Hiſce omnibus adde, actiones iſtas exteriores ad divinum cultum de ſecundario pertinere; Ut enim homo conſtat anima & corpore, ita Deus anima & corpore colendus eſt; & ſicuti Deus non ſolum actu interno, ſed etiam externo offenditur; ita non ſolum actu interno, ſed etiam externo placatur.

17. Non me latent tria, quæ reponunt hæretici. Primum eſt, admittendas quidem eſſe cœremonias propter ea omnia, quæ ſuperius diximus; ſed illas quas vel Chriſtus inſtituit, vel verbi ſui teſtimonio confirmavit. Secundum eſt, Eccleſiam primis ſæculis non tanto cœremoniarum apparatu divina celebraſſe miſteria; Tertium eſt, omnes fere noſtros ritus à Judæis acceptos eſſe, ac derivaſſe.

18. Ut primo reſpondeam; Satis eſſet, ſi dicerem, quod ſub num. 12. legendum expoſui; neque enim omnia ſcripta ſunt, quæ admittenda ſunt; nihilominus advertendum eſt, alia eſſe à Chriſto inſtituta, verbique ſui teſtimonio confirmata in particulari, & expreſſe, alia vero in genere, & implicite; Plures cœremonias in priori ſenſu non fuiſſe à Chriſto inſtitutas, ſicut nec in verbo ſcripto contineri, negari non poteſt; negatur tamen in poſteriori; cum enim præceperit religionem, pietatem, Sanctamque Sacramentorum adminiſtrationem ac cultum; plane etiam cœremonias præcepit, quæ ad illa reducuntur, ut dictum eſt; Non fuit autem neceſſe omnia expreſſe, quæ ſancta ſunt atque convenientia, præcipere; Placuit Deo cultus Jacob, qui erexit lapidem in titulum nec tamen id præceperat; placuit cultus Beatiſſimæ Virginis, quæ perpetuam vovit virginitatem; nec tamen hanc impoſuerat; Quot alia recenſere poſſem ſancta, honeſta Deoque grata; nec tamen in ſcripturis ſacris expreſſa?

19. Secundum cur promovent Novatores? Si quod primis ſæculis ab Eccleſia actum eſt, peragendum ſemper foret, in cryptis, & ſubterraneis locis ſacra eſſent conficienda, & adminiſtranda myſteria; in ligneis calicibus conſecrandum; Non attendamus, quod Eccleſia perſecutionum tempore, ut faceret, coacta eſt; ſed quod habita pace, & in dignitate ſua collocata præſtitit, ac præſtandum decrevit; Videas quid poſt Conſtantinum egerit; & tunc ſcire incipies, quam, quid agendi poteſtatem habeat; Numquid tunc in templis tantum ſedes ad concionandum, & menſa lignea ad cœnam faciendam, ſicut in templis hęreticorum? Hęc diceres ebriorum tabernas, nequaquam Dei domus.

20. Quantum ad tertium; Sicut lex Evangelica hebræorum legem non ſolvit; ſed implevit, atque perfecit; *non veni enim legem ſolvere, ſed adimplere*, inquit Chriſtus, ita cœremoniæ ejuſdem legis, hebræorum cœremonias non ſolvunt, ſed perficiunt; Ab ipſis ritus accepimus, ſed ſicut à figura accipitur figuratum.

21. Hæc omnia ſtricte dicta concludat Concil. Tridentinum, cujus ſeſſ. 22. de Sacrificio Miſſæ cap. 5. verba ſunt iſta. *Cumque natura hominum ea ſit, ut non facile queat ſine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem ſuſtolli, propterea ea mater Eccleſia ritus quoſdam ut ſcilicet quædam ſubmiſſa voce, alia vero clariore in Miſſa pronuntiarentur, inſtituit; Cœremonias item adhibuit, ut myſticas benedictiones, lumina, thymiamata, veſtes, aliaque id genus multa, ex Apoſtolica diſciplina, & traditione; quo & Majeſtas tanti Sacrificii commendaretur, & mentes fidelium per hæc viſibilia religionis, & pietatis ſigna ad rerum altiſſimarum, quę in hoc Sacrificio latent, contemplationem excitarentur.*

Hiſce additur Catechiſmus Romanus ejuſdem Concilii juſſu editus, qui ea omnia pro tuendis cœremoniis adducit, quæ à nobis prolata ſunt; Sed ut amplius videamus, quam ſanctus ſit, & conveniens cœremoniarum uſus.

§. IV.

Utrum cæremoniæ, ſeù Sacramentalia vim aliquam habeant ſpiritualem, ſeù aliquem effectum ſpiritualem producant.

22. NON inquiro de iis cœremoniis, quas in Sacramentorum adminiſtratione adhibemus; etenim, cum iſtæ ad ornatum & dignitatem eorumdem Sacramentorum referantur, ad eorumdem gratiam, quam Sacramenta conferunt, etiam referuntur; nec quidpiam diſtinctum producunt, niſi fortaſſe excitando reverentiam, ac devotionem. De aliis igitur, quæ extra Sacramentum fiunt, ſermo noſter; Eſt autem adnotandum cum doctiſſimo Patre Suarez, plures eſſe effectus, de quibus fieri poteſt difficultas. Primus eſt gratia gratum faciens, & habitualis; Secundus eſt aliquod auxilium actuale ſive pertinens ad intellectum, ſive ad voluntatem; Tertius eſt remiſſio culpæ venialis; Quartus remiſſio alicujus pœnæ temporalis, cujus reatus poſt remiſſam culpam remanere ſolet; Quintus Dæmonis expulſio, ſeù prohibitio, ne damnum aliquod inferat; Poſtremus aliquod temporale bonum, ut ſanitas, agrorum fertilitas, procellarum ejectio; Porro iſti omnes effectus non omnibus & ſingulis Sacramentalibus convenire poſſunt; cum non ad omnes omnia & ſingula ſint inſtituta; ſenſus igitur eſt, an aliquis ex iſtis effectibus alicui Sacramentali correſpondeat, & omnes ſeorſim omnibus pariter ſeorſim.

23. Si loquamur de effectu obtinendo ex opere operantis id procul dubio concedendam exiſtimo; ſi autém ex opere operato.

Propoſitio prima; Sacramentalia non poſſunt producere gratiam gratum facientem, & habitualem. Hoc clariſſimum eſt; aliter tantam vim haberent, quanta Sacramentis ipſis conceditur; & ſicuti Eccleſiæ non convenit poteſtas inſtituendi Sacramenta; ita neque convenit facultas dandi Sacramentalibus, quæ ab ipſa inſtituta ſunt, hujuſmodi efficaciam.

24. Propoſitio ſecunda; neque poſſunt habere vim ad obtinendum aliquod auxilium actuale, ſive bonum animi motum; atque hoc, ſive ſint Sacramentalia, quæ abſque aliqua benedictione ad Divinum cultum deputantur, ut ſunt imagines, aliaque ornamenta; ſive etiam fiant per conſecrationem, & benedictionem, ut ſunt veſtes Sacerdotales, candelæ, palmæ &c. ratio hujus eſt illa, quæ ſuperius allata eſt; etenim ſicut Eccleſia non habet poteſtatem inſtituendi aliquod ſignum, per quod ex opere operato conferatur gratia habitualis; ita neque inſtituendi aliquod ſignum, per quod obtineatur aliquod auxilium actuale; Ratio autem tam prioris, quam poſterioris eſt; quia nihil hoc pacto confertur, niſi præceſſerit Divina promiſſio; at cui Sacramentali hujuſmodi promiſſio facta eſt? Sunt quidem idonea ſigna ad excitandam in nobis pietatem ac devotionem; at hæc ipſa excitatio fit una ſimul cum auxilio actuali, quod præſupponitur, non quod ex eorum vi detur; quod etiam valet de quacumque exhortatione, & recto conſilio: Quando igitur hujuſmodi Sacramentalia diriguntur ab Eccleſia per ſtatutas preces & benedictiones ad auxilia Divina obtinenda; tunc hæc obtinentur ſolum ad inſtar impetrationis, neque infallibiliter, cum non ſit facta promiſſio; ſed ex communi lege orationis, quæ ab Eccleſia Chriſti ſponſa facta maximam vim habet apud Deum; atque hoc pacto intelligendi ſunt aliqui Sancti Patres, & ipſe S. Thomas, dum dicit quæſt. 83. art. 3. templa, & res alias ab Eccleſia conſecratas habere quamdam ſpecialem virtutem.

25. Idem etiam dicendum eſt per ordinem ad remittenda peccata venialia; atque hic præcipuus ſermo eſt de aqua luſtrali, pro cujus benedictione ad hunc

hunc finem aſſequendum orationes ſuas adjungit Eccleſia. Contrarium tamen evinci videtur ex cap. *Aquam* de conſecrat. diſ. 3. ubi ex Alexandro Papa I. citantur hæc verba: *Aquam ſale conſperſam in populis benedicimus, ut ea cuncti aſperſi ſanctificentur, & purificentur; ſi enim cinis vitulæ aſperſus populum ſanctificabat, atque mundabat; multo magis aqua ſale conſperſa populum ſanctificat, & mundat*: Unde etiam Eccleſia in ejus benedictione deprecatur, ut mentis & corporis ſit ſumentibus ſalus.

26. Si autem reſpondeas hoc verum eſſe de ſanctificatione, non immediata, ſed mediata, quatenus excitantur fideles ad actus pœnitentiæ ac retractationis. Contra eſt primo, quia in textu fit comparatio aquæ cum cinere vitulæ aſperſo, & rurſus cum ſale per Eliſeum Prophetam in aquam immiſſo; ſed cinis ille immediatè purgabat, & ſal Eliſei immediatè ſuſtulit aquarum ſterilitatem; ergo & aqua ſale conſperſa, & benedicta immediatè ſanctificat; Neque etiam huic aquæ virtutem immediatè ſanctificandi a peccatis venialibus adimit; quod peccatum etiam veniale non remittitur, niſi prius retractetur; etenim etiam ſanctificatio per Sacramenta ſine retractatione in adultis haberi non poteſt, & tamen Sacramenta immediatè ſanctificant.

27. Reſp. acceptando reſponſionem; ad inſtantiam; comparatio valet quoad ſubſtantiam, non quantum ad modum; ita ut ſicut cinis vitulæ aſperſus populum mundabat, & ſal Eliſei ſterilitatem aquarum abſtulit; ita etiam aqua benedicta populum mundet, & bonorum motuum ſterilitatem adimat; non enim neceſſe eſt comparationes in omnibus eſſe veras; Præterea; aliud eſt mundare ab immunditiis legalibus, & aliud ab immunditiis moralibus. Primum conferebant legalia; ſecundum non conferunt niſi proprii actus, & Sacramenta: Rurſus; illis promiſſa erat purgatio; Sacramentalibus vero, & aquæ benedictæ nequaquam eſt promiſſa; proinde &c.

Ad aliam inſtantiam; diſpar eſt ratio in retractatione & actibus, qui concurrunt ad habendam ſanctificationem per Sacramenta, & in illis, qui concurrunt ad obtinendam remiſſionem venialium per aquam benedictam: etenim in primo caſu actus illi ſunt tantum diſpoſitiones ad delendum peccatum lethale; in ſecundo vero ſunt veræ cauſæ remiſſionis.

Si autem textum allatum ſtrictè reciperemus, procul dubio inferri poſſet, aquam ſale conſperſam non ſolum valere ad remiſſionem venialium; ſed etiam lethalium: indefinitè enim loquitur de ſanctificatione & mundatione, non diſtinguendo inter lethalia & venialia: Atque hic mecum obſerva; eam comparationem fieri inter aquam ſale conſperſam, & benedictam, necnon cinerem vitulæ aſperſum, quam facit Apoſtolus Paulus in epiſ. ad Hebr. c. 9. inter ſanguinem Jeſu Chriſti, & ſanguinem hircorum, & taurorum, & cinerem vitulæ, legitur enim; *Si ſanguis hircorum & taurorum, & cinis vitulæ aſperſus inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis, quanto magis ſanguis Chriſti emundabit conſcientiam noſtram &c.* Quapropter inhærendo comparationi, ea virtus concedenda foret aquæ, quam ſibi vindidat ſanguis Chriſti; quod quam diſſonum ſit, nemo non intelligit.

28. Dices: Si dicamus, Sacramentalia tantum mediate ſe habere ad remiſſionem peccatorum venialium; dicimus ita ſe habere, ſicut ſe habent ad remiſſionem lethalium; quia excitare etiam poſſunt ad actum contritionis, per quem deleantur lethalia: ſed major virtus concedenda eſt Sacramentalibus per reſpectum ad venialia, quam ad lethalia: ergo per ipſa immediatè venialia remittentur. Præterea; hoc admiſſo nihil amplius tribuimus Sacramentalibus; quam innumeris aliis actionibus, per

per quas mediatè venialium poſſumus conſequi remiſſionem.

Contra. Non inficior, tam ad venialia, quam ad lethalia remittenda virtutem tantum mediatam habere, faciliorem tamen eſſe viam ad illorum remiſſionem, quam ad iſtorum, cum pro illa ſufficiat quædam diſplicentia; pro iſta vero perfecta contritio, vel Sacramentalis confeſſio una ſimul cum attritione, ſit neceſſaria.

Ad 2. fatemur; aliis etiam actionibus convenire vim mediatam conſequendi peccatorum remiſſionem; ſed diverſo modo Sacramentalibus convenit, pro iſtis enim eſt inſtitutio Eccleſiæ, ſunt ejuſdem preces: Eccleſia autem licet non habeat facultatem inſtituendi aliquod, per quod remittatur peccatum; habet tamen inſtituendi aliquod, cui peculiares ſuas preces adnectat ad finem aliquem impetrationis merito conſequendum.

29. Quod verò ſpectat ad remittendam pœnam temporalem, quæ etiam remiſſa culpa remanere ſolet; dico, Eccleſiam virtutem illam remittendi Sacramentalibus potuiſſe conferre; quamvis non conſtet eam contuliſſe; Manifeſtum eſt hoc, quia licet Chriſtus non dederit Eccleſiæ poteſtatem remittendi peccata venialia, vel lethalia; quam per Sacramenta; contulit tamen illam diſponendi de theſauro ſuo per indulgentias; Unde poteſt Pontifex tribuere alicui Sacramentali hujuſmodi virtutem, ſeu talem virtutem affigere, ut conſtat, quando indulgentiam plenariam elargitur viſitantibus tale templum; Hanc vero indefinitè alicui affixam eſſe, nullum poteſt afferri fundamentum.

30. Quintum effectum diximus eſſe dæmonis expulſionem; Hanc auctoritatem eſſe in Eccleſia nemo poteſt ambigere; unde dictum fuit Marci 16. *In nomine meo dæmonia ejicient*. Hoc ſemper tenuit, & docuit antiquitas. Tertullian. in Apologet. cap. 32. & lib. ad Scapul. cap. 2. inquit: *Dæmones non tantum reſpuimus, verum etiam revincimus, & quotidie traducimus, & de corporibus expellimus*. Juſtin. in dial. contra Triph. aſſerit, conſueviſſe Chriſtianos dæmones adjurare, eoſque per invocationem Domini noſtri Jeſu Chriſti coercere; Lactantius vero lib. 2 c. 16. ait: *Juſtos cultores Dei metuunt, cujus nomine adjurati de corporibus abſcedunt... Itaque maximis ſæpe ululatibus editis verberari ſe, & ardere, jam jamque exire proclamant*. Idem ſcribit Auguſtin. lib. 10. de Civit. cap. 22. Propterea Exorciſtis datur poteſtas imponendi manus ſuper energumenos; & hoc traditur in Concil. Carthagin. 4. cap. 7. in Aquiſgranen. ſub Ludovico I. cap. 4. pluribuſque aliis in locis; Idcirco miror, aliquos hiſce noſtris temporibus, non librorum lectione edoctos, ſed ſæcularium converſationum amicos, in quibus noſtræ Religionis myſteria irridentur, non æſtimantur, ad tantum audaciæ deveniſſe, ut diabolos corporum obſeſſores eſſe, inficientur, & mordicus inficientur; nimiæque credulitatis, ac ſimplicitatis arguant, qui oppoſitum affirmant.

31. Effectus autem iſte potiſſimum ſigno crucis tribuitur, & de hoc à nobis actum eſt in noſtro tertio Tomo in q. 12. §. 4. ſed difficultas eſſe poteſt de modo, quo ipſi conveniat. Ego quidem arbitror; priùs ipſi convenire propter invocationem Sanctiſſimæ Trinitatis, & propter ſignum illud, in quo Dæmon ſe devictum eſſe cognoſcit, & etiam invitus fatetur; Secundo etiam propter fidem, ac devotionem illius, qui eodem utitur ſaluberrimo ſigno; ſicut enim oratio optima eſt, nec tamen exauditur propter ſonum vocis, ſed propter cordis affectum; ita etiam crucis ſignum in ſe laudabile, ac adoratione dignum eſt, attamen vim ſuam ab alterius utentis fiducia ſortitur. Tertio inficiari non poſſum, etiam ex Dei inſtitutione, & ex opere operato multùm valere; Hoc ta-

tamen interdum, nequaquam ſemper; ſed cum Deus juſtum, ac utile judicaverit; quo dicendi modo ſatis Sacramentale hoc à Sacramentis diſtinguo. Rem autem ita eſſe, non ex alio momento poſſum oſtendere, quam ex hiſtoriis, ex quibus conſtat, etiam infideles, Chriſti nomini infenſiſſimos, ex ſigno crucis multum emolumenti percepiſſe; Narrat hoc Nazianz. de Juliano Apoſtata, Epiphan. hær.30. de Joſepho Hebræo, & de alio Gregor. lib. 3. Unde inquit Auguſt. lib. 83. qq. qu. 79. *Nec mirum, quod hæc ſigna valent, cum à bonis Chriſtianis adhibentur; quando etiam cum uſurpantur ab extraneis, propter tamen honorem excellentiſſimi Imperatoris valent &c.*

32. De poſtremo effectu, qui ad bona temporalia refertur; non eſt, cur aliquid dicam, etenim clarum eſt, quod ſicut per alia opera illa conſequi poſſumus; ita etiam per Sacramentalia, in quibus non tantum agere poteſt impetratio Miniſtri, qui probus ſit; verum etiam oratio Eccleſiæ, quæ illis annexa eſt, & ad illa directe obtinenda, & etiam indirectè, nempe ad ea repellenda, quæ poſſent ea impedire, ut ſunt grandines, animalia noxia, & alia hujuſmodi, præſertim vero perſecutiones invidorum hominum, & perverſorum, à quibus, & ab omni malo, liberet nos Deus, cujus tantùm gloriam in hiſce ſtudiis noſtris inſpicimus & exoptamus; atque dummodo gratiam illam, quam divina benignitas, & Chriſti merita nobis per Sacramenta exhibent, ut demiſſiſsimis precibus poſcimus, aſſequi nobis detur, cœtera quæcumque vel ſimulamus, vel contemnimus. Beatiſſima Virgo, quæ eſt Chriſti Mater, nos protegat; Eccleſia Romana, quæ eſt Chriſti ſponſa, nos teneat; & adverſus nos portæ inferi non prævalebunt.

PARS

PARS SECUNDA

DE SACRAMENTO BAPTISMI QUÆSTIONES.

PRimum inter Sacramenta, quod reliquorum janua nuncupatur, declarandum ſuſcipimus. Generati in corpore, regeneramur in anima; Hæc prius mortua, quam corpus naſcatur; abluatur corpus & anima vivet. Olim per aquam univerſa gens periit; nunc per aquam ſalvam fieri univerſam gentem oportet; quæ fuit Divinæ vindictæ miniſtra, nunc effecta eſt Divinæ clementiæ inſtrumentum; In Mundi creatione Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas. In Mundi renovatione Spiritus Domini fertur per aquas. Illud opus fuit Dei, qui omnipotens hominem condidit; Hoc fuit opus Dei, qui miſericos hominem redemit. Hujus igitur aquæ vivificæ, ac ſalutaris myſteria perſcrutemur, ejuſdem fructus exponamus; ejuſdem virtutem ab Eccleſiæ hoſtibus vindicemus, nihilque à nobis omittatur, quod fides exigit, & vera Theologica expoſcit doctrina.

QUÆ-

QUÆSTIO I.

De Baptiſmi nomine, eſſentia, exiſtentia, & neceſſitate.

ARTICULUS I.

De pluribus Baptiſmi nominibus, definitionibus, ac diviſionibus.

1. Nomen hoc baptiſmi deſumptum eſt ab immerſione ſeù tinctione, atque multifariam ſumi poſſe ex Scriptoribus ſacris deprehendimus. Interdum uſurpatur juxta ſenſum litteralem, & communem latini ſermonis ſignificationem; & ſic ſignificat abluere, ſeù lavare; unde Judith cap.12. legitur: *Exibat noctibus in vallem Bethuliæ, & baptizabat ſe in fonte aquæ.* Interdum ſumitur pro lotionibus illis, quibus ſecundum legem ſuam Judæi utebantur; unde Marci 7. habetur: *Phariſæi, & omnes Judæi... niſi baptizentur, non comedunt, & alia multa ſunt, quæ tradita ſunt illis ſervare, baptiſmata calicum, & urceorum &c.* & Paulus ad Hebr.9. *Munera, & hoſtiæ offeruntur in cibis, & in potibus, & variis baptiſmatibus.* Interdum conſideratur in ſenſu metaphorico, & translatitio. Hoc pacto ſignificatur afflictio, & mortificatio, & dicit Apoſt.1. ad Corint.15. *Quid facient, qui baptizantur pro mortuis?* ideſt maccerantur, & affliguntur; ſignificatur paſſio, & martyrium, & inquiit Chriſtus Luc. 12. *Baptiſmo autem habeo baptizari*; ideſt pati, & mori; & Marci 10. *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibo, aut baptiſmo, quo ego baptizor, baptizari?* ſignificatur etiam uberior gratiæ diffuſio, & donorum Spiritus Sancti copioſa largitio; & de Apoſtolis Act.1. dictum fuit; *Vos autem baptizabimini Spiritu Sancto non poſt multos hos dies.* Denique accipitur juxta uſum Eccleſiaſticum, & Sacramentalem; quo indicatur lotio illa ſacra, qua corpus tangitur, & cor abluitur, de qua Chriſtus Joan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto non poteſt introire in regnum Dei*; & Mat.28. *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Atque ſub hac conſideratione omnia, quæ dicturi ſumus, habenda ſunt.

2. Plura de hoc baptiſmate tam in Sacris Scripturis, quam in Sanctis Patribus habentur; Pro illis ſufficiat id quod in epiſtolis S. Pauli legendum exhibetur; Dicitur *vitæ novitas, & ſepultura hominis cum Chriſto in mortem*, Ad Rom. 6. *Circumciſio non manufacta*, ad Coloſ. 2. *Lavacrum regenerationis, & renovationis*, ad Tit.3. Pro iſtis verò ſufficiat Gregor.Nazianz. in oratione in ſancta lumina, ubi inquit: *Baptiſmus eſt ſplendor animarum, vitæ in melius commutatio, conſcientiæ ad Deum interrogatio, infirmitatis noſtræ adjumentum, carnis abjectio, ſpiritus aſſectatio, Verbi participatio, peccati diluvium, lucis communicatio, tenebrarum oppreſſio &c.*

3. Utcumque autem dictum fuerit de baptiſmo, totum collegit Cathechiſmus Roman. par.2.num.5.ubi ait: *Baptiſmum eſſe Sacramentum regenerationis per aquam in Verbo vitæ.* In qua definitione dum dicitur *Sacramentum* explicatur ratio generica, ſic enim convenit cum Sacramentis veteris, ac novæ legis; dum dicitur *regenerationis* explicatur differentia; nulli enim ex Sacramen-

mentis convenit proprie regenerare; dum dicitur *per aquam* explicatur materia qua conficitur; dum tandem in *Verbo vitæ* exprimitur forma, quæ cum habeatur per invocationem expreſſam Sanctiſſimæ Trinitatis, in vitæ verbo procul dubio habetur, quamvis etiam per alia Sacramenta haberetur regeneratio, adhuc *per aquam in Verbo vitæ* diſtingueretur baptiſmus ab omni alio Sacramento, cum in nullo alio aqua adhibeatur.

4. Etiam hæretici baptiſmum definire ſtuduerunt. Studuit Calvinus, & dixit lib. 4. Inſtit. cap. 15. §. 1. *Baptiſmus eſt ſignum initiationis, quo in Eccleſiæ cooptamur ſocietatem, ut Chriſto inſiti inter filios Dei cenſeamur*. Studuit Melancton in locis de ſacrificio, & dixit; *Baptiſmus ſignum eſt, quo Deus nobiſcum agit, & recipit nos in gratiam*. Studuit Socinus in diſput. de Baptiſmo cap. 5. & dixit: *Aqua baptizari in nomine Chriſti, nihil aliud eſt, quam publicè Chriſto nomen dare, ejuſque fidem, quæ in corde lateat, palam teſtari, ac profiteri; ita ut non Chriſtianum ulla ex parte baptiſmus efficiat, ſed indicet, atque declaret*. Cujus doctrinam Sociniani aliis æquivalentibus verbis explicarunt.

5. Poſtrema hæc deſcriptio, ſeu propoſitio, quam falſa ſit in decurſu tractatus oſtendetur. Illa vero Calvini deficit primo, quia explicat baptiſmum per ſolum ſignum, non quo filii Dei baptizati evadant; ſed ſolum appareant, & exiſtimentur; Secundo quia idem etiam dici poterat de circumciſione hebræorum. Tertio quia juxta Calvinianorum principia filii fidelium etiam non baptizati, ſunt in Eccleſiæ cooptati ſocietatem, Chriſtoque inſiti. Altera Melanctonis, præter quam quod tribuit baptiſmati eſſe purum ſignum nequaquam productivum gratiæ, de quocumque Sacramento poteſt affirmari; verè enim in omni Sacramento agit nobiſcum Deus, & recipit nos in gratiam, vel per augmentum, vel per abſolutam collationem, ut in Sacramento pœnitentiæ.

6. Quantum ad tertium, quod in titulo quærebatur, dividitur baptiſmus in baptiſmum fluminis, flaminis, & ſanguinis. De his nihil dicendum hic exiſtimo, cum in primis doctrinæ Chriſtianæ rudimentis tradatur, & de iis, quæ ad Theologum pertinent, in propriis locis dicetur.

ARTICULUS II.

De Baptiſmi exiſtentia.

7. Titulus, ut exponitur, nulli difficultati locum facit; adeo enim expreſſa ſunt Scripturarum teſtimonia, quibus baptiſmatis exiſtentia propoſita eſt, ut oporteat vel illa negare, vel iſtam concedere. *Per ſuam miſericordiam ſalvos nos fecit per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus Sancti*, ait Paulus ad Tit. 3. *Mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ*, ſcribit ad Ephеſ. 5. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt &c.* Joan. 3. *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes &c.* Mat. 28. Inſtituit igitur Chriſtus Baptiſma; ergo exiſtit, & quidem tanquam verum Sacramentum, cum illi ſit annexa gratiæ promiſſio: *Qui enim crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit*. Marci ultimo; Ideo Concilium Tridentinum ſeſſ. 7. can. 1. illis dicit anathema, qui omnia ſeptem Sacramenta novæ legis negaverint a Chriſto fuiſſe inſtituta, atque inter iſta primo loco recenſet baptiſmum. Hoc & ipſi Novatores fatentur.

8. Quæſtio tantummodo etiam inter Doctores Catholicos eſt, quo tempore habita ſit hujus inſtitutio, in qua re non una eſt ſententia; Communis eſt, quam tradunt S. Th. 3. p. qu. 66. art. 1. Scot. in 4. diſ. 3. qu. 4. cum Magiſtro ibidem; Chriſtum inſtituiſſe baptiſmum ante ſuam mortem. Hanc nonnulli arbitrantur ad fidem ſpectare, ſed immerito,

to, ut oſtendetur ex fundamentis oppoſitæ opinionis.

9. Argumentum præcipuum expoſitæ ſententiæ eſt; quia nondum Joannes erat in carcere; atque ideo longo tempore, antequam Chriſtus pateretur, Chriſti diſcipuli baptizabant: *Poſt hæc venit Jeſus, & diſcipuli ejus in Judæam terram, & ibi demorabatur cum eis, & baptizabat*; Joan.3. & cap.4. *Audierunt Phariſæi, quod Jeſus plures diſcipulos facit, & baptizat quam Joannes, quanquam Jeſus non baptizaret, ſed diſcipuli ejus*; baptizabant autem diſcipuli non baptiſmo Joannis, ut adverſantes Doctores contendunt, ſed baptiſmo inſtituto à Chriſto; inſtituit ergo Chriſtus baptiſmum, antequam moreretur. Ut minor propoſitio clarè appareat, plura poſſunt afferri; Orta certè fuit æmulatio, contentio, & invidia in Joannis diſcipulis; quia videbant, plures recipere baptiſma à Chriſti diſcipulis, quam à Joanne; unde & apud eum conqueſti ſunt, ut ibidem dicitur; At quæ æmulatio, quæ contentio, quæ invidia, ſi Chriſti diſcipuli, vel ipſe Chriſtus baptiſmo Joannis baptizaſſet? imo gaudere debuiſſent, quod Magiſtri ſui baptiſma tot ad ſe traheret; Quid verò Joannes reſpondit? *Non ſum ego Chriſtus, ſed quia miſſus ſum ante illum... Illum oportet creſcere, me autem minui; Qui deſurſum venit, ſuper omnes eſt*. Et Mat.3. *Ego beptizo vos in aqua, qui poſt me venturus eſt, fortior me eſt, ipſe vos baptizabit in Spiritu Sancto*. Teſtatus igitur eſt Joannes ipſe, baptiſmum Chriſti ſuum non eſſe, ſed ſuo excellentiorem.

10. His accedit Patrum doctrina; Auguſtinus tract. 15. in Joan. inter alia plura ſic ait: *Diſcipulis Chriſti baptizantibus, Chriſtus dicitur baptizaſſe, quia illi, ut Miniſtri, hic, ut author Sacramenti, illi tingebant, hic mundabat*; & poſtea concludit; Baptiſmum illum fuiſſe lavacrum in verbo vitæ; proinde eumdem, quo nos utimur ex Chriſti inſtitutione. Idem Sanctus Doctor proſequitur dicens: quod ſi baptiſmus ille collatus fuiſſet à Juda, ut probabile eſt, non fuiſſet iterandus; Cyrillus vero lib.2. in Joan. cap.57. fatetur, fuiſſe baptiſmum ſpiritualem, perfectumque, atque ad hunc Joannis baptiſma homines præparaſſe; Unde & Nazian.orat.20. ait: *Baptizavit Joannes, nondum tamen prorſus ſpiritualiter; baptizat quoque Jeſus, ſed in ſpiritu*. Ex quibus omnibus manifeſtum ſit, Chriſtum ante mortem ſuam baptiſmum inſtituiſſe; & quidem cum characteribus illis, qui non niſi vero perfecto, & gratiam conferenti convenire poſſunt.

11. Neque deſunt alia, quæ congruentia ſuppeditat; Dedit Jeſus Apoſtolis Euchariſtiam, fecitque Sacerdotes, ipſis ſui corporis conficiendi poteſtatem tradendo; Quis autem ſibi perſuadeat, fuiſſe poſterius baptizatos? In lege ſcripta fuit circumciſio figura baptiſmi, fuit & agnus Paſchalis ſymbolum Euchariſtiæ, at nonniſi circumciſis dabatur agnum comedere, itaque & ratio poſtulabat, nonniſi baptizatis Euchariſtiam manducare eſſe conceſſum; Porro ex circumciſione aliud argumentum occurrit; Ante omnia, quæ in lege veteri præſcripta fuerunt, cæteraſque cœremonias, tradita fuit circumciſio, & merito, nec enim fas eſt, legem aliquam condere, nec aliquam cœremoniam ſtabilire, niſi prius tradatur legis fundamentum, & cœremoniarum initium, ſeù janua; At nonne Chriſtus ante mortem ſuam legem gratiæ inchoavit, & aliqua Sacramenta inſtituit; imo & novum teſtamentum condidit? æquum igitur fuit, ut prius baptiſmum, qui fundamentum eſt legis, & aliorum Sacramentorum janua, inſtitueret.

12. Quod vero ſuperius dictum eſt, Chriſtum per ſe ipſum non baptizaſſe, ſed diſcipulos; & ex alia parte affirmetur, Chriſtum etiam baptizaſſe, magis probat, diſcipulos Chriſti, nequaquam Joannis Baptiſtæ, ſed Chriſti contuliſſe ba-

baptiſma; aliter nulla foret ratio, cur hujuſmodi baptiſma Chriſto tribueretur. Refert tamen Niceph. lib. 2. hiſt. cap. 3. Chriſtum prius baptizaſſe Petrum, iſtum vero filios Zebedæi, & iſtos cum Petro alios Apoſtolos, alioſque Diſcipulos; & valde pium, & credibile eſt ex Euthymio in 3. Joan. ante Petrum fuiſſe à Chriſto baptizatam Virginem Matrem; non quia hæc ſanctiſſima, ac ſemper immaculata dulciſſima Mater ac Regina mea baptiſmo indigeret; ſed ut Filii ſui ſervare inciperet legem, quæ ſine indigentia legem ſervaverat Moyſis.

13. Aliorum opiniones nunc afferamus oportet; Alexander Alenſis par. 4. quæſt. 12. mem. 3. art. 1. plura diſtinguit in baptiſmo; primo materiam, & hanc dixit à Chriſto deſignatam, ac ferme conſecratam; dum in Jordane baptizatus fuit; quo ſenſu plura Patrum, quæ inferius afferemus, explicat teſtimonia; ſecundo formam, & hanc ait traditam non fuiſſe, niſi cum Apoſtolis dictum fuit: *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Tertio finem, & iſtum, inquit, fuiſſe determinatum cum Jo. 3. Nicodemus audivit: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, &c.* Quintum effectum, & iſtum aſſeruit expoſitum, cum Marci ultimo ſtatutum fuit: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit ſalvus erit*. Tandem efficaciam, ſeu virtutem, & hanc agnovit, quando de Chriſti latere exivit ſanguis, & aqua. Idem videtur tradidiſſe Rupertus lib. 3. in Joan. circa finem; ubi negat, baptiſmum, quo baptizabant Apoſtoli ante Chriſti paſſionem, fuiſſe novæ legis, & habuiſſe efficaciam gratiæ: *Nondum enim erat Spiritus datus, quia nondum Chriſtus glorificatus*, ut legitur Joan. 7. & quamvis non eſſet baptiſmus Joannis; attamen erat quidam medius ſe habens tanquam diſpoſitio & præparatio ad baptiſmum ſpiritualem & perfectum; ſicut unctio illa, qua Marci 6. ungebant infirmos, non erat Sacramentum extremæ unctionis, ſed quædam illius umbra. In hujuſmodi opiniones inclinat etiam Melchior Canus lib. 8. de locis cap. 5. improbabile exiſtimans, quod ſub expreſſa Trinitatis invocatione Apoſtoli prius baptizaverint.

14. Ejuſdem fundamenta exponamus, quamvis aliqua expoſita jam ſint, poſt relatam Ruperti opinionem; afferuntur autem quidam Sancti Patres; Theophilactus in cap. Joan. 3. & Chryſoſt. hom. in Joan. 28. diſerte negant, illud baptiſma, quo baptizabant Apoſtoli juxta textum à nobis prolatum, fuiſſe in peccatorum remiſſionem, gratiæque operativum; Hieronymus in dial. contra Luciferian. duplex baptiſma diſtinguit, perfectum unum, aliud imperfectum; & ideo non niſi in Cruce, & Reſurrectione fuiſſe perfectum; Quid plura? Leo Papa in epiſt. ad Epiſcopos Siciliæ, quæ eſt quarta 1. 3. dicit, Chriſtum non dediſſe Apoſtolis baptizandi ritum, niſi poſt Reſurrectionem; & merito quidem, cum doceat Apoſtolus ad Rom. 6. baptiſmum eſſe ſignum paſſionis, & reſurrectionis repræſentativum: *Conſepulti ſumus cum illo per baptiſmum in mortem, ut quomodo Chriſtus ſurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus*.

15. Prior tamen ſententia præferenda eſt; & ſi oſtendero, fuiſſe ante Chriſti mortem non ſolum deſignatam materiam, ſed etiam formam baptiſmi; jam opinio Alenſis, & fundamentum Melchioris Cani prorſus corruit; Rem autem ita ſe habere nemo improbabile poteſt aſſerere, niſi dicat, Chriſtum inſtruxiſſe Apoſtolos ſuos de Trinitatis myſterio ſolummodo poſt ſuam reſurrectionem; quod ego improbabilius dicam. Quoties enim de ſuo Patre non diſſeruit? Quoties etiam Spiritus Sancti non meminit? In ipſo baptiſmate, quod accepit à Joanne; in columbæ ſpecie Spiritus Sanctus viſus eſt, paterna vox audita

dita eſt, & ipſe Joannes dixit: *Hic eſt, qui baptizat in Spiritu Sancto*. Non me tamen latet, plures dixiſſe, tunc baptiſma collatum eſſe tantum ſub nomine Chriſti, & tamen in ſubſtantia fuiſſe verum, ſicut eſt noſtrum; ſed de hac re alio in loco pertractandum. Neque aliquod probat, quod dictum eſt Mat. 28. *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Etenim tunc non eſt tradita doctrina formæ, in qua deberent baptizare; ſed ſolummodo promulgatum fuit ſolemniter baptiſmi præceptum, & miſſi Apoſtoli ad illud publicè proponendum, & executioni mandandum: Quod de fine dictum eſt, potius juxta textum illum: *Niſi quis renatus fuerit, &c.* probaretur, ſtatutum fuiſſe ante Chriſti mortem, & antequam Apoſtoli baptizarent; conſtat enim id prius Nicodemo dictum fuiſſe; revera tamen aliud tunc ſignificatum non eſt, niſi neceſſitas baptiſmi, quæ ſuo tempore futura erat; Habuit etiam ille baptiſmi effectum, cum iterandus non eſſet; præter alia à nobis dicta, & quamvis pro eo tunc non aperuerit januam regni Cœlorum; attamen hoc non erat ex defectu baptiſmi, ſed alio capite extrinſeco; Hinc etiam de ejus efficacia & virtute cauſandi gratiam, non eſt ambigendum; cum hanc habuerit ex ſui inſtitutione: & cum dicitur hanc habuiſſe, cum de Chriſti latere exivit ſanguis, & aqua; hoc verum eſt quantum ad majorem expreſſionem, non quantum ad ſubſtantiam & valorem intrinſecum, imo ut docui in tertio Tomo per lateris vulnus, ut inflictum nihil Chriſtus promeruit, proinde ex hoc vulnere nihil efficaciæ fuit collatum baptiſmo; & ſi dicas, totam efficaciam baptiſmi habitam eſſe ex Chriſti paſſione; reſpondeo, ex Chriſti paſſione, vel peracta, vel prævisa, non autem ſolum peracta; vel ex Chriſti paſſione, vel inchoata, vel completa. Chriſti autem vita fuit nunquam interrupta paſſio, & ante mortem habuit meritum ſuperabundans ad tribuendam hanc virtutem baptiſmo.

16. Uſque modo ut Alenſis doctrinam everteremus, illam Ruperti conſideremus; Quam falſum ſit, baptiſmum illum non fuiſſe novæ legis, neque gratiam produxiſſe, jam ſatis diximus; & dum legitur: *Nondum erat Spiritus datus, quia nondum erat Chriſtus glorificatus*, ſermo eſt de viſibili Spiritus Sancti miſſione, non de inviſibili, & interna. Ut argumentum noſtrum primo loco effugeret, ſatis ingenioſum fuit ad invenire tertiam illam ſpeciem baptiſmi; aſt quo fundamento adinventa fuit? Si non fuit baptiſmus Joannis, fuit baptiſmus Chriſti; ſi baptiſmus Chriſti, non igitur in aqua ſolum, ſed in aqua & ſpiritu, ut verum ſit quod de Chriſto dixit ipſe Joannes; ſi in aqua & ſpiritu; igitur verum Sacramentum, & non ſolum diſpoſitio, ſeu præparatio ad verum Sacramentum: Quod vero dicitur de illa unctione, vel eſt falſum non fuiſſe verum Sacramentum apud plures Doctores; vel diſpar ratio petitur, ut de illa nec ſcripturas, nec Patres habeamus; habemus vero de baptiſmo: ſed de hac re dicendum, ubi de extrema unctione peragemus.

17. Quantum ad Sanctos Patres, fatemur Theophylactum, & Chryſoſtomum commode pro ſententia noſtra explicari non poſſe; aſt hoc commovere non debet; ſiquidem idem Chryſoſtomus hom. 24. in Acta inquiit, Apoſtolos ante diem Pentecoſtes baptizatos non fuiſſe, quod concedi non poteſt: Hieronymi dictum vel nihil ad rem probat, vel exponi poteſt; primum quidem, quia certum eſt, Chriſtum nec in Cruce, nec in Reſurrectione baptiſmum inſtituiſſe; ſecundum vero, ſi dicamus vel comparationem fieri inter baptiſmum Joannis & Chriſti, vel de baptiſmo valido & licito; baptiſmus enim tantum validus dici poteſt imperfectus, cum effectum ſuum non obtineat; vel ſermonem eſſe de perfectione

tam

tam extrinſeca, quam intrinſeca; tam magis expreſſiva, quam ſolum ſubſtantiali; Auctoritas Leonis intelligenda eſt de ritu baptizandi, ideſt de generali poteſtate, imo præcepto baptizandi; De textu Apoſtoli idem dicendum, quod ſupra de Chriſti paſſione; ideſt nunc eſſe ſignum repræſentativum paſſionis & reſurrectionis jam peractæ; tunc vero fuiſſe ſignum paſſionis & reſurrectionis peragendæ, quod ſubſtantiam non variat; ſicut eadem eſt fides, quæ ante Chriſti adventum credebat Chriſtum venturum; & quæ modo credit, Chriſtum veniſſe.

18. Sed nunc reſolvendum ſupereſt, quo tempore ante paſſionem ſuam baptiſmum Chriſtus inſtituerit. Multa certa ſunt, punctum autem, de quo quærimus, incertum eſt. Non fuiſſe baptiſmum inſtitutum, antequam Chriſtus à Joanne baptizatus fuerit, in dubium revocari non poteſt; nam ſicuti tantummodo poſt baptiſma prædicationis ſuæ fecit exordia; ita prius neque legem novam ſtatuere, neque Sacramenta cœpit inſtituere; Pro certo pariter habendum eſt, baptiſmi inſtitutionem factam eſſe, antequam Apoſtoli cœperint baptizare, cum non baptiſmi fuerint authores, ſed miniſtri; At miniſtri nihil tradere poſſunt, niſi prius tradendi ritum acceperint, & poteſtatem. In certa autem ſunt ſequentia. Primo; utrum, quemadmodum Euchariſtiam inſtituit, dum obtulit & confecit; ita baptiſmum inſtituerit, cum primum aliquem ſuis manibus baptizavit. Secundo; utrum inſtituerit, cum Nicodemo dixit: *Niſi quis renatus fuerit, &c.* nam ſi hoc affirmetur, ſervantur omnia, quæ ſuperius dicta ſunt, nempe fuiſſe inſtitutum ante Chriſti mortem; Apoſtolos prius recepiſſe baptiſmum, quam alia Sacramenta, & convenientius ſervatur Evangelicus textus; nam ſtatim poſt illa verba additur: *Poſt hæc venit Jeſus, &c. & baptizabat*. Tertio; utrum inſtituerit, cum Mat. 28. dictum fuit: *Euntes docete omnes gentes, &c.* hic enim aptius deſignatur non ſolum materia remota, nempe aqua, cujus prævium eſt abluere; ſed etiam proxima, nimirum ipſa ablutio, & expreſſa habetur forma, ſub qua ablutio fieri debet, videlicet invocatio Trinitatis. Quarto denique; utrum inſtituerit, quando à Joanne baptizatus fuit.

19. Hæc poſtrema eſt communior Theologorum ſententia, quam probabiliorem exiſtimo; quæ tamen non eſt ita ſtricte accipienda, ut eodem omnino tempore, quo baptizatus fuit, inſtituerit, ſed modico interjecto, ſicut inferius declarabo.

Ratio prioris partis eſt; quia tunc à Chriſto Domino fuit deſignata hujuſce Sacramenti materia; deſignata fuit & forma: illa quidem in aqua, quam ſanctificatam, & conſecratam fuiſſe Sancti Patres teſtantur, ut inde ad homines ſanctificandos virtutem acceperit: *Baptizatus eſt Dominus, non mundari volens, ſed mundare aquas; ut abluant per carnem Chriſti, quæ peccatum non cognovit, baptiſmatis jus haberent*; ait Ambroſ. lib. 2. in Luc. cap. ultimo. Auguſt. ſerm. 36. de tempore comparationem proponit inter Mariam, quæ genuit Chriſtum, & caſta eſt; necnon aquam, quæ lavit Chriſtum, & ſancta eſt; & concludit: *Pene majori munere, quam Maria, unda ditata eſt; Illa enim ſibi tantum meruit caſtitatem; iſta nobis contulit ſanctificationem: illa meruit, ne peccaret; iſta, ut peccata purgaret: illi eſt collata virginitas, iſti donata fœcunditas*. Similia habent alii Sancti Patres.

20. Fuit etiam deſignata forma; Aderat enim Filius, aderat Pater, cujus vox audita eſt, aderat Spiritus Sanctus, qui apparuit in ſpecie columbæ; unde Auguſtinus tract. 6. in Joan. inquit: *Apparuiſſe Patrem in voce, Filium in homine, Spiritum Sanctum in columba*. Et Damaſc. lib. 4. de fide c. 10. ait: Chriſtum fuiſſe baptizatum, *ut Trinitatis myſterium aperiret, & nobis ſuſci-*

ſcipiendi baptiſmi formam, atque exemplum ſeſe præberet; & paulo poſt: *Quod Spiritus Sanctus corporea ſpecie inſtar columbæ ad Dominum deſcendit, ea re baptiſmi noſtri primitias ſubindicavit*.

21. Neque defuit illius, quem baptiſmus producit, effectus ſignificatio; Quid enim Spiritus Sancti deſcenſus ſignificavit, quam gratiam? Quid Cœlos apertos eſſe, quam Cœli januam per baptiſmum aperiendam eſſe? *Chriſtus in baptiſmo Spiritum Sanctum accepit; non quod ſine eo aliquando fuerit; ſed ut monſtraretur, verum eſſe baptiſma, quo Spiritus Sanctus adveniat*; ſunt verba Hieronymi in dial. contra Luciferian. *Apparuit columba, & Cœlum apertum eſt; ut baptiſmi Sacramentum quid valeat oſtenderetur*, ſcribit Auguſt. lib. 3. de mirab. ſac ſcript. cap. 5. Nihil igitur deeſt ex iis, quæ ad baptiſmi inſtitutionem pertineant, & in Chriſti baptiſmo inventa non fuerint.

22. Totum tamen hoc, quod præcipue in baptiſmo conſiderandum eſt, non ſufficit, ut dicamus, eodem omnino tempore illum fuiſſe inſtitutum, etenim ad Sacramenti inſtitutionem requiritur præterea impoſitio talis cœremoniæ exterioris ad ſignificandum, & conferendum ſacramentalem effectum; proinde præſupponi debet abſoluta, & efficax inſtituentis voluntas, qua decernat, illum ſignificandum ac conferendum eſſe. Rurſus neceſſarium videtur, hujuſmodi abſolutam, & efficacem voluntatem exterius manifeſtari; quia, cum inſtitutio eſſe debeat reſpectu Eccleſiæ viſibilis, debet eſſe ſenſibilis & externa: hanc autem à Chriſto fuiſſe, dum in Jordane baptizatus eſt, nequaquam conſtat; neque veriſimile fuiſſe videtur; quia nondum prædicationem inchoaverat; nondum aliquos diſcipulos habebat. Quare optime ſentit Scotus, quo Chriſtus baptiſma inſtituerit, diem decerni non poſſe; & ideo libenter adhæreo, tunc inſtituiſſe, cum primum ſuis manibus baptizavit.

23. Quantum ad aliorum ſententias nihil dicendum ſupereſt, cum textus illos jam ſuperius expenderimus; & iterum expendendo illum: *Niſi quis renatus fuerit, &c.* pari ratione dicendum foret, tunc etiam inſtitutam fuiſſe Euchariſtiam, quando dictum fuit: *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, non habebitis vitam in nobis*; quod aſſerit nemo.

24. Præter vero recenſita Doctorum placita, eſt opinio Juenin aſſerentis, Chriſtum baptiſmum neque inſtituiſſe cum in Jordane baptizatus fuit, neque cum illa verba dixit Nicodemo, neque alio tempore, niſi illo, quo Mat. 10. Marci 3. Lucæ 9. Judæos docendi, & baptizandi provinciam demandavit Apoſtolis. Probaturus autem priorem partem, inquit, Doctores illam defendentes alio non niti principio, niſi quo dicant, aquam per ſanctiſſimæ carnis Chriſti contactum vim producendi gratiam recepiſſe; at hoc principium incertum eſt, nam licet nonnulli Patres per eum ſacrum contactum ſanctificatam fuiſſe ſcripſerint, non inde ſequitur, eam intrinſeca operandi virtute tunc fuiſſe donatam; quippe quæ eam ex invocatione Trinitatis habeat; Ea igitur, pergit Juenin, ſanctitas, de qua Patres, externa eſt tantum, eique ſimilis, quæ inerat veſtibus, quibus Chriſtus utebatur. Probat deinde aſſertionem ſuam argumento negativo, ideſt, non inſtituit Chriſtus baptiſmum, cum à Joanne baptizatus eſt; non cum dixit Nicodemo: *Niſi quis renatus fuerit, &c.* ergo cum ex alia parte illum inſtituerit ante mortem, ſupereſt dicendum, tunc inſtituiſſe, quando ante mortem Apoſtolis Judæos baptizandi curam commiſit.

25. Hæc bona venia ratiocinatio in omnibus deficit; Primo falſum eſt, ſententiam docentem, Chriſtum inſtituiſſe baptiſma paulo poſtquam in Jordane baptizatus fuit eo tantum niti fundamento; plura enim alia addit, ſicut à nobis

nobis dictum fuit num. 20. 21. & 22. Deficit ſecundo in ſuo principio; legantur enim laudata capita, Mat. 10. Marci 3. Lucæ. 9. nulla unquam fit baptiſmatis mentio, nulla SS. Trinitatis doctrina. Mat. ſic habet: *Hos duodecim miſit Jeſus præcipiens eis, dicens: In viam gentium ne abieritis, & in civitates Samaritanorum ne intraveritis; ſed potius ite ad oves, quæ perierunt domus Iſrael; Euntes autem prædicate dicentes, quia appropinquavit regnum Cælorum, infirmos curate, mortuos ſuſcitate, leproſos mundate, dæmones ejicite, gratis accepiſtis, gratis date*. Similia habet Marcus cap. 3. Ecce verba: *Fecit, ut eſſent duodecim cum illo, & ut mitteret eos prædicare, & dedit illis poteſtatem curandi infirmitates, & ejiciendi dæmonia*. Eadem ſcribit Lucas cap. 9. *Convocatis autem duodecim Apoſtolis, dedit illis poteſtatem ſuper omnia dæmonia, & languores curarent, & miſit illos prædicare regnum Dei, & ſanare infirmos*. Quis unquam ex iſtis textibus baptiſmi inſtitutionem tunc factam eſſe deduceret?

ARTICULUS III.

An Baptiſmus ſit neceſſarius ad ſalutem.

26. Alicujus rei neceſſitatem duplicem eſſe hìc non expono, ne illa repetam, quæ dixi in primo Tomo de Fide quæſt. 5. §. 2. quodve reperies apud alios hoc eodem loco, quamvis centies id dixerint. Huc autem revocanda eſt diviſio baptiſmatis in baptiſma fluminis, flaminis, & ſanguinis.

Ut Pelagiani peccatum originale negarunt; ita baptiſmum neceſſarium non eſſe dixerunt: quia tamen pluribus ſcripturæ textibus urgebantur, præſertim illo Joan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum Cælorum*, inter vitam æternam, & regnum Cœlorum aliquid invenere diſcriminis; & docuerunt ad hoc, non ad illam neceſſitatem baptiſmi eſſe admittendam: Primum falſum eſſe; ſecundum omnino fictitium, in noſtro ſecundo Tomo, ubi de peccato originali actum eſt, declaravimus.

27. Errorem alium excitavit Wiclef. ut refert Thomas Walden. tom. 2. cap. 96. aſſerens; ſaltem pro filiis qui à parentibus fidelibus & baptizatis progignuntur, baptiſmum neceſſarium non eſſe; vel quia ſine peccato originali naſcuntur; vel quia propter parentum fidem ipſis non imputatur. Docuerunt hoc cum Calvino poſtea alii Hæretici; atque hunc errorem pariter ibidem confutavimus. Alii vero negarunt baptiſmi neceſſitatem propter divinam prædeſtinationem; etenim pueri prædeſtinati etiam ſine baptiſmo ſalvantur; non prædeſtinati vero etiam cum baptiſmo damnantur: ſi hoc argumentum quidpiam probaret; nihil foret ad ſalutem neceſſarium; nam idem fieri poteſt de quocumque actu, etiam de fide promiſſionum, quam tamen adeo extollunt, dicuntque neceſſariam Hæretici; qui enim prædeſtinatus eſt, etiam ſine illa fide ſalvandus dicetur; & qui prædeſtinatus non eſt, etiam cum illa fide damnandus: Sicuti igitur ipſi docent, quamvis falſo, omnem prædeſtinatum habiturum eſſe fidem illam; ita nos veraciter dicimus, omni prædeſtinato conferendum eſſe baptiſma; decretum ſiquidem prædeſtinationis includit omnia media, quæ ad prædeſtinationis ducunt effectum: Quod vero plures etiam recepto baptiſmate peccent, hoc non probat, baptiſmum non eſſe neceſſarium ad ſalutem; ſed tantum non ſufficere.

28. Hæc quidem impiè à Calvino, Zuvinglio, Bucero, aliiſque dicta ſunt; ſed longe majori audacia, effrænique licentia progreſſi ſunt Sociniani, qui Calviniſtarum doctrinis enutriti & imbuti Magiſtros ſuos exceſſerunt. 1. Negare auſi ſunt, Chriſtum dediſſe Apoſtolis baptizandi præceptum; & illa verba Mat. 28. *Euntes docete omnes gentes*

tes baptizantes &c. non de aquæ baptiſmo, ſed de ſola doctrina, ſeu inſtructione eſſe intelligenda; & ſi Apoſtoli baptizarunt, hoc ab ipſis actum eſt juxta quaſdam convenientias, non ex Chriſti juſſione. 2. Dixerunt, quod etſi baptiſmi præceptum datum eſſet; hoc neque univerſale, neque perpetuum cenſendum foret; ſed tantum pro illis, qui Eccleſiæ exordio à Paganiſmo, vel Judaiſmo ad Chriſtum convertebantur; pro aliis vero, qui è Chriſtianis naſcuntur, eſſet res libera, atque indifferens. 3. Docuerunt, baptiſmum eſſe ritum purè externum, & tantum publicum quoddam Chriſtianæ profeſſionis ſymbolum. His ex parte videtur accedere Epiſcopius Remonſtrantium ſectæ defenſor accerrimus.

29. Non eſſet tamen cur à propinquioribus temporibus errores circa baptiſmi neceſſitatem repeteremus; cum omni ſæculo ſuos paſſus ſit hoſtes baptiſmus. Mirum fuiſſet, ſi dæmon, noſtræ ſalutis hoſtis infenſiſſimus, adverſus ſalutaris hujus lavacri neceſſitatem omni tempore hæreticos non excitaſſet. Sæculo ſecundo fuerunt Cajani, & Quintiliani à Quintilia fæmina ſic dicti, exiſtimantes ſufficere ſolam fidem; refert hoc Tertul. lib. de Baptiſ. cap. 1. Sæculo tertio fuerunt Manichæi, arbitrantes, aquam eſſe mali Dei creaturam, proinde nullam ipſi tribui poſſe virtutem; narrat hoc Auguſt. hær. 46. Sæculo quarto fuerunt Aſcodrutæ, Seleuciani, & Hermiani; Illi nafas eſſe dicebant, Divina myſteria, quæ res inviſibiles denotant, per res viſibiles perfici; teſtis eſt Theodoret. lib. 1. hæretic. fabul. cap. 10. De aliis vero loquitur S. Auguſtin. hær. 59. ſed de hiſce aliiſque dicendum dabitur, ubi de materia, & forma baptiſmi diſputationem inſtituemus. Interea

30. Dicendum; Baptiſmum vel in re, vel in voto eſſe medium neceſſarium ad juſtificationem adultorum; in parvulis vero eſſe neceſſarium in re. Priorem partem concluſionis in hoc articulo probabo; poſteriorem, quæ attinet ad baptiſmum in voto, in ſequenti.

Eam autem firmiori argumento probare non poſſum, quam ex toties laudatis Chriſti verbis Joan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto non poteſt introire in regnum Dei*. Hiſce addendus eſt totus contextus, ex quo baptiſmi neceſſitas magis apparet; ſequitur enim: *Quod natum eſt ex carne, caro eſt... non mireris, quia dixi tibi oportet vos naſci denuo*. Pergit; *Sicut Moyſes exaltavit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis*, ex qua comparatione indicat, quod ſicuti hæbreis, ut à ſerpentium morſibus liberarentur, neceſſarium fuit in ſerpentem æneum reſpicere, ita, ut homines à peccatis ſolvantur, ipſis neceſſe eſt, per fidem & per baptiſmum renaſcantur.

31. Reſpondent Calviniſtæ, & Lutherani, metaphoricè intelligendum eſſe laudatum textum; vel quia per aquam intelligatur mortificatio, & ſic inquit Calvinus in Antid. ad 6. ſeſſ. cap. 5., & poſt Calvinum Kemnit. in exam. ſeſſ. 7. can. 2. afferens etiam Baſilium lib. de Spir. Sanct. cap. 15., vel aquam addi quodammodo Spiritui Sancto, & ſignificari, hominem ex Spiritu Sancto, qui adinſtar aquæ mundat, naſci debere; vel illa verba *ex aqua, & Spiritu Sancto*, non eſſe ſumenda copulativè, cum ſufficiat, ſi homo ex Spiritu Sancto naſcatur; ſicut dum dicitur ad Roman. 10. *Corde creditur ad juſtitiam, ore autem fit confeſſio ad ſalutem*, non ejuſdem neceſſitatis eſt oris confeſſio, cujus eſt cordis fides; & ſic ait Petrus Martyr in 1. ad Corint. c. 7., Zuingl. in c. 1. Marci exponit illa verba de concione; Brent. in cap. 3. Mat. de pœnitentia, tanquam ſi diceret: *Niſi quis pœnitentiam egerit, non intrabit in regnum Cælorum*; Ante omnes verò Wiclef. per aquam intelligit illam, quæ fluxit de latere Chriſti, ita ut Chriſtus dicere voluerit: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, quæ in paſſione*

mea de latere meo fluet, non poteſt introire in regnum Dei.

Socinus, qui à Calviniſtis venenum hauſit, metaphoricum ſenſum approbavit; atque aquam pro inſtructione & doctrina dixit, accipiendam eſſe, & ſic explicat illa verba Mat. 28. *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*.

32. Ad hæc omnia refellenda ſatis nobis eſſet afferre can. 2. ſeſſ. 7. Concilii Trident. in quo hæc habentur: *Si quis dixerit, aquam veram, & naturalem non eſſe de neceſſitate Baptiſmi, atque ideo verba illa Domini Noſtri Jeſu Chriſti: Niſi quis renatus fuerit, &c. ad metaphoram aliquam detorſerit; anathema ſit*. Nihilo tamen minus, quàm ineptè ea dicta ſint, oſtendemus, cum de baptiſmi materia pertractabimus.

33. Interim aſſertionem noſtram aliis ſcripturis ampliùs ſuadeamus. Apoſtolus Paulus cum dixiſſet ad Rom. 5. omnes in uno homine mortuos eſſe, & omnes in alio vitam eſſe accepturos, c. 6. viam oſtendit, qua vitam accipimus. *An ignoratis*, inquit, *quia quicumque baptizati ſumus in Chriſto Jeſu, in morte ipſius baptizati ſumus?* Quod aliis in locis explicavit; ſed præſertim ad Tit. 3. ubi ait: *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus Sancti*. Ubi advertas primo, utrumque à Paulo exponi, nimirum, & renovationem per Spiritum Sanctum, & regenerationem per lavacrum; Secundo vero, ita loqui, quaſi diceret, quod ſicuti, modus contrahendi peccatum, eſt tantùm generatio per Adamum; ita modus habendi gratiam, eſt tantum regeneratio per Chriſtum. Ille unicus eſt; ergo & iſte.

34. Quod ex Pauli doctrina, idem etiam ex Petri; comparat enim Apoſtolorum Princeps baptiſmum cum arca Noe, quæ certe fuit baptiſmi figura; docetque, quod ſicuti tantum per arcam ſalvi facti ſunt, qui tunc in diluvio non perierunt, ita tantum per baptiſma ſalvantur, qui in peccato non pereunt; *In qua*, idest arca, ait epiſt. 1. cap. 3. *pauci, id eſt octo animæ ſalvæ factæ ſunt per aquam, quod & vos nunc ſimilis formæ ſalvos facit baptiſma*. Juxta hæc idem Petrus interrogatus à quibuſdam, quid ab ipſis agendum foret, ut ſalutem æternam aſſequerentur; reſpondit Act. 2. *Baptizetur unuſquiſque veſtrum in remiſſionem peccatorum*. Et Act. 22. Saulo jam converſo inquiit Ananias; *Qui moraris? exurge, & baptizare, & ablue peccata tua invocato nomine ipſius*. Dicis ne, peccatorum ablutionem connectendam eſſe invocationi, proinde ipſi tribuendam, non vero baptiſmati? Quod fundamentum adducis? Utrumque textus commemorat; utrique tribuas; Urgere vis, per baptiſmum tantum declarari peccata remiſſa, hominemque mundatum; ſicut, cum Levitici 13. & 14. dicitur Leproſo, *mundare* ſola mundationis innuitur declaratio? Scias; baptiſmum eſſe Sacramentum, ſignum practicum & efficax, non nudum, & re deſtitutum, ſicut erant legis ablutiones; ſed de hac re ſatis in quæſtionibus de Sacramentis.

35. Id ſanè nos dicimus, non ſequentes mentis noſtræ chimeras, inaneſque ſpeculationes, quæ in hiſce rebus non tenent, (plura enim & ego fingerem ac dicerem, & forte iis ſubtiliora, quæ Calviniſtæ, & Sociniani dixerunt) ſed Eccleſiæ auctoritati, Sanctorumque Patrum traditioni inhærentes. Et quidem, ſi Patrum teſtimonia afferre datum eſſet, argumentis noſtris finem non inveniremus; Dicant, quæſo mihi, quem ex Sanctis Patribus velint; dabo. Scio, Calviniſtas aſſerere, ante Ambroſium, & Auguſtinum de baptiſmi neceſſitate nullum fuiſſe apud Patres ſtudium, nullamque probandæ neceſſitatis curam, ac ſedulitatem; Etſi hoc admitterem, nihil evincerent; cum nullo opus ſit ſtudio, curaque nulla, ſi nulla controverſia; imo ex hoc inferri poſſet, neminem ante Ambroſii tempora, & Auguſtini, ba-

Baptiſmi neceſſitatem negaſſe. Attamen falluntur omnino, & quo plura dicunt, eo majora ignorantiæ ſuæ nobis exhibent ſigna.

36. Nunquid baptiſmatis neceſſitatem non expreſſit Juſtinus apol. 2. pro Chriſtianis, ubi poſt recenſitas diſpoſitiones, quibus inſtruuntur illi, qui baptizari petunt, ſic ait: *Adducuntur à nobis ubi aqua eſt, atque eo regenerationis modo, quo ipſi regenerati ſumus, regenerantur; nam in nomine rerum cunctarum parentis, & Domini mei, & Servatoris noſtri Jeſu Chriſti, & Spiritus Sancti tum lavantur; Chriſtus enim ipſe dixit: Niſi renati fueritis, non intrabitis, &c.* Vide, utrum ſermo ſit de aqua metaphorice dicta. Nunquid non agnovit Irenæus? Attende, quæ verba lib. 3. cap. 17. ipſe protulerit: *Sicut*, ait, *de arido tritico maſſa una fieri non poteſt ſine humore, neque unus panis; ita nec nos multi unum fieri non poteramus in Chriſto Jeſu ſine aqua, quæ de cœlo eſt; Corpora noſtra per lavacrum illam, quæ eſt ad incorruptionem, unitatem acceperunt; animæ autem per ſpiritum. Unde & utraque neceſſaria, cum utraque proficiant in vitam Dei, miſerante Domino noſtro.* Vide, utrum aqua ſit tantummodo ſignum, & dicas, etiam in pane aquam ut ſignum ſe habere. Nunquid non affirmavit Tertullianus lib. de baptiſ. cap. 13.? Ibi ſibi opponit quod Quintiliani, & Cajani dicebant, videlicet, baptiſmum non eſſe neceſſarium, ſed fidem ſufficere; ſicut Abraham nullius aquæ, ſed fidei Sacramento juſtitiam obtinuit; reſpondet autem: *Fuerit ſalus retro per fidem nudam; at ubi fides aucta eſt credendi &c. addita eſt ampliatio Sacramento, obſignatio baptiſmi, veſtimentum quodammodo fidei, quæ retro erat nuda; nec poteſt jam ſine ſua lege. Lex enim tingendi impoſita eſt, & forma præſcripta. Ite, inquit*, docete nationes, tingentes eas in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Huic legi collata definitio eſt; *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non intrabit in regnum Cœlorum; obſtrinxit fidem ad baptiſmi neceſſitatem &c.* Mitto Clementem Alexandrinum lib. 1. Pædagogi cap. 6. Origen. hom. 8. in Levitic., atque ut illius aquæ virtutem agnoſcant hæretici, audiant Cyril. Jeroſolymit. catech. 3. ſic dicentem: *Qui in aquam deſcenſurus es, non aquæ ſimplici mentem adhibe; ſed Spiritus Sancti virtute ſalutem ſuſcipe; nam ſine utriſque ad perfectionem reduci non poteris. Et ſi quis non baptizetur, ſalutem non habet.*

37. Quamvis vero Calviniſtæ nobis concedant Ambroſium & Auguſtinum, qui certè ſufficere poſſent; attamen eorum dicta præterire non placet. Primus lib. 2. de Abraham cap. 11. inquit: *Nemo aſcendit in regnum Cœlorum niſi per Sacramentum baptiſmatis.* Et lib. de myſteriis cap. 4. *Niſi baptizatus fuerit*, Catechumenus, *in nomine Patris &c. remiſſionem non poteſt accipere peccatorum, nec ſpiritualis gratiæ munus haurire.* Secundus verò lib. 3. de origine animæ cap. 9. ait: *Noli credere, nec dicere, nec docere, infantes antequam baptizentur morte præventos, pervenire poſſe ad originalium indulgentiam peccatorum, ſi vis eſſe Catholicus.* Et in epiſ. 28. ad Hieronym. *Quis quis dixerit, quod in Chriſto vivificabuntur etiam parvuli, qui ſine Sacramenti ejus participatione de vita exeunt; hic profectò & contra Apoſtolicam prædicationem venit, & totam condemnat Eccleſiam, ubi propterea cum baptizandis parvulis feſtinatur, & curritur; quia ſine dubio creditur, aliter eos in Chriſto omnino vivificari non poſſe.* Nihil expreſſius afferri poteſt adverſus hæreticorum, cujuſcumque ſint generis, pravitatem.

38. Jam ex Auguſtino ſatis haberetur, quinam de baptiſmatis neceſſitate ſenſus perpetuo fuerit in Eccleſia; ſed ut iſte clariùs innoteſcat, Summorum Pontificum mentem, necnon Conciliorum definitiones ac doctrinam proferamus. Syricius in epiſ. 1. cap. 2. docet,

docet, in neceſſitatis periculo nemini negandum eſſe, *ne, ſi abſque baptiſmo decedat, & regnum perdat, & vitam.* Innoc. I. in epiſ. ad Concil. Milevitan. ſcribit: *Parvulos abſque baptiſmo omnino perire.* Leo I. epiſ. 78. ad Epiſcopos Campaniæ inter alia ait: *Qui baptiſmo privatur, neceſſaria liberatione fraudari.* Et Clem. epiſ. 4. cum expoſuiſſet: *Per baptiſmi regenerationem exuere hominem maculam priori nativitate contractam,* ſubdit; *Alias impoſſibile eſt.*

39. Ex Conciliis nobis ſufficeret Tridentinum, quod ſeſſ. 7. can. 5. definit; *Si quis dixerit, baptiſmum liberum eſſe, hoc eſt non neceſſarium ad ſalutem; anathema ſit.* Et quia hoc ab aliquibus explicari poteſt de neceſſitate præcepti, non medii; attendendum eſt, neceſſitatem iſtam non ſolum eſſe reſpectu adultorum, ſed etiam parvulorum, conſtat autem parvulis nullum imponi poſſe præceptum. Attamen idem fuit ſtatutum in Concilio Lugdunenſi; Idem in Florentino, quod baptiſmum vocat *januam ſpiritualis vitæ,* & declarat, *illorum animas, qui cum ſolo originali decedunt, mox in infernum deſcendere;* & multo ante idem decretum eſt in Concilio Dioſpolitano à Græcis, ut refert S. Auguſtinus epiſ. 186. ad Paulinum, & in Concilio Carthaginenſi à Latinis, cui præfuit Cyprianus, ubi Nemeſianus, etſi falſam doctrinam traderet de rebaptizandis; attamen neceſſitatem adduxit, dicens: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua &c. Hic eſt Spiritus, qui ab initio ferebatur ſuper aquas, neque enim Spiritus ſine aqua operari poteſt, neque aqua ſine ſpiritu. Niſi ergo acceperint baptiſma ſalutare in Eccleſia Catholica, quæ una eſt, ſalvi eſſe non poſſunt, ſed cum carnalibus in judicio Domini damnabuntur.*

Supereſſet ad idem probandum ratio aliqua producenda. Verum hæc alia eſſe non poteſt præter illam, quæ deſumitur à peccato originali, quod ab omnibus Adæ filiis contrahi, in proprio loco probatum eſt; Ad hoc autem delendum in lege gratiæ, præter baptiſmi Sacramentum, remedium aliud non invenitur.

ARTICULUS IV.

Reſolvitur difficultas de baptiſmo in voto.

40. Antequam argumenta adverſus ſuperiùs dicta afferamus, & rejiciamus, propoſitam difficultatem perpendendam ſuſcipimus.

Exiſtimarunt aliqui neminem adultum ſalutem æternam conſequi poſſe, ſi abſque baptiſmo reapſe ſuſcepto decedat, quamvis illum ſuſcipiendi deſiderio flagaverit, ut teſtatur S. Bernard. ep. 77. Michael Bajus docuit, per baptiſmi votum interdum charitatem obtineri poſſe, non tamen peccatorum remiſſionem, priuſquam re ſuſcipiatur; cujus ſententia à Pio V. & Greg. XIII. damnata fuit, imo opponitur doctrinæ Concilii Tridentini ſeſſ. 6. docentis, *charitatem à peccatorum remiſſione ſeparari non poſſe.*

41. Dicendum eſt; baptiſmum in in re non eſſe neceſſarium neceſſitate medii ad ſalutem, ſed ſufficere baptiſmum in voto una ſimul cum charitate, ſeu contritione perfecta.

Veritas hæc ex iis textibus probatur, quibus conſtat, actui contritionis perfectæ peccatorum remiſſionem eſſe promiſſam; quos adduximus in tractatu de gratia Tom. 2., ubi de juſtificatione diſſeruimus, & de quibus erit ſermo in libro de pœnitent. Atque hoc non ſolum in caſu neceſſitatis, quando baptiſmus in re haberi non poteſt; ſed etiam extra illum contingere multoties poſſet: ſiquidem internus motus in Deum, & peccatorum deteſtatio unico momento perfici poſſunt, non ſic unico momento recipi poteſt baptiſmus, cum dependeat ab aliis, & à diverſis actionibus. Certe Act. 10. Cornelius juſtificatus

catus eſt, antequam à Petro baptizaretur, & Spiritus Sanctus multis datus eſt, qui nondum fuerant baptizati; Unde Petrus ibidem dixit; *Nunquid aquam quis prohibere poterit, ut non baptizentur hi, qui Spiritum Sanctum acceperunt, ſicut & nos?*

42. Si autem diceres, hoc charitati, & perfectæ contritioni concedi, nulla baptiſmi in voto vel in re mentione facta, adeoque probari, baptiſmum nec quidem in voto neceſſarium eſſe; opponam tibi Patres, Concilia, & Pontifices. Patres certè ubicumque de juſtificatione adultorum ſine baptiſmo in re ſermonem habent, contritioni una ſimul cum baptiſmatis voto illam tribuerunt; Obiit Valentinianus Imperator priuſquam baptiſmum, quem jam petierat, obtineret; conquerebantur populi, quod ſine tanto Sacramento piiſſimus Princeps migraverit, inquit Ambroſius in oratione funebri. *Audivi, vos dolere, quod non acceperit Sacramentum baptiſmatis; Dicite mihi, quid aliud in nobis eſt niſi voluntas, niſi petitio? Atqui etiam dudum hoc votum habuit ... Non habet ergo gratiam, quam deſideravit? Non habuit quod popoſcit? imò, quia popoſcit, accepit.* Auguſtinus etiam ſuffragatur, lib. enim 4. contra Donatiſ. cap. 22. hæc ſcribit: *Invenio, non tantùm paſſionem pro nomine Chriſti, id quod ex baptiſmo deerat, poſſe ſupplere; ſed etiam fidem, converſionemque cordis, ſi forte ad celebrandum myſterium baptiſmi in anguſtiis temporum ſuccurri non poteſt.* Sed clarius, magiſque decretorie in hac re loquitur Concil. Trident. quod ſeſs. 6. cap. 4. ſic explicat illud Joan. 3. *Niſi quis renatus fuerit &c. Translatio ab eo ſtatu, in quo homo naſcitur filius primi Adæ, in ſtatum gratiæ, & adoptionis filiorum Dei per ſecundum Adam Jeſum Chriſtum Salvatorem noſtrum, poſt Evangelium promulgatum ſine lavacro regenerationis, aut ejus voto, fieri non poteſt.* Et ſeſs. 14. cap. 4. dicit: *Docet præterea, etſi contritionem hanc aliquando charitate perfectam eſſe contingat, hominemque Deo reconciliare priuſquam hoc Sacramentum actu ſuſcipiatur, ipſam nihilominus reconciliationem ipſi contritioni, ſine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non eſſe adſcribendam.* Habet igitur contritio vim obtinendi peccatorum remiſſionem, in ipſa tamen eſſe debet in non baptizatis votum baptiſmi; atque virtus hæc ipſi eſt concedenda etiam extra caſum neceſſitatis, ut ſuperius dictum eſt, & ut conſtat ex propoſitione Michaelis Baii num. 31. à Pio V. damnata, quæ erat iſta: *Charitas perfecta, quæ eſt ex corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta in Catheeumenis, & pœnitentibus poteſt eſſe ſine remiſſione peccatorum.* Cui addo judicium Facultatis Pariſienſis, à qua proſcripta fuit ſequens propoſitio: *Per contritionem, non adhibito realiter Sacramento baptiſmi, vel pœnitentiæ non dimittitur crimen extra eaſum martyrii, & neceſſitatis.* Atque hoc poſtremum eſt contra Eſtium, aſſerentem deleri quidem peccata per contritionem, ſi Cathecumenus ſit in neceſſitatis ſtatu conſtitutus, non autem ordinarie loquendo; quod ſatis probatum eſt num. 41.

43. Si hoc diceretur de conſequutione beatitudinis, & gloriæ; utique concedendum foret; ſi nempe Cathecumeno, per contritionem & votum baptiſmi juſtificato, nec tempus, nec commoditas deeſt, & antequam moriatur, baptiſmum in re ſuſcipiendi; quod non valet de juſtificatione, quæ haberi poteſt per actum ſolum internum; cui nullum tempus, commoditas nulla deficere poteſt: Ideo, ſi Cathecumenus poſt acceptam juſtificationem per actum contritionis, & votum baptiſmi, baptizari nollet, tunc ob accepta juſtificatione decideret, & damnaretur. Qua in re dixit Auguſtin. lib. 4. de baptiſ. c. 21. *Si Centurio poſt Spiritum Sanctum acceptum baptizari noluiſſet, contempti Sacramenti reus fieret;* & infrà. *Bono Cathecumeno deeſt baptiſmus ad conſequendum*

dum regnum Cælorum. Alia ſimilia ſcribit lib. 1. ad Simplic. qu. 2.

44. Sed hic inquirendum ſe exhibet, quale debeat eſſe hujuſmodi votum. Tres opiniones affert Suarez in 3. p. diſp. 27. ſec. 2. Una aſſerit, tam ad gratiam ſanctificantem, quàm ad gloriam, neceſſarium eſſe explicitum baptiſmi deſiderium; atque iſtius nullus invenitur Doctor, nullumque fundamentum, ut aſſerit laudatus Suarez. Alia affirmat, ad habendam gratiam ſufficere votum implicitum, requiri tamen explicitum ad obtinendam gloriam; & pro hac citatur Canus de Sacr. in gen. p. 2., & de pœnit. p. 1. Tertia aſſerit, tam ad gratiam, quam ad gloriam ſufficere votum implicitum, quod in ipſa perfecta contritione includatur; atque hanc communiter ſuſtinent Vega, Suarez, Roſign., & favet S. Th. hic qu. 69. art. 4. ad 2., ubi habet: *Remiſſionem peccatorum aliquis conſequitur ante baptiſmum, ſecundum quod habet baptiſmum in voto, vel explicitè, vel implicitè*. Eſſe tamen poſſet quarta ſententia, ſi quis diceret, in iis, qui nondum habent fidem, & notitiam baptiſmi, ſufficere votum implicitum, contentum in contritione, in qua eſt deſiderium efficax omnia Dei præcepta ſervandi, in iis verò, qui notitiam, fidemque baptiſmi habuerunt, neceſſarium eſſe votum explicitum.

45. Ego in hoc puncto nihil definire volo; ſi tamen ſententiam meam afferre liceret, dicerem; nequaquam ſufficere votum implicitum.

Probo poſitivè; Majorem eſſe neceſſitatem baptiſmi recipiendi, quam ſervandi reliqua, quæ in lege præſcripta ſunt, ignorat nemo; aliter dicendum foret, omnia æqualiter pertinere ad neceſſitatem medii; ad juſtificationem autem obtinendam requiri contritionem perfectam cum voto implicito ſervandi omnia, quæ in lege præſcripta ſunt, fatentur omnes, ad baptiſmum ergo neceſſarium erit votum, ſeu deſiderium majus; ſed hoc eſt votum explicitum; ergo. Hoc amplius ſuadeo: Actum fidei neceſſarium eſſe, apud omnes Theologos receptum eſt, & à nobis in primo Tomo probatum fuit; Baptiſmum eſſe neceſſarium, vel in re, vel in voto, tanquam dogma fidei retinetur; ita igitur ſe habet neceſſitas fidei in re, ſicut neceſſitas baptiſmi in voto; ſed neceſſitas fidei in re exigit fidem explicitam; ergo neceſſitas baptiſmi in voto exigit votum explicitum; & ideo non ſufficit fides in voto, quia propoſito myſterio credendo, poteſt haberi fides in re, nec aliquod datur impedimentum, quia fides eſt actio interna; è contra propoſita neceſſitate baptiſmi, poteſt per aliquam extrinſecam circumſtantiam impediri baptiſmus in re, quia eſt actio externa, ad quam plura, quæ a nobis non dependent, requiruntur; & quemadmodum dicis, ſi quis juxta legem naturæ viveret, illuminandum à Deo fore in rebus fidei neceſſariis; ita ego dicam, illuminandum à Deo fore in eo, quod ad baptiſmum attinet. In utroque agnoſcas neceſſitatem medii; fidei in re, baptiſmi in voto; illa explicita eſſe debet in re; ergo iſte explicitus eſſe debet in voto; quod erat argumentum; Tu non admittis ignorantiam invincibilem pro habenda fide explicita in re, ego non admitto ignorantiam invincibilem pro habendo baptiſmo explicitè in voto; aut dices, non ita eſſe neceſſarium baptiſmum in voto, ſicut eſt neceſſaria fides in re. Si igitur pro illa priori ſententia nullum Doctorem uſque modo invenerunt, nullumque fundamentum; ſolvant propoſitum, & in poſterum id non dicant.

46. Contrarii Doctores, inter quos Roſignolus quæſt. 1. de inſtitut. & exiſt. Baptiſm. art. 2. num. 11. juxta doctrinam, quam didicit à Patre Suarez, ita argumentantur; In peccatorum deteſtatione, ut ſit efficax ad gratiam obtinendam, non eſt neceſſarium votum explicitum Sacramentalis confeſſionis, ſed ſufficit, ſi ha-

ſi habeatur propoſitum adimplendi totam legem Dei, in quo continetur implicite ipſa Sacramentalis confeſſio; ergo etiam ſufficiet, ſi habeatur dolor de præteritis, & propoſitum efficax obſervandi in poſterum totam legem Dei, in quo continetur implicitè ipſum baptiſma.

47. Attamen juxta argumentum à nobis expoſitum hæc paritas corruit; primò; quia non ita loqui debemus de neceſſitate Sacramentalis confeſſionis, ſicut de neceſſitate baptiſmi, illa enim neceſſaria eſt tantummodò ſuppoſito peccato actuali, quod omnes non afficit, & poſt receptum baptiſma, quod cœterorum Sacramentorum eſt janua; è contrario neceſſitas baptiſmi omnes complectitur, ſicut peccato originali omnes tenentur, & illud eſt primum medium ad obtinendum regnum Cœlorum dicente Domino, *Niſi quis renatus fuerit &c.* Unde ſicuti, quia dixit Paulus, *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo* infert Theologus, fidem explicitam neceſſariam eſſe, ita ex illo textu inferri debet, baptiſmum explicite eſſe neceſſarium, non in re, ergo in voto, & quando Concil. Tridentinum ſeſs. 14. cap. 2. inquit; *Eſt hoc Sacramentum lapſis poſt baptiſmum neceſſarium, ut nondum regeneratis ipſe baptiſmus*, tradit doctrinam noſtram; ſed ſicuti aſſerimus nondum regeneratis eſſe neceſſarium votum explicitum baptiſmi, ita dicimus lapſis poſt baptiſmum eſſe neceſſarium votum explicitum confeſſionis Sacramentalis, quod aliquando habitum fuerit; ſicut de actu fidei ipſi adverſarii non inficiantur, & hæc eſt ſecunda reſponſio.

48. Hoc procul dubio dicendum exiſtimo, ſaltem de iis, qui baptiſmi cognitionem, & fidem acceperunt; fortaſſe vero in iis, qui baptiſmum adhuc ignorant, ſufficere poteſt votum implicitum; dico *fortaſſe* propter rationem ſuperius expoſitam, juxta quam hæc ignorantia invincibilis negari poteſt; & etiam ut ſervem auctoritatem S.Th. adductam num. 44., nec non plures ſalvos factos eſſe, qui pro lege Chriſti, repente ab infidelitate converſi, fortiter dederunt caput, & ſanguinem; quamvis de iſtis dici poſſet, fuiſſe per internam inſpirationem, ac revelationem inſtructos, ſicut de myſteriis, quæ neceſſitate medii credenda ſunt, docent cum S. Thom. Theologi; Hoc valet etiam de Cornelio, ſi admittatur juſtificatus, antequam baptizaretur; quod tamen negant plures Sancti Patres, & de illis, qui, ut dictum eſt num. 40., ante baptiſmum Spiritum Sanctum receperunt; Sed de iſtis dici poſſet, tunc nondum fuiſſe neceſſarium baptiſmum, cum hujus neceſſitas poſt Evangelii promulgationem inceperit; unde nil mirum ſi tantum cum voto implicito fuerint juſtitiam aſſequuti.

ARTICULUS V.

Refelluntur argumenta contra dicta in Art. III.

49. Opp. 1. Quæ dicta ſunt ad probandam neceſſitatem baptiſmi, ſervari poſſunt per neceſſitatem præcepti; ergo baptiſmus non eſt neceſſarius neceſſitate medii; Prob. ant. primo; ex illis verbis: *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, non habebitis vitam in vobis*, infertur tantum neceſſitas præcepti, non medii; ergo etiam ex aliis: *Niſi quis renatus fuerit, &c.* infertur tantum &c. Secundo, ubi reperitur neceſſitas medii, nulla ignorantia, impotentia nulla poteſt excuſare; ſed in baptiſmo excuſat ignorantia, & impotentia, qui enim invincibiliter ignoraret præceptum, & ejuſdem inſtitutionem; aut in iis anguſtiis poſitus eſſet, in quibus non poſſet illum percipere; illi defectus baptiſmi non imputaretur ad culpam; ergo baptiſmus non eſt neceſſarius neceſſitate medii. 3. Id, quod hujuſmodi neceſſitate judicatur neceſſarium, nuſquam ſuppleri poteſt; atqui baptiſmus ſup-

ſuppleri poteſt, vel per martyrium, vel per contritionem perfectam; ergo. Maj. patet in fide, & in gratia, quæ quia neceſſariæ ſunt ad habendam juſtificationem, ſuppleri non poſſunt.

50. Reſp. ne.ant.ad prob. primam, non deſunt plures Theologi, aſſerentes etiam Euchariſtiam in voto implicito neceſſariam eſſe neceſſitate medii, cum omnia Sacramenta ordinem ſervent ad Euchariſtiam; quo dato argumentum corrueret; dico tamen primo, verba illa, *niſi manducaveritis carnem Filii hominis, non habebitis vitam in vobis*. Intelligenda eſſe de vita ſubſtantiali ſupernaturali, in quo ſenſu manducare Chriſti carnem neceſſarium eſt neceſſitate medii; in nulla enim alia re Chriſtus ſubſtantialiter reperitur; ex quo poſtea ſequitur, ſed non tantum, habere vitam æternam, de qua loquitur in verbis, quæ ſequuntur: *Qui manducat meam carnem, habet vitam æternam*. Dico ſecundo, in iis rebus, quæ à Chriſti voluntate, & inſtitutione dependent, paritates etiam ex Scriptura deſumptas non valere; ſed ſiſtendum eſſe in Patrum traditione, & Eccleſiæ intelligentia.

Ad 2. in aliquo ſenſu ignorantia, & impotentia excuſat à receptione baptiſmi, & etiam à voto, in aliquo ſenſu non excuſat. Primum quidem; quatenus baptiſmus vel in re, vel in voto eſt ſub præcepto, & ita qui vel invincibiliter ignoraret, vel non poſſet, nequaquam peccatum committeret, omittendo baptiſmum; Secundum vero, quia licet non peccaret, attamen damnaretur; quia à peccato originali non evaderet liber, neque ab actuali, ſi hoc commiſiſſet; In hoc autem ſecundo ſenſu dicimus neceſſarium eſſe baptiſma; Quod valet etiam loquendo de neceſſitate fidei; non enim qui fidem non haberet, damnaretur propter fidei privationem, ſed propter alia peccata, quæ deficiente fide, auferri non poſſunt.

Ad 3. diſtinguenda duplex neceſſitas eſt, alia, quæ eſt interna dependens ab interiori motu creaturæ, & alia, quæ externa; Illa ſuppleri non poteſt, & talis eſt neceſſitas fidei, & gratiæ; Iſta ſuppleri poteſt, cum exterioribus ſignis Chriſti virtus non ſit alligata; & talis eſt neceſſitas baptiſmi in re; Ideo nos dicimus, hujus neceſſitatem eſſe vel in re, vel in voto.

51. Opp. 2. Quod eſt neceſſarium neceſſitate medii, omnibus neceſſarium eſt; ita ut ſine illo nemo juſtitiam, nemo æternam gloriam conſequatur; ſed baptiſmus vel in re, vel in voto non eſt omnibus neceſſarius, ergo; Prob. mi. nequit eſſe neceſſarius infantibus in voto, cum iſtius ſint incapaces; non in re, & probatur. Primo, quia ſuavior eſt providentia quæ ſervatur in lege Evangelica, quæ appellatur lex ſpiritus, & libertatis, quam fuerit illa, quæ ſervabatur in lege veteri, quæ erat lex carnis, & ſervitutis; atqui in lege veteri ſalvi fiebant infantes ſive circumciſione in re, per ſolam fidem parentum; ergo etiam nunc debent ſalvi fieri ſine baptiſmo in re; baptiſmus igitur in re pueris neceſſarius non eſt. Secundo; Quando adulti baptiſmum in re ſuſcipere nequeunt, ſufficit, ſi illud habeant in voto per voluntatem propriam; ergo, quando pro parvulis haberi nequit baptiſmus in re, ſufficiet, ſi habeatur per voluntatem parentum; præſertim quia voluntas parvuli tranſlata eſt in parentum voluntatem; & ſicuti per voluntatem alienam peccaverunt, ita per alienam voluntatem ſalvi fient. Accedit; confugiendum eſſe in hac re ad ſpecialem Dei providentiam, & diſpenſationem, ne dicamus, tot parvulos ſine propria perſonali culpa perire, & crudelitatis notam Deo impingamus.

52. Antequam reſpondeam; non me latet, hanc fuiſſe plurium Catholicorum Doctorum opinionem; Docuit Cajetan. 3.p.q.68.ad art.2. & 11. Fidelium parvulos, quibus per baptiſmum ſubſidium

dium præſtari non poteſt, non ſolum ex ſpeciali Dei privilegio; ſed juxta communem legem, parentum votis, & orationibus, dummodo ſignum aliquod exterius adhibeatur, ſalvos fieri; ſed hoc temere adeo, & parum ad regulas fidei dictum eſt, ut S. Pius V. ejuſdem commentaria in laudatos articulos expungi præſcripſerit; Aliqui non defuerunt, qui dixerint, etiam juxta legem ordinariam Deum ſupplere defectus etiam eſſentiales baptiſmi, ſi qui fuerint ex parte materiæ, vel formæ, vel intentionis Miniſtri; Ita Gabr. in 4. diſt.4. quæſt.2. art.3. Altiſſiodoren.in ſum.lib.3. trac.3. & videtur favere S.Bonaven. in 4.diſ.3. qu.2. art. 2. ad 2. expreſſe vero Gerſon ſer. de Nativ. B. Virgin. conſiderat. 2. Sed etiam hoc prorſus rejiciendum eſt, cum nullum fundamentum habeat nec in Scripturis, nec in Patrum traditione, à quibus nequaquam licet recedere. Aliqui verò exiſtimarunt, infantibus ſine baptiſmo ex hac vita migrantibus quamdam temporalem felicitatem fore concedendam, & ita penes Bellarmin. ſenſerunt Pighius, & Catharinus, a quorum opinione videtur non recedere Cardinalis Sfondratus in libro, qui inſcribitur: *Nodus prædeſtinationis diſſolutus* p.1. S. 1. num. 13. Iſtos ego Pelagianis propinquos affirmarem.

53. Verum argumenta propoſita diſſolvamus. Neceſſarium aſſerimus infantibus baptiſmum in re. Ad primum. Suaviorem utique libertatis, ſpiritusque legem novam fatemur; nec tamen hoc deſtruit baptiſmatis in re neceſſitatem pro infantibus: Primo enim, ſi argumentum propoſitum valeret, etiam lex ſcripta durior fuiſſet, quam lex naturæ; Quia pro lege naturæ non erat neceſſaria circumciſio pro infante octo dierum, erat vero neceſſaria pro illo in lege ſcripta. Secundo quia baptiſmus multo facilior, & ſuavior eſt, quam circumciſio; Pro illo ſufficit ſanguis effuſus a Chriſto, pro hac neceſſaria erat ſanguinis effuſio propria; Si in lege veteri poterat applicari remedium naturæ, hoc ideo erat, quia non niſi octavo die poterat circumcidi puer, (quamvis certum non ſit, remedium naturæ ſufficiens fuiſſe) in lege autem Evangelica poteſt pro quocumque inſtanti poſt nativitatem applicari baptiſma, quod inſtitutum eſt in materia tam obvia, ut nulli unquam, niſi volenti deeſſe poſſit. Tertio; cum plura ſint neceſſaria in lege nova, quam fuerint in veteri, non ex baptiſmo, ſed ex aliis inferri poſſet, legem novam eſſe veteri aſperiorem; Perpendantur ea, quæ meliora habentur in illa, quæ nequaquam erant in iſta, & ſtatim argumentum reſolvetur.

Ad ſecundum; tota ratio ex eo petitur, quod voluntas parvulorum tranſlata ſit in voluntatem parentum; Hoc ſi dicatur de rebus civilibus, forenſibus, & externis, utique concedimus; ſi autem de iis, quæ ad ſalutem animæ pertinent, negamus; aliter parentum peccata fieri poſſent peccata parvulorum, ſicut & parentum virtutes transfunderentur in filios: Neque tenet paritas allata, ac deſumpta ex Adæ poſteris, qui per ejus voluntatem peccarunt; etenim omnium hominum voluntates translatas fuiſſe in voluntatem Adæ, habemus ex perpetua traditione, & ſcripturis; voluntatem vero parvulorum translatam eſſe in voluntatem parentum, unde colligitur? & ſi hoc verum eſſet, dicendum foret, quod ſicuti originalis juſtitia, ſi in Adamo perſeveraſſet, omnibus etiam fuiſſet conceſſa; ita parentum virtutes, vel peccata ad filios pertranſirent. Sed non eſt, cur in iſtis diuturniori calamo immoremur; Non eſt attendenda in hac re ratio intrinſeca, ſed Dei voluntas.

54. Op.3. Id dicendum, quod Sanctis Patribus olim viſum eſt; atqui baptiſmum non eſſe neceſſarium neceſſitate medii ad ſalutem, Sanctis Patribus olim viſum eſt; ergo; minorem multis ex capitibus probant; etenim ſi tanta foret baptiſmi neceſſitas, cur ſtatim poſt nativi-

tivitatem pueri non baptizantur? Cur tot viri, quos piiſſimos commendat Eccleſia annis pluribus in Cathecumenatu vixerunt? ut de Conſtantino refert Euſebius in ejus vita cap. 62., & teſtantur Hieronym. in Chronico, & Socrat. lib. 1. cap. 39. Ipſe Sanctus Ambroſius, cum adhuc Cathecumenus eſſet, proclamatus Epiſcopus fuit; Eccleſia ipſa tantam baptiſmatis neceſſitatem non agnovit, cum pro Cathecumenis, qui extremam diem ſine baptiſmatis ſuſceptione clauſerunt, preces, & ſuffragia obtulerit; ut patet ex Ambroſio in orat. pro Valentiniano, & ex Conciliis 2. Arelat. can. 12. Carthagin. 4. can. 79. &c. Novit hoc S. Cyprian. qui etſi exiſtimaret, baptiſmum, collatum ab hæreticis, nullum eſſe; attamen aliquando ab ipſis tinctos nequaquam iterum baptizabat, & inquirens epiſ. 73. ad Jubajan.; quid agendum eſſet de iis, qui de hæreſi ad Eccleſiam venerant ſine novo baptiſmo, reſpondet: *Potens eſt Dominus miſericordia ſua indulgentiam dare, & eos, qui ad Eccleſiam ſimpliciter admiſſi, in Eccleſia dormierunt, ab Eccleſiæ ſuæ muneribus non ſeparare*. Hoc autem nec factum, nec dictum fuiſſet, ſi baptiſmus neceſſarius neceſſitate medii exiſtimandus foret.

55. Reſp. ne. min. ad prob. plura perpendenda ſunt; Quantum ad pueros attinet; ſumma moralis diligentia adhibetur, ut ipſis per baptiſma illi, ad quos attinet, ſubveniant; & ſi ſtatim poſt nativitatem non baptizantur, hoc ideo eſt, quia nullum vitæ periculum imminet; Quantum ad eos, qui diu in Cathecumenatu vixerunt, eſſe potuit aliqua circumſtantia, qua baptiſmi dilatio honeſtaretur; puta, ut ſe per eximiora pietatis opera, & diuturniorem pœnitentiam diſponerent; vel quia etiam ab aliquo inſigni viro baptiſmum recipere cupiebant, ut de laudato Valentiniano fatetur Ambroſius in eadem oratione; Non deſunt tamen Patres, qui gravibus ſententiis in eos agunt, qui baptiſmum ſuum diutius protrahunt; inter quos Gregor. Nazianz. Quod dicitur de precibus, ac ſuffragiis, quæ pro defunctis Cathecumenis offerri conſueverunt; hoc tantum probat, per baptiſmum in voto juſtificatos eſſe; ſed de hac re amplius in ſequenti dicemus. Quod Cyprianus ſenſit, & cum eo plures alii exiſtimarunt, non evincit, baptiſmum neceſſarium non eſſe, neque hoc unquam illi dixerunt; ſed tantum probat, utrum baptiſmus conferretur ab hæretico, vel catholico, hoc pertinere ad diſciplinam, non ad fidem; & cum nondum totius Eccleſiæ judicio foret illa quæſtio definita, arbitrati ſunt, unumquemque, ſervata pace ac unitate, id agere quod vellet: Unde & factum eſt, quod etſi Cyprianus putaret, hæreticorum baptiſmum nullum eſſe; attamen prudenti ductus æconomia, interdum baptizatos ab hæreticis non rebaptizabat, ratus in hujuſmodi circumſtantiis non deeſſe Divinam miſericordiam, iſtiſque ad Eccleſiæ unitatem ſincero corde redeuntibus ad ſalutem ſufficere deſiderium baptiſmi; Imo aliquando evenit, ut aliquibus, qui, jam diuturno tempore in Eccleſia recepti, Sacramentorum participes effecti erant, dicerentque ſe baptizatos non eſſe, baptiſmum petentibus negatum eſſe, ut factum eſt à Sancto Dionifio Alexandrino, non alia quidem ratione, niſi quia exiſtimavit, in hac circumſtantia diuturnam cum fidelibus Communionem, nec non Sacramentorum participationem ad ſalutem ſufficere; quod & dixit Innoc. III. reſpondens Epiſcopo Cremonenſi, qui ad ipſum ſcripſerat de quodam Presbytero defuncto, qui baptizatus non fuerat. Cœterum ex iis, quæ apud aliquos veteres Patres dubia erant, argumentum recte inferri non poteſt; cum poſtea magis res fuerit examinata, dateque ſint decretoriæ definitiones.

56. Ob. 4. juxta Socini dementiam contendentis, baptiſmum non ſolum non eſſe neceſſarium neceſſitate medii, ſed

ſed neque præcepti; & quamvis fortaſſe pro aliquo tempore, & pro aliquibus hominibus fuerit, non tamen pro omni tempore, & pro omnibus hominibus hujuſmodi cenſendum eſt. Hoc multifariam audet probare. 1. Illi tantum baptizandi erant, qui ab Apoſtolis erant inſtruendi; utrumque enim in textu conjungitur: *Docete*, *baptizantes eos*. Alii igitur, qui ab Apoſtolis, aut eorum Succeſſoribus edocti non fuerunt, nec baptiſmo fuerunt adſtricti.

Secundo. Illi tantum ſunt baptizandi, qui ex iis ſunt, quos Apoſtoli baptizarunt; nempe illi, qui vel à nulla, vel à falſa religione ad Chriſtum convertuntur; illi igitur, qui vel nati ſunt in Religione Chriſtiana, vel in ea ſunt educati, baptiſmi præcepto non ſubduntur.

Tertio. Multos veros Chriſtianos in actibus Apoſtolorum legimus, quos tamen baptizatos fuiſſe non reperimus; imo, ubi habemus, Apoſtolos, & ſeptuaginta duos Diſcipulos fuiſſe baptizatos? Idem valet de illis centum viginti, de quibus ſermo eſt Act. 1.

Quarto. Dixit quidem S. Petrus, *pœnitentiam agendam eſſe, & unumquemque baptizandum*; attamen etſi pœnitentiæ præceptum ſemper neceſſarium ſit, non tamen illud baptiſmi, ſicuti dictum fuit, abſtinendum à ſanguine, & ſuffocato, necnon à fornicatione, & tamen licet præceptum fugiendi fornicationem perpetuum ſit, non fuit perpetuum illud abſtinendi à ſanguine, & ſuffocato.

Quinto. Poſtquam Sanctus Marcus cap. ultimo dixerit: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit*. Addidit; *ſigna autem eos, qui crediderint, hæc ſequentur, in nomine meo Dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, ſerpentes tollent, & ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit*. Ergo cum hujuſmodi dona ceſſaverint, ceſſavit etiam præceptum baptiſmi, quod illis erat conjunctum.

57. Nemo eſt, qui haſce Socini non videat ineptias, cum tamen plurimas alias, hiſce ſimiles, omiſerimus. Reſpondere quidem erubeſcimus; reſpondeamus tamen, ut ipſe magis erubeſcat.

Ad primum. Eos nos dicimus baptiſmi præcepto teneri, qui originali peccato naſcuntur infecti; & ſi adulti ſint, qui fide, ac doctrina Chriſtiana fuerint inſtituti; Mortui quidem Apoſtoli ſunt, ſed vivunt adhuc in ſucceſſoribus ſuis; vivit adhuc Eccleſia, cum qua uſque ad conſummationem ſæculi futurum ſe eſſe, Chriſtus promiſit. Quod ſi ratiocinium Socini valeret, ſequeretur, homines ab iis eſſe baptizandos, à quibus fuerunt edocti; At quis unquam hoc ſibi finget? Petri prædicatione una die converſi ſunt ter mille, alia quinque mille; dices ne omnes fuiſſe à Petro baptizatos; Quot etiam ad Chriſtum non adduxit Apoſtolus Paulus, & tamen ab ipſo pauciſſimos baptizatos eſſe, conſtat; imo dicebat, ſe miſſum eſſe ad evangelizandum, nequaquam ad baptizandum.

Ad 2. Unde hoc dici poteſt? Nunquid tantum qui ab infidelibus nati ſunt, vel nullam, aut falſam religionem coluerunt, peccati originalis labe coinquinantur? Baptiſmus ad hoc peccandum delendum, & Chriſto nomen dandum inſtitutum eſt; Quotquot igitur Chriſti ſervis annumerandi ſunt, baptizandi ſunt.

Ad 3. Ridiculum, & inane eſt argumentum illud, non legimus rem aliquam ab illo homine factam eſſe; ergo non eſt facta, hanc illationem nemo ſapiens admittet; potius deberet ſic fieri ratiocinatio; Baptiſmus neceſſarius eſt; ergo Petrus, aliique, de quibus non legitur fuiſſe baptizatos, baptizati ſunt; & ſi de ipſis non legitur baptizatos fuiſſe, neque negatur; ergo dici debet, id factum eſſe, quod faciendum erat, & ſi baptizati ſunt alii, cur non iſti? In hac re præclarum eſt Auguſtini teſtimonium lib. 3. de anima & ejus ori-

gine cap. 9. ubi ſic ait: *Si ipſos Apoſtolos baptizatos eſſe per hoc nobis innoteſcere potuit, quod Beato Petro Dominus ait: Qui lotus eſt, non indiget, niſi ut pedes lavet, Quid de aliis, de quibus vel tale nihil legimus dictum de Barnaba, de Timotheo, de Tito, de Sila, de ipſis Evangeliſtis, Marco, & Luca, de innumerabilibus cæteris; quos abſit, ut baptizatos eſſe dubitemus, quamvis non legamus?*

Ad 4. Neceſſaria eſt pœnitentia, neceſſarius eſt baptiſmus; neque ita loquendum de abſtinentia à ſanguine & ſuffocato, necnon fornicatione, ita ut quamvis lex iſtam fugiendi ſit univerſalis & perpetua, non tamen illa, & ſic etiam lex pœnitentiæ ſit univerſalis & perpetua, non illa baptiſmi. Multum ſiquidem diſcriminis eſt inter præceptum baptiſmi, & illud abſtinendi à ſanguine, & ſuffocato; Illud à Chriſto datum eſt, hoc ab Apoſtolis; Illud, non ſolum ad diſtinguendum fidelem ab infideli, ſed etiam ad regenerandos, ſanctificandoſque quoſcumque, hoc ad œconomicam tantummodo diſciplinam, ne Judæi quidam ſcandalum paterentur. Illud nunquam abrogatum, abrogandum nunquam, hoc vero ab ipſis Apoſtolis abrogatum eſſe conſtat ex epiſt. Pauli 1. ad Corint. 10. & Coloſs. 2. Non eſt igitur cur ab uno argumentum deducatur ad aliud.

Multo minus audiendum eſt, quod ultimo loco dicebatur; Potius dicendum foret, quod cum illa ſigna fidem habentibus promiſſa ſint; ſi ceſſarunt illa, ceſſaverit etiam fides unà ſimul cum præcepto, & neceſſitate habendi fidem. Hoc utique Sociniani non admittent. Quæ neceſſaria erant Eccleſiæ naſcenti, non fuerunt adultæ; ſicut, cum arbor creverit, irrigatio ceſſat; Si opus fuerit, illis majora fient in Eccleſia.

ARTICULUS VI.

Refelluntur argumenta contra dicta in Art. IV.

59. HIC nihil dicendum arbitror contra ea, quæ diximus à num. 45. uſque ad 48. incluſive; ſed tantum quædam proponenda judicamus, quibus, nonniſi per baptiſmum in re juſtificationem obtineri poſſe, aliqui probare contendunt.

Certe ipſis non deſunt plura Sanctorum Patrum teſtimonia ita aſſerentium baptiſmum neceſſarium in re, ut ſine ipſo nullo pacto peccatorum remiſſionem contingere, judicandum videatur. In promptu eſt Ambroſius in lib. de myſteriis cap. 4. dicens: *Credit Catechumenus in Crucem Domini, quia & ipſe ſignatur; ſed niſi baptizatus fuerit in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, remiſſionem non poteſt accipere peccatorum, nec ſpiritualis gratiæ munus haurire*. Et ne dicamus, hoc verum eſſe, ſi detur commoditas ſuſcipiendi baptiſmum, non autem accedente neceſſitate, idem Ambroſius lib. 2. de Abrahamo cap. 11. afferens textum: *Niſi quis renatus &c.* ſubdit: *Utique nullum excipit, non infantem, non aliqua præventum neceſſitate*. Clarius Auguſt. tract. 18. in Joan. ait: *Quantumcumque Catechumenus proficiat, adhuc tamen ſarcinam ſuæ iniquitatis portat, non illi dimittitur, niſi cum venerit ad baptiſmum*; & lib. 2. de peccator. meritis, & remiſſion: *Sanctificatio Catechumeni, ſi non fuerit baptizatus, non ei valet ad intrandum in regnum Cælorum*. Ex primo textu infertur, ſine baptiſmo in re juſtificationem haberi non poſſe; ex ſecundo probatur, quod etſi juſtificatio haberi poſſit, ſeu charitas, non tamen peccatorum remiſſio ſufficiens ad gloriam obtinendam.

59. Sunt vero & alii Patres, qui magis nos premunt; Inter iſtos S. Fulgentius, qui interrogatus à Ferrando Dia-

Diacono, quid ſentiendum foret de quodam Ethiope Catechumeno, qui catechumenatus tempore valde profecerat; inde repente morbo correptus baptizatus fuit, & mortuus, reſpondet epiſt. 12. ad eumdem: *Non dicimus illum ſine baptiſmi Sacramento ſola confeſſione potuiſſe ſalvari. Qui enim crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit; Illum utique adoleſcentem, quia crediddiſſe, & confeſſum fuiſſe novimus, ideo per Sacramentum baptiſmatis ſalvum fuiſſe firmamus; qui ſi non baptizaretur, non ſolum neſciens, ſed etiam ſciens, nullatenus ſalvaretur; via enim ſalutis in confeſſione, ſalus in baptiſmate.* Idem diſertis verbis docet in lib. de Fide ad Pet. cap. 3. inquiens: *Abſque Sacramento baptiſmatis, præter eos qui in Eccleſia Catholica ſine baptiſmate pro Chriſto ſanguinem fundunt, nec regnum Cælorum poteſt quiſquam accipere, nec vitam æternam.* Hoc priori ſæculo, nempe quinto, tradiderat etiam Gennadius Maſſilienſis in lib. de dogmatibus Eccleleſiaſticis, cujus eſt auctor apud Auguſt. tom. 8. in Appendice cap. 4. affirmans, Catechumenum non ſalvari, etiamſi in bonis operibus ſe exercuerit, niſi vel baptiſmo fluminis, vel ſanguinis fuerit purgatus.

60. Omiſi Gregorium Nazianzenum, qui ante Fulgentium & Gennadium clariſſime hoc tenuit; orat. enim 40. in ſanctum Baptiſmum, triplicem diſtinguit eorum ordinem, qui ſine baptiſmo receſſerunt: Primus eorum eſt, qui baptizari non deſiderant, nec omnino contemnunt, ſed ſive ipſis detur, ſive non detur, parum intereſt: Secundus eorum, qui baptiſmum deſiderant, ſed inefficaci voluntate, ita ut præ ignavia, & ut vitiis magis indulgeant, de die in diem illum protrahunt. Tertius vero illorum, qui baptiſmi deſiderium habentes, aliqua extrinſeca circumſtantia impediente, ad illum ſuſcipiendum non perveniunt; Illos primi, & ſecundi ordinis damnandos dicit; alios vero nec cœleſti gloria, nec ſuppliciis à juſto Judice afficiendos, *utpote qui* (ſunt verba ejuſdem) *licet ſignati non fuerint, improbitate tamen careant; atque hanc jacturam paſſi potius fuerint, quam fecerint.*

61. Quamquam quid, proſequuntur, Patres in hac re opus eſt recenſere, cum per quinque priora ſæcula praxis Eccleſiæ Romanæ, non baptizatos re ipſa nequaquam ſalvari, demonſtret? Si enim cum Catechumenis non baptizatis, vel cum pœnitentibus, qui ſine reconciliatione deceſſerant, Eccleſia communionem non ſervavit, nec preces pro ipſis offerre conſuevit, ipſos juſtos factos non eſſe, compertum eſt; Res autem ita ſe habet, ut conſtat ex Leone epiſt. 82. ad Theodorum Patriæ meæ Epiſcopum; ex Gelaſio I. in Concil. Romano; & clarius in Concil. Bracaren. 2. cap. 17. hæc leguntur: *Placuit, ut Catecumenis ſine redemptione baptiſmi defunctis, ſimili modo neque oblationis commemoratio, neque pſallendi impendatur officium; nam & hoc per ignorantiam uſurpatum eſt.*

62. Plura quidem dixerunt; & alios diceres Pelagianos, alios Bajanos, ſi eos non excuſares vel ſenſus, quo iſta protulerunt, vel poſterior Eccleſiæ ſententia. Dictis reſpondeamus oporteat, & quantum fieri poterit, aut Patres id non docuiſſe, declarabimus, aut benigna interpretatione exponemus.

S. Ambroſium nobis adducere, eſt contra Ambroſium, Ambroſium afferre; Quid in oratione pro Valentiniano ipſe dixerit, nos retulimus. De illis igitur loquitur, qui vel adulti nunquam baptiſmi deſiderium habuerunt, vel etiam contempſerunt, vel parvuli habere non potuerunt; & libenter quod ipſe dicit, affirmamus.

De mente Auguſtini à nobis productum eſt; atque ne diutius in ſingulis refellendis, quæ nobis opponuntur, calamum impendam, in iis advertas eximium Doctorem loqui vel de iis, qui Sa-

Sacramentum contempſerunt, vel neglexerunt, vel de ſanctificatione imperfectâ, quæ habeatur per Crucis ſignum, & manuum impoſitionem, quæ non ſit perfectæ charitati conjuncta; Aſſerimus autem & nos, votum baptiſmi nihil prodeſſe, ſi charitas deſit, atque contritio.

63. Nunc ad alios Patres. Fulgentii quidem textus multum urgere videtur. Si abſolute ejus verba ſint excipienda, deferendum eſſe, affirmare non dubito, nec ante me dubitarunt alii; Si autem velis illum explicare, dicas loqui de confeſſione, quæ non ſit ex perfecta charitate, & contritione, ut ſuperius dictum eſt; Idem de Gennadio. Eccleſia aliter ſentit; Ultra ne opponas.

Etiam in hac re Gregorii Nazianzeni doctrinam non eſſe accipiendam, non ſolus eſſem, qui dicerem, & potiori quidem jure, cum videatur admittere tertium locum inter regnum Cœlorum, & inter pœnam; quod contra Pelagianos rejectum eſt, ut diximus in Tomo ſecundo agentes de peccatis. Aliqui tamen illum explicare conantur, tanquam ſi locutus eſſet de iis, qui baptiſmum in voto habuerunt, ſed perfecta charitate caruerunt. Quidquid ſit, in illo loco ſtatuendo Nazianzenum approbare non poſſumus.

64. Verum tamen eſt, plures ex Sanctis Patribus interdum baptiſmati in voto nihil virtutis conceſſiſſe, ut eorum non viderentur ignaviæ, ac negligentiæ indulgere, qui baptiſmi neceſſitem agnoſcentes, illum re ipſa ſuſcipere in dies,& annos protrahebant. Hoc certe plerumque ſine peccato contingere non poteſt; ſicut ſi quis de peccatis commiſſis contritionem haberet, & tamen habita confeſſarii copia Sacramentalem confeſſionem omitteret.

65. Sed jam Eccleſiæ praxis in non ſervanda cum iis, qui ſine baptiſmo receſſerunt, communione, aliquid à nobis dicatur, expoſtulat; De hujuſmodi praxi nihil certi definire poſſumus; fuit enim quædam diſciplina, quæ in aliqua Eccleſia ſervata uno modo fuit, in alia, diverſo; Certe ſub eximio illo Præſule Ambroſio inter Catechumenos, qui obierunt, & inter Eccleſiam habita communio eſt, ut conſtat ex pluries laudata oratione pro Valentiniano, pro quo & preces & ſuffragia obtulit, necnon offerri præcepit; Idem tenuit etiam Eccleſia Carthaginenſis in Concilio 4. ann. 398. can. 79. Idem Arelatenſis in Concil. celebr. ann. 452. Idem Hiſpanica in Concil. 11. Toletano ann. 675. Quæ vero diſciplina fuit à Leone, & Gelaſio inducta, ab ipſa Eccleſia Romana ſæculo ſexto fuit mutata; & ſicut plures, qui in hæreſis ſuſpicione mortui fuerant ex fidelium albo delere incæpit, ita cum pœnitentibus, qui nondum abſolutionem acceperant, incæpit communicare, ut conſtat in Concilio 6. & non omiſit Innoc. III. extra, *De ſententia Excommunicationis* cap. 28.

66. Negamus tamen abſolute, ideo iis, qui ſine baptiſmo deceſſerant, vel ſine reconciliatione, communionem Eccleſiæ negatam eſſe, quia exiſtimatum fuerit, votum baptiſmi, vel pœnitentiæ una ſimul cum contritione pro ſalute obtinenda non ſufficere; ſed id actum eſt, ut majori ſtudio, illius pœnæ timore, ad baptiſmum ſuſcipiendum, & reconciliationem obtinendam adducerentur.

ARTICULUS VII.

Quid ſentiendum de Baptiſmo Sanguinis.

67. Baptiſmus Sanguinis ad Martyrium ſpectat; & quamvis hoc ſanguinis nomine ſignificetur, attamen neceſſe non eſt, ſanguis effundatur, ſed ſufficit mors pro Chriſto tolerata, ſive per enſem, ſive per funem, ſive per ignem, ſive quovis alio modo; & revera Eccleſia plures Martyres colit, qui tamen ſanguinis effuſione non obierunt. Potuit autem Martyrium ba-

baptiſmus appellari, cum ſic fuerit ab ipſo Chriſto appellatum dicente Marci 10. *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum, aut baptiſmo, quo ego baptizor, baptizari?* & Luc. 12. *Baptiſmo habeo baptizari, & quomodo coarctor, uſque dum perficiatur.*

68. De hoc Martyrio perperam olim ſenſerunt Gnoſtici, & Valentiniani, aſſerentes nullum in ipſo meritum relucere, nullo pacto eſſe commendandum, nec in aliquo caſu eſſe præceptum; imo Tertullian. lib. Scorpiaci cap. 1. refert, eos dixiſſe, non ſolum ſimplicitatem, & vanitatem, ſed etiam ſtultitiam eſſe mori pro Chriſto.

Perperam etiam, ut in aliis ſolent, alii ſenſerunt hæretici, inter quos Kemnitius in 2. par. exam. Conc. Trident. & Ilyric. centur. 5. cap. 4. col. 517. qui approbant quidem baptiſmatum diviſionem, attamen docent, per Martyrium peccata dimitti per ſolam fidem, qua Martyr, dum pro Chriſto patitur Chriſtum apprehendit; non verò eo modo, quo dimittuntur per baptiſmum fluminis; in quo tamen parum ſibi conſtant, cum per ipſos, ubicumque juſtificatio contingit, tantum per fidem contingat.

69. Si vero Catholicorum opiniones perpendamus; diſputant iſti, an Martyrium conferat gratiam ex opere operantis, vel ex opere operato, ſicut evenit in baptiſmo collato per aquam. Dominicus Soto, & Martinus Ledeſm. in 4. diſ. 3. qu. unica art. 11. primum docent, nec majorem gratiæ gradum, quam poſtulet Martyris charitas, conferri defendunt; Hoc quidem de adultis ſtatuunt; ſed de infantibus, qui pro Chriſto occiſi ſunt, vel occidi poſſunt, quid ſtatuendum? Armacanus lib. 8. de quæſtion. Armenorum cap. 37. loquens de pueris ab Herode ſublatis, aſſerit, eos tantum ſalvos factos eſſe, qui jam erant circumciſi, & videtur favere Adrian.; Cardinalis vero de Vitriaco lib. Hiſt. Occident. cap. 36. affirmare non dubitat, parvulos Chriſtianorum non baptizatos, ſi in Chriſti odium à Judæis, vel Paganis occiderentur, non ſalvari.

70. Dicendum tamen eſt, Martyrium, ſeù baptiſmum ſanguinis, tam in infantibus, quam in adultis, ex opere operato gratiam cauſare, & baptiſmum aquæ perfecte ſupplere.

Ad hoc probandum nonnulli afferunt S. Th. 3. p. qu. 87 art. 1. ad 2, aliſque in pluribus locis, deinde ex ejuſdem teſtimoniis inferunt, quod à nobis ſtatutum fuit; optimè quidem inferunt, ſed ab iis Doctoribus alia momenta deſiderarem; Quamvis enim S. Th. auctoritas maximi habenda ſit, attamen ex ejuſdem teſtimoniis non oportet paginas implere, cum & ejus dicta ab aliquibus negari poſſint, & alia efficaciora argumenta non deſint:

71. Aliter igitur probanda aſſertio eſt; & primo de infantibus, in quibus certe gratia cauſari nequit ex opere operantis, cum inepti ſint, cauſatur tamen; ergo ex opere operato. Aſſumptio melius probari non poteſt, quàm exemplo parvulorum, qui pro Chriſto Herodis juſſu occiſi ſunt; Hos tanquam Sanctos univerſa veneratur Eccleſia, atque velut Martyrum flores primitiaſque proponit in illo Hymno. *Salvete flores Martyrum... Vos prima Chriſti victima.* Neque inter iſtos ulla eſt diſtinctio, ſive prius circumciſi fuerint, Si autem de illis, quia pro Chriſti necati ſunt, dictum eſt; cur idem dicendum non foret de illis, qui in Evangelica lege pro Chriſto, ſeù in odium Chriſti occiderentur? Nunquid Chriſti meritum, in quo ſemper martyrium efficaciam habuit, in nova lege imminutum eſt?

72. Quod vero de infantibus illis cum Eccleſia nos ſentimus, ſæculis omnibus ſenſerunt & Patres. Cyprian. in ſerm. de Stella & Magis in fine ſic loquitur: *Tyrannus crudelis illuditur, qui dum putat perdere, quos occidit, melioris vitæ ſtatum eis procurat. Ætas non-*

dum

dum habilis ad pugnam, idonea extitit ad coronam. Origen. homil. 3. in varia Evangelii loca ait: *Horum memoria ſemper, ut dignum eſt, in Eccleſia celebratur ſecundum ordinem integrum Sanctorum, ut primorum Martyrum pro Domino occiſorum, ut ipſa Bethelem, in qua natus eſt Dominus, primitias Martyrum Domino obtuliſſe videatur*. S. Auguſt. lib. 13. de Civit. cap. 7. non diſtinguit inter parvulos, & adultos, generatim dicit: *Quicumque etiam non percepto generationis lavacro pro Chriſti confeſſione moriuntur, tantum eis valet ad dimittenda peccata, quantum ſi abluerentur ſacro fonte baptiſmatis. Qui enim dixit: Si quis renatus non fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, alia ſententia illos fecit exceptos, ubi non minus generaliter dixit: Qui me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo; & alio in loco. Qui perdiderit animam ſuam propter me, inveniet eam*. Tandem, ut alios omittam, diſertis verbis hoc tradit Bernardus ſerm. de Innocent. ubi etiam rejicitur ſententia eorum, qui dicebant, ſolos pueros circumciſos fuiſſe ſalvatos; hæc ſunt ipſius verba. *Ille pro Chriſto trucidatos infantes dubitet inter Martyres coronari, qui regeneratos in Chriſto non credit inter adoptivos filios numerari. Alioquin quomodo coævos ſibi pueros puer ille, qui natus eſt nobis, non contra nos, pateretur occidi, quod utique ſolo nutu poterat prohibere; niſi melius aliquid eis provideret? ut quemadmodum cæteris infantibus tunc quidem circumciſio, nunc vero baptiſmus ſine ullo propriæ voluntatis uſu ſufficit ad ſalutem; ſic nihilominus pro eo ſuſceptum Martyrium illis proficeret ad ſanctitatem*.

73. Nunc idem de adultis ſupereſt oſtendendum; atque in primis gratiam conferre declaratur ex illis textibus, quibus Mat. 1. dicitur: *Qui me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo*. Et Marci 8. *Qui perdiderit animam ſuam propter me &c.* Hoc tamen magis demonſtrat Eccleſiæ praxis, cum pro iis, qui pro Chriſto martyrio ſublati ſunt, nec preces nec ſuffragia offerat Deo; imò ipſorum precibus fideles omnes commendentur; Unde eſt illud Auguſt. ſer. 27. de verbis Apoſtoli tract. 84. in Joan. *Injuria eſt pro Martyre orare, cujus nos debemus orationibus commendari, certavit enim contra peccatum, uſque ad ſanguinem*.

74. Hoc quod Eccleſia ſemper tenuit, fuit ſemper etiam à Sanctis Patribus traditum. Clariſſima ſunt teſtimonia Cypriani, Gregorii Nazianzeni, Cyrilli Jeroſolymitani, Ambroſii, Auguſtini, aliorumque. *Nunquid poteſt vis baptiſmi eſſe major, aut potentior, quàm confeſſio? quàm paſſio? ut quis coram hominibus Chriſtum confiteatur, & ſuo ſanguine baptizetur?* Ait Cyprian. epiſ. 73. ad Jubajan. *Quale delictum eſt, quod nec baptiſmo ſanguinis poteſt ablui? quale crimen eſt, quod nec martyrio poteſt expiari?* inquit idem in illa verba orationis Dominicæ: *Dimitte nobis debita noſtra*. Cyrilli Jeroſolymitani cathec. 3. verba ſunt iſta: *Si quis non baptizatur, ſalutem non habet; præter ſolos Martyres, qui vel ſine aqua regno cœleſti potiuntur*. Auguſtinus vero lib. 1. de Anima, & ejus origine cap. 9. inquit: *Nemo fit membrum Chriſti, niſi aut baptiſmate in Chriſto, aut morte pro Chriſto*. Et 13. de Civit. cap. 7. *Quid pretioſius, quam mors, per quam fit, ut delicta omnia dimittantur?* Non attuli Nazianzenum, & Ambroſium, ſed legatur ille orat. 39. iſte vero ſerm. 3. in pſal. 118. Tertullianus etiam manum daret in Apologet. lib. de baptiſm. cap. 16. nec non in Apologet. in fine.

75. Ex his porro ſatis manifeſtum fit, gratiam per martyrium conferri etiam ex opere operato. Ea enim omnia, quæ tribuuntur baptiſmo fluminis, conceduntur etiam à Patribus baptiſmo ſanguinis; imo magis energice de hoc, quam de illo loquuntur; Commoriuntur

tur Chriſto, qui per aquam baptizantur, commoriuntur & Chriſto, qui per ſanguinem; illorum mors in figura eſt, horum etiam in re. Non hæc eſt ſententia mea, ſed Patrum; Clemens enim Papa lib. 5. Conſtit. cap. 7. hæc habet: *Qui martyrium conſequi meruit, gaudeat in Domino; quod tantam coronam eſt adeptus, & quamvis fuerit Catechumenus, lætus diſcedat; paſſio enim, quam pro Chriſto ſuſtinet, cedet ei in veriorem baptiſmum, quoniam ipſe re ipſa commoritur Chriſto, alii in figura*; quod & tradidit Cyprianus præfat. in lib. de exhortat. martyrii dicens: *Nos, qui, Domino permittente, primum baptiſma credentibus dedimus, ad aliud quoque ſingulos præparemus, inſinuantes & docentes, hoc eſſe baptiſma in gratia majus, in poteſtate ſublimius, in honore præſtantius; Baptiſma, poſt quod nemo jam peccat, baptiſma, quod fidei noſtræ incrementa conſummat; Baptiſma, quod nos de Mundo recedentes ſtatim Deo copulat. In aquæ baptiſmo accipitur remiſſio peccatorum, in ſanguinis, corona virtutum.* Quare ſi baptiſmati in aqua ex opere operato gratiam conferre concedimus, etiam baptiſmati in ſanguine concedamus.

76. Et profecto, ſi tantum operi operantis, ideſt fidei, & charitati hujuſmodi gratia tribuenda foret; Quid eſt, quod Eccleſia, ut aliquos Confeſſores Sanctorum albo adſcribat, eorum virtutes ad examinis & inquiſitionis trutinam vocat; ſi autem conſtet, aliquem pro Chriſto occiſum eſſe, ſtatim honorandum, ac colendum exponit? Nunquid aliqui non fuerunt ex Confeſſoribus, qui majori ac diuturniori in Deum charitate flagrarunt? Dices fortaſſe, Martyrum charitatem ex paſſionis tolerantia manifeſtam effectam eſſe; Si hoc dicis, martyrii igitur meritum in paſſionis tolerantia agnoſcis; At quot, præter Martyres, majora paſſi ſunt, nec tamen iis tis conceditur, quod Martyribus? Quid etiam tantum tribues paſſioni? an non conſtat, aliquos prius ſceleſtiſſimos fuiſſe, pro quorum criminibus non erat ſufficiens ſatisfactio mors ipſa in martyrio tolerata? & tamen iſti ſtatim juncti ſunt Chriſto; Fatearis igitur oportet, ex opere operato id præſtitum eſſe.

77. Fatemur tamen, aliquas diſpoſitiones prævias in adulto requiri, ut baptiſma ſanguinis ſuo effectu non careat; nec mirum hoc eſſe debet, cum etiam requirantur, ut baptiſma fluminis gratiam conferat baptizatis. Si autem à me petas, quænam conditiones requirantur.

Dico primo requiri, quod, ſi quis imminens prævideat ſubeundi martyrii periculum, & non deſit baptiſmi in aqua ſuſcipiendi commoditas, illum debet recipere; eſt enim præceptum ad illum obligans; martyrium autem, utpote actus perfectus, & ex charitate progrediens, à præcepto non excuſat; & ſi quis aliter ſe gereret, eſſet baptiſmi contemptor, unde peccaret, & in hujuſmodi voluntate perſeverans, ad ſuſcipiendam martyrii gratiam fieret ineptus.

78. Secundo requiritur; accedentem ad martyrium præterita deteſtari peccata, & attritionem ſupernaturalem, ſeu amorem initialem ſaltem habere; innuit hoc Apoſtolus Paulus 1. ad Cor. 13. dicens: *Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.* Unde D. Th. 3. par. quæſt. 66. art. 12. ad 2. *Effuſio ſanguinis non habet rationem baptiſmi, ſi ſit ſine charitate.* Quod & tradidit Trident. ſeſs. 14. cap. 4. ubi ſtatuit, fuiſſe contritionem quovis tempore neceſſariam ad impetrandam veniam peccatorum.

Fuerunt tamen, & ſunt plures Theologi aſſerentes, neceſſariam eſſe charitatem perfectam, veramque contritionem; Horum ego ſententiæ non ſubſcribo; Primo, quia, ut ſuperius juxta Patres oſtendimus, major prærogati-

gativa ac dignitas conceditur baptiſmo ſanguinis, quam baptiſmo fluminis; ſed pro hoc non requiritur perfecta charitas, nec vera contritio; ergo neque pro illo, & ſi velint oppoſitum, dicant etiam neceſſum erit, aquæ baptiſmum per martyrium non ſuppleri. Secundo, quia, ſi neceſſaria foret perfecta charitas, & ſtricta contritio, nec ita facile ſuſtineri poſſet, martyrium ex opere operato gratiam conferre; quia gratia collata tribui poſſet charitati, & contritioni; nec Eccleſia poſſet Martyres, ſtatim ſanctos, & gloriæ ſociatos declarare, cum perfectæ charitatis & contritionis actus non conſtet etiam ex morte, conſtat vero ſaltem actus attritionis. Tertio, quia, martyrio eſt promiſſa gratia ultra meritum operantis juxta ſenſus adductos: *Qui me confeſſus fuerit, &c.* illam igitur conferet obicem non ponenti, imo peccatum ſupernaturaliter retractanti; ſed ita ſe habet attritus; ergo illam attrito conferet: & ſi hoc non eſſet; uterer Cypriani argumentatione. Si baptiſmus ſanguinis, inquit ipſe, non poteſt hæretico prodeſſe, nec poteſt baptiſmus aquæ; ergo, inferrem ego, ſi baptiſmus ſanguinis non poteſt attrito prodeſſe, nec poteſt baptiſmus aquæ, hoc ſecundum eſt falſum; ergo & illud; quæ fuit noſtra prima ratio, cui multum fidimus.

Nec dicat Roſignolus cum cæteris; gratiam conferre homini attrito convenire tantum Sacramentis mortuorum; etenim hoc abſolute eſt verum, non tamen, ſi poſſit haberi id, quod ipſa Sacramenta ſuppleat, & cui, ſicut illis gratia promiſſa eſt; ſicut ſe habet martyrium: & eadem ratione negari poſſet, martyrium conferre gratiam ex opere operato, quia modus iſte gratiam conferendi tantum convenit Sacramentis.

79. Tertio requiritur, tot eſſe cruciatus, ut inde mors pro Chriſto ſubſequatur; definitur enim martyrium mors pro Chriſto tolerata. Sed hic poteſt excitari dubium, an qui vulnus lethale pro Chriſto receperit, & divina protegente ope adhuc viveret, poſſet dici martyr. Videtur affirmative concludendum; dummodo tamen poſt illud lethale vulnus à Dei gratia non decidat; tunc enim fuiſſet fruſtranea præterita paſſio, quamvis ſi per pœnitentiam deperditam gratiam recuperaret, etiam martyrii meritum iterum acquireret; ſicut conſtat de meritis aliis. Moveor ad hoc dicendum, quia S. Joannes Evangeliſta, qui à ferventis olei dolio illæſus exivit, & poſtea tamdiu vixit, tanquam Martyr ab Eccleſia colitur, & exiſtimatur; Magis hoc patet in Beatiſſima dilectiſſima Virgine, quæ Martyrum Regina prædicatur; nec tamen à perſecutoribus ſublata fuit. Sed de hac re diuturniorem quæſtionem locus iſte non poſtulat.

80. Quarto requiritur, mortem ſuſtineri ex motivo honeſto, & Religionis; Si quis enim ex inanis gloriæ deſiderio illam ſubiret, non Chriſti, ſed Diaboli Martyr cenſendus eſſet: Dum dico autem ex motivo honeſto, & Religionis, non coarcto martyrium ad ſolius fidei directam, & immediatam confeſſionem; ſed etiam illud extendo ad defenſionem cujuſcumque virtutis, ut caſtitatis, & immunitatis Eccleſiaſticæ, &c. hæc enim in illis circumſtantiis à fidei motivo nequaquam ſecernuntur; Hoc manifeſtum eſt in S. Joanne Baptiſta, qui ab Herode fuit decollatus, quia ejus adulteria redarguebat; in S. Agatha, quæ de ſe ipſa dixit, propter fidem caſtitatis juſſa ſum ſuſpendi, &c. in S. Joanne Neopomuceno, qui, ut ſacramentalis confeſſionis ſecreta ſervaret, demerſus eſt; in S. Thoma Cantuarenſi, qui, &c.

AR-

ARTICULUS VIII.

Refelluntur argumenta contraria.

81. OP. 1. Infantes incapaces ſunt martyrii; ergo in ipſis martyrium nullam gratiam cauſare poteſt; ant. oſtenditur, quia virtutes, à quibus martyrium progreditur, ſunt charitas, & fortitudo; at infantes ſunt utriuſque incapaces; igitur & martyrii, nec unquam Chriſtus alicui ſalutem, regnumque Cœlorum promiſit, niſi illis, qui renati ſunt ex aqua, & Spiritu Sancto.

Reſp. ne. ant. ad prob. martyrium eſt actus charitatis & fortitudinis loquendo de adultis, in parvulis autem eſt opus fortitudinis, non ex parte ſubjecti, ſed objecti, ideſt pœnæ & mortis in odium Chriſti. Ad additum; Qui dixit: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, &c.* dixit etiam: *Qui perdiderit animam ſuam propter me, inveniet eam, & ſalvam faciet eam.* Quod eſt argumentum Auguſtini à nobis adductum num. 72. ideo propoſitio eſt falſa.

82. Op. 2. Martyrium eſt actus perfectiſſimæ charitatis, *majorem dilectionem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis*, ait Chriſtus Joan. 15. cauſatur igitur gratia ex opere operantis, ideſt ex propria charitate.

Reſp. ant. non ſemper eſſe verum ex parte ſubjecti, ſed ex parte objecti; hoc præſertim valet juxta ea, quæ diximus num. 78. nam etſi Martyr haberet tantummodo attritionem ſupernaturalem; adhuc per martyrium ſalvus fieret, ipſique non ſolum culpa, ſed etiam tota pœna dimitteretur: Porro ex hoc alia reſponſio non deeſt; etenim aliquis ſine martyrio habere poteſt majorem charitatem, quam ipſe Martyr, & tamen illi tota non dimittitur pœna, ſicut iſti; igitur ex opere operato agit martyrium. Sapienter ait S. Th. in 4. diſt. 4. qu. 3. art. 4. ad 1. *Baptiſmus ſanguinis non habet hoc tantum ex opere operantis, neque quantum ad pœnam, qua aliquis martyrium explet, quam contingit, non eſſe ſufficientem ad ſatisfaciendum pro peccato, neque quantum ad devotionem juſtæ voluntatis, quia contingit, quod voluntate majori charitate informata aliquis ſine martyrio non poteſt ab omni pœna liberari; ſed hoc habet ex inſtitutione paſſionis Chriſti; unde de Martyribus dicit Apocalypſis; laverunt ſtolas ſuas in Sanguine Agni.*

83. Op. 3. Si Martyrium ex opere operato primam gratiam cauſaret, non eſſet neceſſe, ut qui martyrium ſubire debet, aut baptiſmum, & pœnitentiam in re ſuſciperet, ſi poſſet; aut ſaltem in voto baptiſmum, & pœnitentiam haberet; quia independenter ab illis juſtificari poſſet; atqui id dici non poteſt, cum juxta Concilium Tridentinum, baptiſmus non regeneratis, & pœnitentia poſt baptiſmum lapſis neceſſaria ſint neceſſitate medii; ergo. Hæc profecto fuit mens Sancti Cypriani, qui epiſ. 54. ad Cornelium, aſſerit, lapſos priùs reconciliandos eſſe, quam ad martyrium ſubeundum prodeant: *Neque quiſquam dicat*, ſunt verba Cypriani, *qui martyrium tollit, ſanguine ſuo baptizatur, nec pax illi ab Epiſcopo neceſſaria eſt habituro gloriæ ſuæ pacem, & accepturo majorem de Domini dignatione mercedem.*

Reſp. Juvenin concedit maj. neg. min. afferens Auguſtini textum de quo nos num. 72., & inquit, quod cum Patres baptiſmum ſanguinis à baptiſmo fluminis ita diſtinguant, ut diverſam ab eo ſpeciem conſtitui judicaverint, independenter à baptiſmatis voto operari cenſuerunt; ego tamen nego majorem propter dicta num. 77. atque hoc eſt id, quod evincitur ex Cypriani teſtimonio; Jam nos diximus nonnullas diſpoſitiones requiri; & quamvis in illis, qui priùs baptizati eſſent, & Sacramento reconciliati primam gratiam non produceret martyrium, produceret tamen ex opere operato augmentum gratiæ.

84. Op.4. Si martyrium produceret gratiam ex opere operato, non ſeptem, ſed octo eſſent Sacramenta; eſſet enim ſignum ſenſibile ex ſe gratiæ operativum; ſed hoc non eſt dicendum; ergo. Præterea; ſi gratiam ita producit, aſſignare debemus, quando illam producat; vel enim producit in voluntate ſupernaturali ſubeundæ mortis præſentis pro Chriſti fide, & ante ipſam mortem; vel in ipſa morte, vel ſtatim poſt mortem; non primum; alioquin à gratia martyrii excideret, qui in illa non perſiſteret voluntate, ut pluries evenit; non ſecundum, quia quod ex opere operato producitur, debet eſſe perfectum, & in facto eſt, ut dicunt; non tertium, nam perfecta morte, homo non eſt capax alicujus gratiæ, vel peccati. Igitur quo pacto id explicabimus?

Reſp.Si amplecteremur doctrinam, quam tradit Major, nempe baptiſmum ſanguinis eſſe Sacramentum; nec tamen augeri numerum Sacramentorum, quia continetur ſub eodem baptiſmo, eo modo quo plures ordines continentur ſub eodem Ordinis Sacramento; primum argumentum corrueret; Hoc tamen nullo pacto admittere poſſum; etenim martyrium, & baptiſma ſanguinis priùs fuit, quam fuerit baptiſma fluminis, ut conſtat in innocentibus, & Machabæis, qui inter Martyres ab Eccleſia recenſentur; nego igitur majorem, & quamvis ſit ſignum ſenſibile ex ſe gratiæ productivum, attamen Sacramentum non eſt, cum nec habeat determinatam materiam, nec determinatam formam, nec conferatur à Miniſtris Chriſti, ſed à Miniſtris diaboli, ut ſunt carnifices, & noſtræ fidei perſecutores: nihilo tamen minùs gratiam ex opere operato producit propter Chriſti promiſſionem, & quando dicimus ſupplere baptiſmum fluminis, hoc non aſſerimus quantum ad eſſe Sacramenti; nec enim imprimit characterem; ſed ſolum quantum ad effectum remittendi culpam, & pœnam.

Ad ſecundum; Variæ ſunt Theologorum ſententiæ. Aliqui dicunt, gratiam conferri, cum primo inferuntur tormenta, ſeu lethalia vulnera, quæ ſunt præter miraculum mortis inductiva; ita Vega lib.6. in Conc. Trident. Henriq. lib. 1. cap. 39. num. 1. Suarez 3. p. diſp.29. ſect.3. & favet Leſs. lib.3. c. 1. dub.5. Aliqui exiſtimant, tunc gratiam produci, quando eſt mortis inſtans, ideſt primum non eſſe hominis; quia tunc martyrium conſummatur; Hoc tribuitur Cajetano 2. 2. q.124. art.4. Aliqui tandem docent, gratiam conferri in mortis inſtanti, quod tamen non ſit primum non eſſe hominis, ſed ultimum. Nos vero quid ſentimus? dicimus in hac re ſubtilius, & moroſius non eſſe inveſtigandum: arbitror tamen, tenendum eſſe, gratiam eo temporis inſtanti conferri, in quo licet non ſit mors, attamen agonis Chriſtiani certamen conſummatur. Prior tamen ſententia mihi prorſus arridet; cum contra alias valida ſint argumenta, & ſatis obſcurè res explicetur; contrà hanc vero afferantur quidem nonnulla, ſed parum attendenda.

85. Primum eſt, quia ſi per lethale vulnus de ſe mortis inductivum martyrium gratiam produceret, jam vulneratus poſſet pro tempore poſteriori peccare, & ſic poſt acceptam gratiam martyrii damnari, quod videtur incongruum.

Secundum eſt; Hominem hunc accepto lethali vulnere, per miraculum ſanari poſſe, ac diu poſt vivere; Quid igitur foret, ſi poſtea in peccatum incideret? eſſet Martyr, ut ſupponitur; non eſſet Martyr, quia effectum martyrii non obtineret; & ſi dicas, in gratia fore confirmandum; hoc gratis aſſeritur.

Hæc tamen nihil probant; & utrumque argumentum ad idem reducitur; & ad ſummum probatur, hominem poſtea privari poſſe gratia per martyrium collata, ſed quid mirum? nonne etiam privari poteſt gratia collata per Sacramenta?

ta? Advertas tamen nos loqui de illo vulnere, poſt quod naturaliter inevitabilis ſit mors; Unde, vel tunc Martyr eſſet ſenſibus, & libero deſtitutus arbitrio, & ſic peccare non poſſet; vel uti adhuc poſſet libertate uſque ad proximum mortis inſtans, & pro illo brevi ſpatio veriſimile eſt, fore in gratia confirmandum, ne peccaret; immo ſe in virtutibus aliis exerceret; atque hoc pacto gratiæ ex opere operato adderetur gratia ex opere operantis. Hoc etiam aſſero, ſi per miraculum ſanus evaderet, diuturnoque tempore poſtea viveret; non enim miraculum à Deo fit ut perdatur homo, ſed ut perfectior fiat homo; & cum Deus eum quodammodo revocet à beatitudine, quam infallibiliter conſequeretur, credi non poteſt, poſtea permiſſurum, ut peccet, & damnetur. Attamen quis conſiliarius Dei eſt?

86. Brevius ego dicerem; gratiam abſolutè martyrii conferri poſt tale vulnus acceptum; gratiam vero finalem martyrii conferri in animæ à corpore ſeparatione; Hæc autem ab illa diſtinguitur, & ideo poſt gratiam martyrii poſſet abſolutè damnari; quia licet fuerit collata gratia, nondum tamen fuit conceſſa finalis. Quapropter omnes ſententias conciliando, dicere poſſumus, duas alias eſſe veras de gratia finali & conſummata; priorem vero de gratia abſolute, & ſecundum ſe inſpecta.

Eſt quędam alia ratio, ut probetur, ad martyrium nullas prærequiri diſpoſitiones, cum tam efficax ſit in adultis, quam in parvulis; ergo ſicut in iſtis gratiam cauſat abſque aliqua diſpoſitione, ita in illis. Sed reſpondere pudet nonne baptiſmus tam efficax eſt in adultis, quam in parvulis? & tamen non in iſtis aliquas exigit diſpoſitiones, quia incapaces ſunt; ſed in illis.

87. Redeundo ad baptiſmi Sacramentum; quæres, quo præcisè tempore baptiſmus cæperit eſſe neceſſarius.

Reſp. id in hac re dicendum eſſe, quod de neceſſitate fidei Incarnationis dictum eſt in noſtro primo libro. Nempe incæpiſſe poſt ſufficientem Evangelii promulgationem, quando Apoſtoli Chriſti præceptum impleverunt, docentes, & baptizantes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Ratio eſt, quia quælibet lex poſitiva hoc ſibi poſtulat, ut non adſtringat, niſi quando promulgata poteſt ſufficienter cognoſci; hujuſmodi autem eſt lex baptiſmi: Quamvis enim ſemper neceſſarium fuerit ex Spiritu Sancto renaſci; attamen hujuſce nativitatis modus aliter fieri potuiſſet; & tantum poſt inſtitutionem vim legis accepit. Dum autem dixi, incæpiſſe poſt ſufficientem Evangelii promulgationem, loquor de incæptione univerſali; nam pluribus incæpit eſſe neceſſarius, ſtatim ac Apoſtoli poſt Pentecoſten cæperunt docere, & baptizare.

QUÆ-

QUÆSTIO II.

De Materia, & Forma Baptiſmi.

ARTICULUS I.

Quænam ſit materia Baptiſmi remota.

1. ALIAM eſſe materiam remotam, & aliam proximam Sacramenti Baptiſmi, fatentur omnes Theologi; modo de priori à nobis inquirendum eſt. In hac re plures hæreticorum errores fuiſſe, collige ex iis, quæ diximus artic. 3. præced. quæſtionis num. 29. & inferius nonnulla dicentur; Quare prætermiſſis pluribus aliis, quos legere licet apud Bellarmin. lib. 1. de Baptiſ. cap. 2. ſtatuendum eſt dogma Catholicum; quo docemur, ſolam aquam veram, & naturalem eſſe materiam baptiſmi remotam.

2. Hoc primo demonſtrandum eſt ex Chriſti inſtitutione, & præcepto: cum dixit Nicodemo; *Niſi quis renatus fuerit ex aqua*. Et cum miſit Apoſtolos dicentes: *Euntes docete &c. baptizantes &c.* quæ verba intelligenda de aqua vera ac naturali explicavit Paulus ad Epheſ. 5. *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & tradidit ſemetipſum pro ea, mundans eam lavacro aquæ:* ſed magis explicarunt tam Chriſti, quam Apoſtolorum facta. Dixerat jam Chriſtus Nicodemo: *Niſi quis renatus fuerit &c.* in eodem autem cap. refert Evangeliſta. *Poſt hæc venit Jeſus, & Diſcipuli ejus in terram Judæam, & illic demorabatur cum eis, & baptizabat. Erat autem & Joannes baptizans in Ennon juxta Salim, quia aquæ multæ erant ibi*. Ex iſtis compertum ſit, quod ſicut Joannes baptizabat in aqua, ita & Chriſtus in aqua baptiſmum conferebat; unde poſtea Joannis Diſcipuli conquerebantur. Apoſtoli vero, quando ad fidem converſos, proinde jam prædicatione edoctos baptizarunt? cum primo illis ſeſe obtulit naturalis aqua; Unde Act. 8. de Eunucho à Philippo inſtructo legitur: *Dum irent per viam, venerunt ad quandam aquam, & ait Eunuchus: Ecce aqua, quis prohibet me baptizari?* Philippus vero reſpondit; *Si credis ex toto corde, licet*; Et infra. *Deſcenderunt uterque in aquam Philippus & Eunuchus, & baptizavit eum*. Act. 10. dixit Petrus; *Nunquid aquam, quis prohibere poteſt, ut non baptizentur hi, qui Spiritum Sanctum acceperunt, ſicut & nos?*

3. Porro in Scripturis Sanctis teſtamenti veteris hæc aqua virtutis tantæ futurę in baptiſmo præſignata fuit à Prophetis; Legitur Ezech. 39. *Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus iniquitatibus veſtris*. Iſaię 1. *Lavamini, mundi eſtote*. Zach. 13. *Erit fons patens Domui David in ablutionem peccatorum*. Et quamvis hæc, vel ſimilia Scripturæ teſtimonia allegoricè poſſint, imo debeant, interdum intelligi; attamen figuræ erant, non quidem gratiæ, quæ omnibus temporibus neceſſaria fuit; ſed illius, quæ poſt Chriſti adventum tali, & non alio modo, conferri debebat; quod tamen amplius in argumentorum ſolutione declarandum erit.

4. Sed interea prætereundum non eſt; in ſenſum noſtrum omnes veteres Patres perpetua traditione deveniſſe. Nunquid afferam Cyprianum? Legatur iſte epiſ. 65. Nunquid Hieronym. Legatur iſte in Ezech. 39. & Iſaia 1., nec non epiſ. 83. ad Ocean. Nunquid Cyrillum? Legatur iſte in caput idem Iſaiæ; Baſilium hom. 13. Innoc. III. in cap.

cap. *In quadam*, de celebrat. Miſſarum non memoro, ſicut alios Pontifices, Patreſque, quos ipſi adverſarii memorabunt; In hac re tam obvia facilique, brevia Auguſt. verba producam, trac. 13. in Joan. ait: *Tolle aquam, non eſt baptiſmus*. Alterius ejuſdem teſtimonii alibi laudati te meminiſſe credo; *Unde tanta virtus aquæ ut &c.* Alia in hac re jam dicta ſunt; ſicuti & omiſſa non fuit Tridentini definitio ſeſſ. 7. can. 2. vide art. 3. præced. quæſtionis num. 32.

5. Quod autem dictum eſt de aqua naturali, ita intelligi debet, ut nulla alia hujus Sacramenti materies eſſe poſſit; atque ideo, cæteri quicumque liquores, ſive vinum, ſive cerviſia, ſive aquæ ex floribus, herbis, & fructibus, &c. nequaquam apta materia cenſeri debent: Sive tamen fuerit aqua fluminis, ſive maris, ſive quæcumque alia, quam elementarem appellamus, nihil intereſt; ejuſdem virtutis eſt aqua Tyberis, cujus erat Jordanis; & dummodò integra maneat aquæ natura, quæ tamen abluere poſſit, quidquid ipſi admiſceatur, idoneæ materiæ ratio non deſtruitur: Sacramenti tamen honor expoſtulat, ut neceſſitate non urgente, aqua lutulenta non uſurpetur; quemadmodum etiam ſummopere decet, ut aqua benedicta Miniſter utatur, in quo ſenſu ait S. Cyprian. epiſt. 70. ad Januar. *Oportet mundari, & ſanctificari aquam priùs à Sacerdote, ut poſſit baptiſmo ſuo peccata hominis, qui baptizatur, abluere*. Qua in re nonnulla dicemus, ubi de hujuſce Sacramenti cœremoniis in fine aliqua pertingemus.

6. Quamvis verò nulla intima poſſit afferri ratio, quare pro baptiſmate aqua fuerit à Chriſto Domino inſtituta; non paucæ tamen ſunt congruentiæ. Sacramentum hoc omnibus ſummopere neceſſarium eſſe debebat; Divina igitur charitas & bonitas manum ſuam contraxiſſet, ſi facilem, omnibuſque obviam materiam non determinaſſet: Per baptiſma Spiritus Sanctus, ejuſdemque virtus conferri debebat; in ipſo autem mundi exordio Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas; & qui olim per aquam terram à Cœlo diviſit, nunc animas à peccato, & inferno ſepararet; Vide ſapientiam Dei; ſed perſpicias etiam ſuavem modum, & quodammodo naturalem: Sordes corporis abluit aqua, per ipſam & abluantur ſordes animæ: Corporis ardor refrigeratur aqua, & ignis elementaris extinguitur; refrigeretur igitur & ardor concupiſcentiæ, nec non ignis gehennæ extinguatur.

7. Ex dictis jam apparet, quam immerito ab hæreticis intellecta ſint Scripturæ loca de aqua metaphorica, ſicut à nobis expoſitum fuit art. 3. præcedent. quæſt. num. 31., quorum dicta hic refellenda exiſtimamus. Per aquam in laudatis textibus non poteſt intelligi mortificatio, niſi ſumatur effectus aquæ, quia nimirum per aquam iſtam mortificantur peccata, & habetur reſurrectio virtutum per adjunctum Spiritum Sanctum, in quo ſenſu loquitur Baſilius lib. de Spiritu Sancto cap. 15., ubi ſupponens, ſignificari veram, & naturalem aquam, quærit, cur in baptiſmo aqua adjungatur Spiritui Sancto, & reddit rationem, quam nos attulimus. Per aquam non poteſt intelligi Spiritus Sanctus mundans adinſtar aquæ, ita ut Spiritus Sanctus analogice indicetur, ſiquidem in textu duo explicantur, nempe aqua abluens exterius, & Spiritus Sanctus per aquam abluens, & ſanctificans interius, quæve dici poſſent ex illo exemplo: *Ipſe vos baptizavit in Spiritu Sancto & igne*, in altera parte rejectum fuit; Illa etiam verba, *ex aqua, & Spiritu Sancto* copulative ſumenda ſunt, non quia non ſufficeret ex Spiritu Sancto ſolummodo naſci, ſed quia ita fuit à Chriſto inſtitutum; nec unquam à nobis aſſeritur, tantæ neceſſitatis aquam eſſe; quantæ Spiritus Sanctus eſt; nam Spiritus Sanctus ſine aqua ſanctificare poteſt, non autem aqua ſine Spiritu Sancto, qui tantum eſſe poteſt cauſa ſan-

ſanctificationis effectrix; effectricem dico, ut occurram alteri argumento, quo dicunt; Ita in verbis Joannis innuitur Spiritus Sanctus, ſicut aqua; ſed Spiritus Sanctus non eſt baptiſmi materia; ergo neque aqua. Multo minus approbari poteſt dictum Zuvinglii, illa verba exponentis de concione; conſtat enim ex dictis, homines prius edoctos fuiſſe, quam baptizatos, & rurſus quinam ſenſus eſſet? iſte certe; Euntes docete docentes; O præclarum dicendi modum. Quod vero aliquando baptiſmi nomen transferatur ad ſignificandam pœnitentiam, vel etiam martyrium, hoc fatemur; at hoc pacto non ſumitur in noſtris textibus;Unum enim ab alio diſtinguendum eſſe manifeſtum eſt: Jam ſi de parvulis agamus, cujus pœnitentiæ ſunt ipſi capaces? baptizantur tamen, & per aquam baptiſmatis ſalvi fiunt; ſi vero de adultis, pœnitentia quidem virtus neceſſaria eſt, tanquam prævia diſpoſitio, & conſtat, dixiſſe Petrum Act. 2. *Pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum*. Ubi pœnitentiam à baptiſmo diſtinguit. Quod denique dicitur de aqua, quæ fluxit de Chriſti latere, verum eſt de ſignificatione, non de re ſignificata: & paſſio Chriſti fuit quidem cauſa meritoria, ſine qua nullam virtutem haberet aqua baptiſmi; non tamen fuit baptiſmi materia.Quamquam, quid in hiſce, aliiſque ineptiis immorabimur? Satis pro nobis loquuntur Scripturæ, ſatis Patres: Aquam interdum metaphoricè ſumi poſſe, inficias non ibimus; ita ſumendam eſſe in re noſtra, hoc negamus.

8. Hic vero non ſunt aliqua prætereunda, quibus videtur, poſſe aliquando in caſu neceſſitatis etiam in alia materia baptiſma conferri. Primo opponuntur duo Pontifices, videlicet Siricius, & Stephanus II. Ille, de quodam Presbytero, qui in vino baptizaverat, ſic reſpondet: *Presbyter, qui in vino baptizat pro maxima neceſſitate, ut æger non periclitetur, pro tali re nulla ei culpa aſcribatur; infans vero ille, ſi in Sanctiſſima Trinitate baptizatus eſt, in eo baptiſmo permaneat*. Alius verò, & habetur tomo 6. Concil. Labbæi, Sirmondo, varia dubia proponenti, dicit: *Si in vino quis, propterea quod aquam non inveniebat, omnino periclitantem infantem baptizavit, nulla ei inde aſcribitur culpa, Infantes ſic permaneant in eo baptiſmo; Si aqua adſuit præſens, ille Presbyter excommunicatur, & pœnitentiæ ſubmittatur, quia contra canonum ſententiam facere præſumpſit*.

9. Reſp. Horum Pontificum reſponſa conficta eſſe, ac ſuppoſititia; & hoc pluribus ex cauſis. Primo; quia codices in quibus referuntur, aliqui tribuunt Siricio, aliqui Stephano. Secundo; quia Stephanus II. omnia reſponſa ſua auctoritate Leonis vel Innocentii confirmare ſolitus eſt; in hoc autem neminem producit. Tertio; quia in ipſo contextu loquendi modus eſt nimis improprius: nam primo ſermo eſt de infante baptizato; deinde ſermo uſurpatur in plurali. Quarto quia; Reliqui Pontifices, qui poſt Siricium, & Stephanum de eadem re egerunt, hujuſmodi reſponſionum nullam mentionem fecere; imo baptiſmum in alio liquore collatum omnes reprobarunt, ut Gregor. IX. & Innocent. III.

10. Refert etiam Joan. Moſchus in ſuo Prato ſpirituali; Judæum quemdam in itinere, ad extremas vitæ redactum anguſtias, ter ſuperfuſa in eum arena fuiſſe baptizatum; atque tam inſolita ſanctorum myſteriorum initiatione ſtatim convaluiſſe. Fuit igitur validum & efficax illud baptiſma; nec tamen fuit in aqua; Idem narrat etiam Niceph. lib. 3. Hiſtoriæ Eccleſiaſt. cap. 37.

Factum concedimus, validum vero fuiſſe baptiſmum negamus. Quod enim ſtatim convaluerit Judęus ille, non baptiſmo tribuas, ſed fidei: & re vera, ut laudati Scriptores affirmant; fuit poſtea ex Dionyſii Epiſcopi vel Alexandrini, vel Corinthii, vel Aſcalonitæ, juxta

juxta varias ſententias, juſſu baptizatus; quod factum nequaquam fuiſſet, ſi baptiſmus, in arena collatus, habitus fuiſſet validus.

ARTICULUS II.

De proxima Baptiſmi materia.

11. Materiam baptiſmatis proximam conſiſtere in actuali, & tranſeunte actione, qua baptizandus abluitur, nulla difficultas eſt apud Doctores; Sed quia hujuſmodi abluendi actio bifariam haberi poteſt, nempe per immerſionem, infuſionem, vel aſperſionem; ideo de hiſce agendum eſt, quæ quidem quæſtio potius ad eruditionem, quam ad neceſſitatem peragetur.

Triplici immerſione olim fuiſſe baptiſma collatum ex Chriſti exemplo, ex Apoſtolorum facto, ex Sanctorum traditione colligimus: Chriſtum in Jordane per immerſionem baptizatum fuiſſe, ſatis patet ex loco, in quo à Joanne baptiſmus conſerebatur, nempe in *Ennon, quia aquæ multæ illic erant*; ut ex Joan. 3. & Matth. cap. 3. ſcribit; *Baptizatus autem Jeſus, confeſtim aſcendit de aqua*. Ex hoc autem infertur etiam, Apoſtolos hoc pacto baptizaſſe; nam poſt Chriſti baptiſma cœperunt & iſti baptizare; legitur enim Joan. 4. quod *Jeſus plures diſcipulos faceret, & baptizaret, quam Joannes; quamquam non Jeſus baptizaret, ſed diſcipuli ejus*.

12. Si vero Patrum doctrinam, & monumenta in hac re perpendamus, tam ex græcis, quàm ex latinis nobis plures occurrunt: Jam teſtimonium Juſtini alibi adduximus, qui apol. 2. loquens de baptizandis, inquit, eos adduci, ubi aqua eſt, deinde in aqua lavari: Sanctus etiam Baſilius lib. de Spir. Sanct. cap. 27. dicens non ex ſcriptura, ſed ex traditione haberi, ter in baptiſmo hominem immergi; plane hanc trinam immerſionem ſupponit: Sanctus Joan. Chryſoſtomus hom. 6. in epiſt. ad Coloſ. comparans nuditatem, quam contraxit Adam per peccatum, cum nuditate, quam homo exhibet, cum ad baptiſmum accedit, inquit; *Hic nuditas, & illic nuditas. Sed illic quidem, cum peccaſſet, nudatus fuit, quoniam peccavit; hic autem nudatur, ut liberetur*. Clarius vero res iſta exponitur pro trina immerſione in can. 50. ex iis, qui Apoſtolici nuncupantur, in quo legitur; *Si quis Epiſcopus, vel Presbyter non trinam immerſionem unius myſterii celebret, ſed ſemel mergat in baptiſmate, quod dari videtur in Domini morte; deponatur*. His adde omnes rituales græcos, in quibus de hac immerſione fit ſermo; imò, ut notat Arcudius lib. 10. de Sacram. cap. 7., ne pueris aqua noceret, aquam calefactam adhibebant.

13. Sed amplius, & expreſſius locuti ſunt Patres latini. Tertullian. lib. contra Praxeam cap. 26. inquit; *Noviſſimè mandans*, ideſt Chriſtus; *ut tingerent in Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum; non in unum, nam nec ſemel, ſed ter ad ſingula nomina in perſonas ſingulas tingimur*. Et in lib. de corona militis cap. 3. *De hinc ter mergitamur &c.* S. Hieronym. in illa verba ad Epheſ. 4. *Unus Dominus, una fides, unum baptiſma* ait, *ter mergimur, ut Trinitatis unum appareat Sacramentum*. S. Ambroſius lib. 2. de Sacram. cap. 7. interrogatus es, credis in Deum Patrem omnipotentem? dixiſti, credo, & merſiſti: Iterum interrogatus, credis in Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, & in crucem ejus? dixiſti, credo, & merſiſti; Tertio interrogatus es, credis, & in Spiritum Sanctum? dixiſti credo, tertio merſiſti. Denique, ut cœteros prætercam, Gregorius Magnus lib. 1. epiſtolarum, epiſt. 43., ſic ſcribit: *Nos autem, quod tertio mergimus, triduanæ ſepulturæ Sacramenta ſignamus; ut dum tertio infans educitur, reſurrectio triduani temporis exprimatur*, & in ordine Romano cap. de Sabbato Sancto hæc leguntur. *Acce-*

Acceptis infantibus à parentibus, vel patrinis eorum, baptizant eos ſub trina immerſione, tantum Sanctam Trinitatem ſemel invocantes, ita dicendo: Ego baptizo te in nomine Patris, & mergit ſemel, & Filii, & mergit iterum, & Spiritus Sancti, & mergit tertio. De hac trina immerſione omnes, qui de divinis officiis inter latinos ſcripſerunt mentionem faciunt, ut Alcuinus, Amalarius, Walafridus Strabo, Fulbertus, Carnoten. Ipſe Magiſter ſentent. in 4. diſ. 3. littera I. immerſionem tantum commemorat, nullo vero modo infuſionem, ſeu aſperſionem; & tantum trinam; vel unam immerſionem approbat; ubi tamen unius immerſionis conſuetudo in aliqua Eccleſia eſſet inducta, afferens authoritatem Gregorii, de qua nos infra.

14. Non eſt tamen dicendum trinam hanc vel unam immerſionem fuiſſe exiſtimatam neceſſariam de jure divino, & ad valorem baptiſmi; ſed fuiſſe tantum conſuetudinem ab Apoſtolis derivatam, & de jure Eccleſiaſtico; Ideo potuit ab Eccleſia variari; & æque valide ac licite per infuſionem vel aſperſionem baptiſma conferetur. Viguit porro immerſionis conſuetudo ac præceptum uſque ad Sæculum 13. quamvis non ſemper trina adhiberetur, ſed unica tantum: nam cum Ariani in Hiſpania trina immerſione uterentur ad indicandam triplicem in divinis perſonis naturam; Tunc Catholici plures, ut ipſis ſe opponerent unicam immerſionem adhibere cœperunt; & cum de hac re contentio fuiſſet extorta, Leander Epiſcopus Hiſpalenſis ad Gregorium Magnum ſcripſit, ut quid agendum foret, conſuleret: Reſpondit autem Pontifex Summus. *De trina merſione baptiſmatis nihil reſponderi melius poteſt, quàm ipſi ſenſiſtis; quia in una fide nihil officit Sanctæ Eccleſiæ conſuetudo diverſa: Nos autem, quod tertio mergimus, triduanæ ſepulturæ etiam Sacramenta ſignamus, ut dum tertio infans ab aquis educitur, reſurrectio triduani temporis exprimatur: Quod ſi quis etiam forte pro ſummæ Trinitatis veneratione æſtimet fieri, neque ad hoc aliquid obſiſtit, baptizandum ſemel in aquis mergere; quia dum in tribus ſubſiſtentiis una ſubſtantia eſt, reprehenſibile eſſe nullatenus poteſt, infantem in baptiſmate vel ter, vel ſemel mergere; quando & in tribus merſionibus perſonarum Trinitas, & in una poteſt divinitatis ſingularitas deſignari: Sed quia nunc huc uſque ab hæreticis infans in baptiſmate tertio mergebatur, fiendum apud vos eſſe non cenſeo, ne dum merſiones numerant, divinitatem dividant; dumque quod faciebant, faciunt, ſe morem noſtrum viciſſe glorientur.*

15. Poſt ſæculum vero 13. non amplius per immerſionem vel trinam, vel unicam baptiſma conferri conſuevit, ſed per infuſionem ſeu aſperſionem; atque ideo dixi illam neque ad Sacramenti valorem, neque de jure divino fuiſſe neceſſariam; ſed quamdam fuiſſe Eccleſiacam cæremoniam, & quidem in baptiſmo ſolemni ſervandam. Baptiſmum omni tempore per aſperſionem collatum eſſe; ſi id neceſſitas, vel temporis anguſtia poſtularunt; dubitari non poſſe mihi videtur; Dum Act. 2. & 4. homines quinque mille una die fuerunt baptizati, omnes immerſos fuiſſe, non vero tantum aſperſos, quis ſibi perſuadeat? Cum etiam in privatis domibus, vel in carceribus, vel in via baptizabantur, certe ſolam aſperſionem adhibitam fuiſſe, nemo diſitebitur. De Sancto Paulo Act. 16. legitur, quod detentus in carcere cuſtodem baptizaverit cum omni familia ſua, & in vita S. Laurentii refertur, quod Militem, nomine Romanum, aqua ex urceo effuſa baptizavit. Baptiſmum etiam Clinicorum, per aſperſionem datum, varia concilia ratum habuerunt.

16. Hoc quidem etiam ji Patres, qui immergendo illum conferebant, arbitrati ſunt: S. Cyprianus, ad quem ſcripſit Magnus Africanus Epiſcopus, qui

qui dubitabat de valore baptiſmi per aſperſionem lib. 4. epiſtolarum epiſtola 7. ſic reſpondet: *Quæſiviſti Frater Chariſſime, quid mihi de illis videatur, qui in infirmitate, & languore gratiam Dei conſequuntur; an habendi ſint legitimi Chriſtiani, eo quod aqua ſalutari non loti ſunt, ſed perfuſi. Nos quantum concipit mediocritas noſtra, eſtimamus in nullo mutilari, & debilitari poſſe beneficia divina. Nec quemquam movere debet, quod aſpergi, vel perfundi videntur ægri, cum gratiam dominicam conſequuntur, quando Scriptura Sacra per Ezechielem Prophetam loquatur, & dicat: Et aſpergam ſuper vos aquam mundam &c.* S. vero Auguſtinus tract. 80. in Joan. ait: *Hoc verbum fidei*, nempe Sanctiſſimæ Trinitatis invocatio, *tantum valet in Eccleſia Dei, ut per ipſum credentem, offerentem, benedicentem, tingentem etiam tantillum, mundet infantem*.

17. Ratio autem horum omnium eſt, quia ablutio quidem inſtituta, ac præcepta eſt, non autem modus ablutionis, atqui ablutio haberi poteſt, ſive per aſperſionem, ſive per immerſionem, quamvis per hanc habeatur expreſſius; ergo. Minor manifeſta eſt; & præterea in ſcriptura innuitur; legitur enim Marci 7. de lotione manuum: *Niſi baptizentur, non comedunt*; & Luc. 11. *Phariſæus cœpit intra ſe reputans dicere, quare non baptizatus eſſet ante prandium*.

18. Si autem quæras, quare poſt tot ſæcula, quibus immerſionem adhibuit Eccleſia, hæc conſuetudo fuerit immutata. Reſpondeo: plures, eaſque juſtiſſimas rationes non defuiſſe. Primo propter tenellam infantium baptizandorum ætatem, quorum ſaluti nocere poterat immerſio: Secundo propter periculum, ne parvulus à Miniſtri manu forte delapſus, aquis extingueretur: Tertio, ut magis mulierum pudicitiæ conſuleretur, & minus Miniſtrorum oculi offenderentur, & à peccandi periculo mentes removerentur & corda, præſertim cum amplius in Eccleſia non vigeret Diaconiſſarum miniſterium.

19. Hic prætereunda non ſunt aliqua argumenta, quibus videtur, baptiſmum per aſperſionem, vel unicam immerſionem non valere: & primo occurrit canon ille, de quo num. 12. & quod amplius urget, eſt Concilium Conſtantinopolitanum 1. can. 7. jubens, rebaptizari Eunomianos, quia trinam immerſionem omittebant; quod & factum eſt à Pelagio II. in reſcripto ad Gaudentium damnante Bonoſiacos; quia unica immerſione baptizantes, contra Evangelium facere exiſtimavit.

Hæc omnia nihili facienda ſunt; Quod enim per canonem illum deponendus eſſet Epiſcopus, vel Presbyter, qui trinam immerſionem vel omitteret, vel, quod audacius eſſet, contemneret; quid mirum? Cuicumque omittenti, & contemnenti ritum & diſciplinam eccleſiaſticam hujuſmodi pœna poteſt imponi. Revera tamen in eo canone damnantur illi, qui unicam immerſionem adhibebant, qui baptizabant in nomine Chriſti mortui, & ad illius mortem immerſionem illam referebant; atque hoc manifeſtum fit ex verbis ejuſdem canonis, quæ ſequuntur, nempe: *Non enim dixit: In morte mea baptizate, ſed in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Quid etiam mirum, ſi in Concilio Conſtantinopolitano primo jubentur rebaptizari Eunomiani? Hæc eadem fuit ratio, non quia unica uterentur immerſione, ſed quia deficiebant in forma à Chriſto præſcripta; negabant enim trinam immerſionem, quia Trinitatis invocationem minime neceſſariam aſſerebant, ſed ſolum in Chriſti morte baptizabant; ita ex Theodoreto lib. 4. hæretic. fabul. cap. 3. Sanctus vero Epiphan. inquit, Eunomianos baptizaſſe *in nomine Dei increati, & in nomine Filii creati, & in nomine Spiritus Sancti ſanctificantis, & à Filio procreati*; ita hæreſi 76. ſed exiſtimo, 56. Propter idem

idem à Pelagio II. rejectum fuit baptiſma Bonoſiacorum.

20. Op. 2. Quod originem ducit à Chriſti præcepto, & Apoſtolica traditione ſpectat ad ſubſtantiam Sacramenti, nec ab Eccleſia mutari poteſt; ut omnes fateri debent: atqui baptiſmum conferri per immerſionem, originem ducit à Chriſti præcepto, & Apoſtolica traditione; ut probant Patres, præſertim Tertull. S. Hieronym. Baſil. &c. ergo.

Reſp. negando, ritum baptizandi per immerſionem à Chriſti præcepto deſcendere: & quando à Patribus hujuſmodi præceptum commemoratur, hoc referendum eſt ad neceſſitatem baptizandi ſimpliciter ſub invocatione SS. Trinitatis, non vero ad modum: Certe hoc præceptum aliunde Chriſti dici non poteſt, niſi ex Chriſti exemplo; at quot alia à Chriſto facta ſunt, quæ tamen præceptum non eſſe, omnes Catholici profitentur? Baptizatus eſt Chriſtus in aquis Jordanis; dicamus igitur in ſola Jordanis aqua baptiſmum poſſe conferri: conſecravit Euchariſtiam in azimo pane poſt Cœnam, eamque ſub duplici ſpecie Apoſtolis diſtribuit; dicamus igitur, conſecrationem in azimo faciendam, & poſt Cœnam ſub duplici ſpecie diſtribuendam eſſe ex Chriſti præcepto; ſtultiſſime id dicetur.

Quod vero pertinet ad Apoſtolicam traditionem, obſervandum eſt; alia eſſe tradita ab Apoſtolis tanquam Chriſti promulgatoribus; alia tanquam inſtitutoribus; in primo ſenſu dicebat Paulus 1. ad Corint. 7. *Præcipio non ego, ſed Dominus*; in 2. ibidem: *Dico ego, non Dominus*. In illis continentur ea, quæ ad dogmata pertinent, in quibus nulla fieri poteſt ab Eccleſia mutatio; In iſtis continentur ea, quæ pertinent ad ritus, & diſciplinam, quæ poſſunt ab Eccleſia, cum opportunum judicaverit mutari; Porro, cum Patres dicunt, baptiſmum per immerſionem ab Apoſtolica traditione deſcendere; non de primi generis traditione loquuntur, ſed de ſecundi; ideo, &c.

Sed quomodo, inquies, hujuſmodi traditiones diſcernere poterimus? quomodo? ex Patrum monumentis ex judicio Eccleſiæ, quæ eſt columna, & firmamentum veritatis.

21. Op. 3. De hujuſmodi baptiſmo per aſperſionem collato dubitarunt alii Patres; jam adductum fuit dubium Magni, qui ad S. Cyprianum ſcripſit; Reſpondit quidem Cyprianus, ſed quamvis cenſeat, baptiſmum valere, attamen locum dubitandi relinquit: nempe profert ſententiam ſuam, ut unicuique id facere permittat, quod magis placet; & ſi quis judicaverit, illud baptiſma effectum ſuum non habuiſſe, iterum baptizentur, qui prius fuerant per aſperſionem baptizati; ſic autem concludit epiſtolam: *Reſcripſi, fili cariſſime, ad litteras tuas, quantum parva noſtra mediocritas valuit, & oſtendi, quid nos, quantum in nobis eſt, ſentiamus; nemini præſcribentes, quo minus ſtatuat, quod putat unuſquiſque Prælatus*. Cornelius etiam Summus Pontifex, & cum eo Synodus Romana, baptiſmum per infuſionem datum Novatiano in lecto decumbenti reprobavit; ſcribens enim ad Fabium Antiochenum, narrat, Novatianum fuiſſe in lecto baptizatum, & concludit: *Si tamen hujuſmodi baptiſmum ſuſcepiſſe dicendus eſt*. Pergit deinde loquens de ejus ordinatione in Presbyterum, & dicit: *Non licere ſic baptizatos in Clerum aſſumi*, quod dicere non potuiſſet, ſi exiſtimaſſet, illum rite fuiſſe baptizatum.

Reſp. Quænam fuit Cypriani mens, à nobis dictum eſt num. 16. Quod vero nollet aliis quidpiam præſcribere, hoc ab ipſo factum non eſt, quia tantum probabiliter exiſtimaret, baptiſma per aſperſionem valere; ſed quia id ſemper fuit in more apud Cyprianum, ut licet firmiter alicui ſententiæ adhæreret, alios tamen in propria ſineret opinione. Manifeſtum eſt hoc ex iis, quæ in priori

parte

parte de Sacramentis à nobis dicta ſunt; Pro certo enim habebat, baptiſmum collatum ab Hæreticis nullum eſſe, & tamen in ſua ad Stephanum epiſtola in ſententia propria unumquemque relinquit.

Ad 2. Merito dubitavit Cornelius, non de baptiſmi illius ſubſtantia; nunquam enim in quæſtionem ipſe, & Synodus Romana adduxerunt, an Novatianus foret rebaptizandus, quod non eveniſſet, ſi tale baptiſma irritum, & inane exiſtimaſſent; ſed de baptiſmi effectu. Primo quia baptiſmum ſuſcepit non ex vera fide, & ſincero corde; ſed ex metu mortis. Secundo quia tunc moris erat, ut ſimul, cum baptiſmate reciperent adulti confirmationem, & Euchariſtiam; quod tamen nec tunc, nec poſt habitam valetudinem à Novatiano factum erat; Quod vero dicatur: *Non licere ſic baptizatos in Clerum aſſumi*. Hoc non ex invaliditate baptiſmi progrediebatur, ſed quia irregulares cenſebantur illi, qui in lecto decumbentes baptizabantur; ut conſtat ex can. 12. Synodi Neocæſar. & quia etiam non erant baptizati omni ritu, & ſolemnitate ab Eccleſia præſcriptis.

22. Op. 4. Ad valorem baptiſmi neceſſaria eſt invocatio expreſſa Trinitatis; atqui per trinam ſolam immerſionem, non per unicam, vel per aſperſionem habetur invocatio expreſſa Trinitatis; ergo.

Jam huic argumento reſponſum eſt, invocationem Trinitatis haberi, quomodocumque conferatur baptiſma ſive per trinam, ſive per unam immerſionem, ſive per ſolam aſperſionem ex parte formæ æqualiter expreſſam; quamvis habeatur expreſſius per trinam immerſionem ex parte uſus materiæ; hæc tamen major expreſſio non eſt neceſſaria ad ſubſtantiam Sacramenti, ſed tantum ex cœremonia eccleſiaſtica, quæ quamdiu viguit pręcepti ritum habebat: & ideo, quando vel in Patribus, vel in Pontificum ſanctionibus reperitur, ita requiri trinam immerſionem, ſicut requiritur invocatio Trinitatis, illa particula *ſicut* non eſt accipienda juxta æqualem neceſſitatem; ſed tunc loquuntur Patres, & ſtatuunt Pontifices ex ſuppoſitione conſuetudinis eo pacto baptizandi, contra eos qui baptizabant vel in nomine Chriſti, vel in nomine Domini: & revera Pelagius II. de quo ſupra num. 19. qui, prout refertur à Gratiano, in cap. *Multi* de conſecrat. diſt. 4. dixerat, neceſſariam eſſe trinam immerſionem cum invocatione Trinitatis; concludit in fine, baptiſmum ſine invocatione Trinitatis invalidum eſſe, & trinæ immerſionis nullam facit mentionem.

De ſervandi ritum in baptiſmate obligatione, necnon aliis aliquibus in fine tractatus nonnulla tradentur.

ARTICULUS III.

De Forma Baptiſmi.

23. IN hoc puncto multos errores effudit, & audivit antiquitas, quos ferme iiſdem verbis recenſent Juenin, & Tournely, & de quibus nos inferius dicemus, dum ea, quæ ad baptiſmi formam neceſſaria omnino ſunt, perpendenda examinabimus. 1. Inquirendo de forma Græcorum, & Latinorum. 2. De neceſſitate expreſsè invocandi omnes Trinitatis perſonas. 3. De neceſſitate proferendi etiam illa verba: *Ego te baptizo*.

§. I.

De forma Baptiſmi apud Græcos, & Latinos.

24. GRæci, dum aliquem baptizant, utuntur hiſce verbis: *Baptizatur ſervus, vel ſerva Dei N. in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Plures vero ex Scholaſticis noſtris, inter quos S. Thom. cenſent, ab ipſis nequa-

quaquam dici *baptizatur* ſed *baptizetur* non deprecativè, ſed imperativè, quod etiam tradidit Eugenius IV. in inſtructione quam edidit pro Armenis; nihilo tamen minùs ex Joanne Moſcho, qui ſcripſit ſeptimo ſæculo in ſuo Prato ſpirituali cap. 176. ex Arcudio, rituum Græcorum peritiſſimo, lib. 1. de Bapt. cap.8., ex Euchologio ipſorum Græcorum apud Goarium, à Græcis dici modo judicativo, *baptizatur* compertum habetur.

25. Ritum hunc antiquiſſimum fuiſſe ire nemo poteſt inficias, ſi perpendat, reperiri in omnibus ritualibus Græcis, & in laudato Euchologio, quod ultra ante mille annos exaratum eſſe non latet; nec non iſtius mentionem fieri apud veteres Scriptores, inter quos Theodorus Lector lib. 2. Collectaneorum refert, quemdam nomine Barbam ita baptizatum fuiſſe. *Baptizatur Barbas in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*; imò de ipſo expreſsè loquitur Chryſoſt. hom. 1. in acta Apoſtolorum, cujus verba mox recitabimus.

26. Cur autem ita ſe geſſerint, nec non ſe gerant Græci, non unica poteſt cauſa produci. Prima eſt, ne Miniſter videretur ſibi primariam baptizandi auctoritatem arrogare, quod indicavit Chryſoſt. laudata homil. expendens illa verba: *Vos autem baptizabimini non poſt multos hos dies*. Inquit autem: Non dixit: *Ego vos baptizo Spiritu Sancto, ſed baptizabimini, nos docens, ut modeſte de nobis ſentiamus*. Secunda eſt, quia tunc in pluribus orientis regionibus prævalebat Novatiana hæreſis, requirens fidem in Miniſtro; ideo ne Græci cum ipſa communicare aliquo pacto cenſerentur, Miniſtrum nominandum non eſſe, tutius exiſtimarunt: Tertia, ne videretur baptiſma à Miniſtro ſuam trahere virtutem, & fieret ſchiſma Corinthiorum, qui dicebant: *Ego ſum Pauli, ego ſum Cephæ &c.* Quarta denique, ne quiſpiam putaret, eſſe in Miniſtro vim remittendi peccata, & juſtificandi, juxta quod dixit Auguſtinus ſerm.99. de verbis Lucæ, perpendens illa verba dicta à Chriſto Magdalenæ: *Dimittuntur peccata tua. Medicus bonus ægros non ſolum præſentes ſanabat, ſed & futuros etiam prævidebat; Futuri enim erant homines, qui dicerent: Ego peccata dimitto, ego juſtifico, ego ſano quemcumque baptizo*.

27. Approbandam eſſe tamquam validam iſtiuſmodi formam, fateatur unuſquiſque; niſi ſe velit opponere uſui Eccleſiæ, quæ tali modo baptizatos, nunquam rebaptizavit, & Eugenio IV. qui in data pro Armenis inſtructione, poſtquam dixerit, formam baptiſmi eſſe iſtam; *Ego te baptizo &c.* addidit: *Non tamen negamus, quin & per illa verba: Baptizetur manibus meis talis ſervus, vel ſerva Dei in nomine &c. verum perficiatur baptiſma*.

28. Sed ſi perperam ſentirent Latini, ſi Græcorum formam velut invalidam reprobare vellent; ita perperam ſenſerunt illi Græci, qui propriæ formæ adeo tenaces ſe oſtenderunt, ut à Latinis baptizatos auſi fuerint rebaptizare: Error iſte refertur, & damnatur in Concil. Lateran. ſub Innoc. III. cap. 4. Quod ſi Innocent. IV. in cap. 1. de Baptiſmo negavit, baptiſmum collatum à Græco ſub forma Græcorum in Eccleſia occidentali legitimum eſſe, in hoc puncto erravit tamquam Doctor privatus; nec eſt audiendus. Etiam Albert. Magnus in 4. diſt. 3. qu. 2. ad 8. refert, Alexandrum III. reſpondiſſe, quoſdam in Dalmatia baptizatos in forma Græcorum, eo quod eſſent ſub regimine Eccleſiæ Romanæ, rebaptizandos eſſe; ſed obſervandum eſt, eam fuiſſe primam reſponſionem, quam re maturius ponderata mutavit.

29. Sed à Græcis ad Latinos revertamur; Jam notum eſt, in hiſce verbis horum formam ſitam eſſe. *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Hanc antiquam eſſe, ſicuti illam Græcorum ſupra demonſtravimus, ex veterum monumentis fatemur

mur ingenuè, oſtendi non poſſe: etenim pro quinque prioribus ſæculis in uſu fuiſſe verbum illud indicativum in prima perſona, nullum extat expreſſum teſtimonium; immo videntur opponi verba Joannis Chryſoſtomi, & Auguſtini à nobis laudata num.26. Sed quamvis ſcriptis teſtimoniis careamus; attamen ab antiquis illam traditam eſſe, fidem faciunt Gregor. Magnus in ſuo Sacramentario tit. 3. Eugen. IV. in Armenorum inſtructione; Rituale Roman. ſub Paulo V. ut prætercam Liturgiam Gallicanam à Mabillonio editam, & illuſtratam, nec non Venerabilem Bedam in lib. variarum quæſtionum, qu.14.

30. Hanc maxime convenientem eſſe ex ipſorum verborum conſideratione ſatis compertum habetur; Sic enim habetur expreſſa mentio tam cauſæ principalis, quam inſtrumentalis, quam ſubjectivæ: Exprimitur nomen Sanctiſſimæ Trinitatis;en cauſam principalem: dicitur *Ego*;en cauſam inſtrumentalem; dicitur *Te*; en cauſam ſubjectivam;

31. Neque terrere nos debent aut teſtimoniorum penuria, aut illa Chryſoſtomi, & Auguſtini dicta: etenim quantum ad primum; hæreticorum frequentia atque perverſitas ſollicitos tenebant Patres pro Trinitatis invocandæ neceſſitate, non pro verbis,quibus actio baptiſmatis exprimeretur. Potuiſſem tamen duo afferre; Unum ex Baronio ad ann. Chriſti 259. qui defendens acta Sancti Stephani Summi Pontificis, tanquam vera, ac germana, aſſerit; ab eo baptiſmum datum eſſe hiſce verbis; *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti baptizo te*. Aliud ex Sancto Gregorio Nazianzeno orat.40. ubi ait: *Baptizo te, docens in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*.

32. Quantum ad ſecundum, Chryſoſtomus congruentiam adducit ad indicandam Miniſtri modeſtiam; quæ tamen in Eccleſia Latina ſervatur; niſi ſe exiſtimet cauſam eſſe ſanctificationis, & baptiſmi primariam: Propter hoc Auguſtinus non damnat, dici à Miniſtro; *Ego te baptizo*; *Ego te abſolvo*; *Ego te confirmo*; ſed damnat perverſum Donatiſtarum dogma; qui exiſtimabant, Sacramentorum virtutem, & efficaciam, non à Chriſti meritis,ſed à Miniſtrorum virtute dependere; qui gloriabantur, ſe illos eſſe, qui peccata remitterent, & baptiſmi gratiam conſerrent: Procul mens iſta à Miniſtris Latinis, qui dicunt: *Ego te baptizo*; *Ego te abſolvo*.

§. II.

De neceſſitate invocandi expreſſe omnes Trinitatis perſonas.

33. DE hac re plures errores recenſeri poſſunt; quibus huic parti formæ vel plura addebantur, vel ſubtrahebantur. Refert Irenæus lib.1.c.18. Gnoſticos baptizaſſe in nomine ignoti Patris omnium; in veritate Matris omnium, & in nomine deſcendentis Jeſu ad unitionem, & redemptionem, & communionem virtutum; atque idem de Marcoſiis affirmant Euſeb.lib.4.Hiſt. cap.10.nec non Niceph.cap.4. Alii Apoſtolorum tempore baptizabant in tribus ſine initio, ſeu in nomine trium Patrum, vel trium Filiorum, vel trium Paracletorum; ut habetur in can. 49. Alii in Chriſti morte,ut in can.50.quem errorem ſecuti ſunt Eunomiani, Cataphrygę, & Paullianiſtæ, nec non plures Ariani; ut habetur ex can. 19. Concilii Nicæni, ubi præſcribitur, Paulianiſtas, ad Eccleſiam venientes, eſſe rebaptizandos; nec non ex Concilio Laodic. can.8. & Arelaten. primo.

34. Ex Catholicis verò fuerunt alii qui aſſerentes, ſufficere ad baptiſmi valorem implicitam Trinitatis invocationem; qualis eſſet iſta: *Ego te baptizo in nomine Chriſti*: Pro hac ſententia citatur Nicolaus Papa in cap. *A Quodam Judæo* de conſecr. diſt. 4. reſpondens, validum eſſe baptiſmum; ſi collatus fuit in nomine Trinitatis, vel Chriſti; atque

iſti

iſti plura Patrum dicta favere videntur, quæ poſtea afferentur. Ex Scholaſticis vero Mag. Sent. in 4. diſt.3. lit.E. habet hæc verba: *Nihilominus inſinuari videtur, verum baptiſmum dari poſſe in nomine Patris tantum, vel Spiritus Sancti tantum; ſi tamen ille, qui baptizat fidem Trinitatis teneat*; & aſſerit dumtaxat tutius eſſe, ſi tota Trinitas invocetur expreſsè. S. Th. vero ratum habuit baptiſmum Apoſtolorum, quem putavit datum in nomine Chriſti tantum, atque hoc ex Divina diſpenſatione, ut Chriſti nomen apud eos, qui ad fidem convertebantur, magis commendaretur. Et 3. par. qu.66. art.6. ad 1. ſic dicit: *Ex ſpeciali Dei revelatione Apoſtoli in primitiva Eccleſia in nomine Chriſti baptizabant; ut nomen Chriſti, quod erat odioſum Judæis, & Gentilibus, honorabile redderetur, per hoc, quod ad ejus invocationem Spiritus Sanctus dabatur in baptiſmo.*

35. Dicendum tamen eſt primo. Invocationem Trinitatis expreſſam neceſſariam eſſe ad formam baptiſmi.

Hoc primo declaratur, atque evincitur; quia Chriſtus fuit baptiſmi inſtitor; ideo illa forma abſolutè neceſſaria eſt, quam ipſe præſcripſit; & ſicuti materia mutari non poteſt, ita neque forma: Chriſtus autem præſcripſit, invocandam eſſe expreſsè & diſtinctè totam Trinitatem; dixit enim Mat.28. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*; hæc igitur verba abſolute neceſſaria erunt.

36. Atque ne ulla hiſce verbis detur explicatio; videamus oportet, quomodo illa Sancti Patres intellexerint; nec non univerſalis Eccleſia, quæ verbi Dei fidelis eſt cuſtos, ſemper acceperit. Certe, ſi de hac loquamur, nullum baptiſmum ratum agnovit, qui in expreſſa Trinitatis invocatione datus non fuerit; Hoc clare conſtat in Nicæno 1. contra Paulianiſtas; in Laodiceno contra Montaniſtas; in Arelaten. 2. contra Photinianos; in Conſtantinop. 1. contra Eunomianos, alioſque. Si vero ad Sanctos Patres mentem, calamumque convertamus; omnes ſeſe nobis exhibent; quorum tamen plures hic omittemus, pro ſecundæ aſſertionis probatione illos producturi. Nunc ſatis ſint ea, quæ ex Summis Pontificibus accepimus. Clemens lib.3. conſtitut. cap.16. inquit: *Nominans invocationem Patris, & Filii, & Spiritus Sancti baptizabis eos.* Clarius vero Pelagius relatus cap. *Si re vera* de conſecr. diſt.4., ad Gaudentium Epiſcopum ſic ſcribit. *Si hi, qui in locis dilectionis tuæ vicinis commorari dicuntur, ſe ſolummodo in nomine Domini baptizatos fuiſſe confitentur; ſine cujuſcumque dubitationis ambiguo eos ad fidem catholicam venientes in Sanctiſſimæ Trinitatis nomine baptizabis.*

37. Dicendum etiam ſecundo; Baptiſmum collatum tantum in Chriſti nomine, nunquam fuiſſe validum; atque ideo Apoſtolos nunquam ſic baptizaſſe.

Hanc partem probaturi illis Patribus indigemus, quos ſuperius prætereire conſultius exiſtimavimus. Diſertè autem rem noſtram peragunt, cum ex iis reſolvantur ea omnia, quæ ex Scripturis adverſus nos videntur opponi. Cyprianus in epiſ.73. ad Jubajan. ait: *Jeſu Chriſti mentionem facit Petrus, non quaſi Pater omitteretur; ſed ut Patri quoque Filius adjungeretur.* Et concludit; *Ubi poſt reſurrectionem Domini Apoſtoli ad gentes mittuntur; in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti baptizari gentiles jubentur.* Baſilius, quem pro ſententia oppoſita miror ab aliquibus afferri, lib. de Spiritu Sanct. c. 12. ex inſtituto quod docemus exponit, dicens: *Neminem in fraudem inducat illud Apoſtoli, quod Patris, & Spiritus Sancti mentionem in baptiſmatis commemoratione frequenter omittit; neque ideo putet, uſum harum vocum eſſe indifferentem.* Origenes in cap.6. epiſt. ad Rom. inquirit; quare Apoſtolus Chriſti nomen aſſumpſerit dicens; Quicumque in Chri-

Chriſto baptizati ſumus, *cum utique*, ſint ejuſdem verba, *non habeatur legitimum baptiſma*, *niſi ſub nomine Trinitatis?* Et reſpondet: *Quoniam eo loco non tam baptiſmatis rationem*, *quam mortis Chriſti diſcutere cupiebat*. Sanctus Auguſtinus pluribus in locis idem tradit,'& cap.25. de Baptiſmo inquit: *Facilius inveniuntur hæretici*, *qui omnino non baptizent*, *quam qui illis verbis non baptizent* quibus indicat, omnino non baptizare eum, qui ſine verbis illis baptizat; Aptiſſimum autem argumentum profert ad rem noſtram; nam ideo baptiſma in Chriſti nomine datum validum cenſendum eſſet, quia id in Scripturis habetur ex actibus Apoſtolorum, ut mox referam; lib. igitur ſecundo contra Maximinum Arianum cap. 17. Spiritus Sancti divinitatem probaturus ſic loquitur: *Dicis & in perſona Spiritus non poſſe ſuſcipi*, *quod de Filio dictum eſt*: *omnia per ipſum facta ſunt*, *& ſine ipſo factum eſt nihil*; *& ideo hoc dicis*, *ut quibus potueris perſuadeas*, *Spiritum Sanctum non eſſe Creatorem*. *Si autem quia non eſt nominatus*, *quod etiam per illum facta ſit creatura*; *quando de Filio dictum eſt*, *omnia per ipſum facta ſunt*, *ideo putas Dei Spiritum non eſſe Creatorem*; *procul dubio nec in ejus nomine poteris baptizatos dicere*, *quibus ait Petrus*: *Agite pœnitentiam*, *& baptizetur unuſquiſque veſtrum in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti*; *quia non ait*, *& Spiritus Sancti*; *nec in Patris nomine*, *quia nec ipſe ibi eſt nominatus*; *Si autem etiam non nominatis Patre*, *& Spiritu Sancto*, *in nomine Jeſu Chriſti juſſi ſunt baptizari*, *& tamen non intelliguntur baptizari niſi in nomine Patris*, *& Filii*, *& Spiritus Sancti*; *cur non ſic audis de Filio Dei*, *omnia per ipſum facta ſunt*; *ut & non nominatum intelligas ibi etiam Spiritum Sanctum?* Sed nunquid in Patribus recenſendis infinitus ero? Rem abſolvant Venerabilis Beda, & Damaſcenus. Primus in lib. variarum quæſtionum qu.14. ſic habet. Si quis baptizans dicat: *Baptizo te in Chriſto Jeſu*, *& non dicat*, *in nomine Patris*, *& Filii*, *& Spiritus Sancti*, *ſicut Dominus inſtituit*, *non eſt verus baptiſmus*. Secundus verò lib.4. de Fide cap. 10. *Qui in Sanctam Trinitatem minime baptizati ſunt*; *ii denuo baptizentur*, *neceſſe eſt*. *Etſi enim Apoſtolus his verbis utitur*; *in Chriſtum*, *& in mortem ipſius baptizati ſumus*; *non tamen hoc vult*, *baptiſmi formulam his verbis conſtare debere*; *verum hoc demum baptiſmum mortis Chriſti figuram præferre*.

38. Ex quibus manifeſtum fit, nunquam validè ſine expreſſa Trinitatis invocatione collatum eſſe baptiſmum; quod etiam ex Apoſtolo Paulo act. 19. evincitur; cum enim quidam ipſi dixiſſent: *Neque ſi Spiritus Sanctus eſt*, *audivimus*. Reſpondit Paulus. *In quo ergo baptizati eſtis?* Fruſtra autem hoc dixiſſet, ſi Apoſtolorum tempore ſine Spiritus Sancti invocatione datus eſſet baptiſmus. Ratio autem id ſuadet; nam ſi Chriſtus præcepit Apoſtolis, ut baptizarent in nomine Patris,& Filii, & Spiritus Sancti; temere egiſſent, ſi ſub hiſce verbis mandato Chriſti non obtemperaſſent. Neque illa ratio S. Thomæ ſatisfacit, nempe, ut nomen Chriſti, tunc odioſum Hebræis, atque Gentilibus, commendaretur, atque pro illis diſpenſationem contigiſſe; etenim hujuſmodi diſpenſationis nec in Conciliis, nec in Patribus, nec in Scripturis veſtigium nullum; nomen vero Chriſti aliis modis etiam excellentioribus, & argumentis magis perſpicuis exaltari poterat, in ſanandis infirmis, in cæcis illuminandis, mortuis ſuſcitandis, & ſimilibus, quæ in ejus nomine ab Apoſtolis frequenter patrata eſſe hiſtoria Sacra teſtatur.

§. III.

Solvuntur argumenta contraria.

39. PRimo ſe exhibent ea, quæ in actibus Apoſtolorum leguntur cap. 2. ait Petrus: *baptizetur unuſquiſque veſtrum in nomine Chriſti in remiſſionem peccatorum veſtrorum*. Cap. 8. *In nomine Jeſu Chriſti baptizabantur viri, & mulieres*. Cap. 10. *Juſſit eos baptizari in nomine Domini Jeſu Chriſti*. Cap. 19. *His auditis baptizati ſunt in nomine Jeſu*. In hiſce textibus nulla Trinitatis mentio; itaque ſine hujus expreſſa invocatione, ſed tantum invocato Chriſti nomine baptizabant Apoſtoli: non ergo commentitia eſt diſpenſatio illa, de qua S. Thom.

40. Hiſce textibus ſatis à nobis reſponſum eſt in antecedentibus juxta Patrum explicationem, ut eorum dicta perpendendo compertum erit: Sunt tamen alii Theologi, qui verba illa, *in nomine Jeſu*, explicant *in fide Jeſu* cujus publica profeſſio prius requirebatur in eo, qui baptiſmum volebat ſuſcipere; atque hoc aptiſſimè dicitur tum ſecundum auctoritatem Scripturæ, tum ſecundum praxim; Scriptura inquit act. 22. de Saulo, cui dixit Ananias. *Exurge, & baptizare, & ablue peccata tua invocato nomine ipſius*. Et cap. 8. antequam Philippus baptizaret Eunuchum, dixit: *Si credis ex toto corde, licet*; reſpondit vero Eunuchus: *Credo Filium Dei eſſe Jeſum Chriſtum*. Alii vero, præſertim recentiores, baptizari in nomine Chriſti nihil aliud eſſe intelligunt, quam baptizari in baptiſmo Chriſti, & ejuſdem auctoritate; ſicut Petrus, cum actor. 3. ſanum reddidit claudum, dixit: *In nomine Jeſu Chriſti Nazareni, ſurge, & ambula*. Unde & dixerunt Hebræorum Sacerdotes; *in qua virtute, aut in quo nomine feciſtis hoc vos*? Primam reſponſionem corroborat Damaſc. lib. 4. de Fide cap. 10. dicens: *In Chriſtum baptizatum eſſe, nihil aliud indicat, quam in illum credendo ſalutifera aqua tingi; fieri autem non poteſt, ut in Chriſtum credamus, niſi Patris, & Filii, & Spiritus Sancti confeſſione imbuti ſimus: enim vero quænam verborum forma adhibenda eſſet, Dominus diſcipulis ſuis expoſuit; baptizantes eos, inquiens, in nomine Patris, &c.* Secundam reſponſionem indicavit Theophilac. in cap. 24. Luc. ſic loquens; *Quando dicimus, baptiſma fieri in nomine Chriſti, non dicimus, quod oporteat in ſolius Chriſti nomine fieri; ſed quod Chriſti baptiſma ſpirituale ſit, non judaicum, neque quale Ioannis in pœnitentiam ſolum, ſed & communionem Spiritus Sancti, & remiſſionem peccatorum conferat*. Si autem diceres, per illa verba, *in nomine Chriſti*, ſignificari Chriſti invocationem; ſicut per iſta, *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti* ſignificatur Trinitatis invocatio; quid vis, ut reſpondeam? niſi in hiſce rebus non eſſe attendendas paritates: ſed inhærendum Eccleſiæ, ac Patrum traditioni, nec non ipſius Chriſti inſtitutioni.

41. Videtur tamen aliud argumentum, quod Doctores alii prætereunt, quove innuitur revera baptiſmum collatum eſſe tantum in nomine Chriſti; legitur enim act. 8. *Cum autem audiſſent Apoſtoli, quod recepiſſet Samaria verbum Dei, miſerunt ad eos Petrum & Ioannem: Qui cum veniſſent, oraverunt pro ipſis, ut acciperent Spiritum Sanctum; Nondum enim in quemquam illorum venerat, ſed baptizati tantum erant in nomine Domini Ieſu; Tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum Sanctum*. Ex his duo habentur; Unum, baptizatos eſſe tantum in nomine Jeſu; aliud, nondum recepiſſe Spiritum Sanctum; ergo baptiſmus non erat collatus in nomine Spiritus Sancti. Verum, quod dicitur, baptizatos eſſe in nomine tantum Jeſu, explicatur ut ſupra: Quod vero dicitur, nondum accepiſſe Spiritum Sanctum, intelligi debet de modo, & de nova uberiori Spiritus

ritus

ritus Sancti communicatione; aliter dicendum foret, baptiſma illud non fuiſſe verum baptiſma, & per conſequens debuiſſent rebaptizari; nec ſatis fuiſſet, manus imponi: & certè hujuſmodi communicatio Spiritus Sancti debet ita intelligi, ſicuti nos expoſuimus; ſiquidem act. 19. Cum Epheſii baptizati eſſent, & inde Paulus ipſis manus impoſuiſſet; legitur, *venit Spiritus Sanctus ſuper eos, & loquebantur linguis, & prophetabant*. Omnibus uſque modo dictis addo; etiam 1. ad Corint. 12. legitur: *In uno corpore, & in uno ſpiritu baptizati ſumus omnes*. Nec tamen quis dicet, in ſola Spiritus Sancti invocatione baptiſmum unquam fuiſſe collatum.

42. Secundo loco opponi poſſunt quædam Sanctorum Patrum dicta; Sanctus Cyprian. ep.73. ad Jubajan. diſtinguit baptiſmum, quod ab Apoſtolis acceperunt Judæi ab illo, quod acceperunt Gentiles; illos, inquit, baptizatos fuiſſe in nomine Jeſu; iſtos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. S. Hilarius in lib. de Synodis contra Arianos aſſerit, nullius peccati fuiſſe reos Apoſtolos, ex quo juſſi in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti baptizare; tantum in nomine Jeſu baptizaverint; S. Baſilius lib.5. contra Eunom. cap. 3. idem docet, quod ſuperius Cyprianus, & affert teſtimonium Petri, *baptizetur unuſquiſque veſtrum in nomine Jeſu Chriſti*. Sed præ omnibus hæc fuit S. Ambroſii ſententia, qui lib.1. de Spiritu Sancto cap.3. plura docet. Primo, Eunuchum baptizatum in Chriſti nomine integrum baptiſmum conſecutum fuiſſe: Secundo, ad baptiſmum ſufficere unam tantùm perſonam Sanctiſſimæ Trinitatis invocare & exprimere; *Si unum*, inquit, *in ſermone comprehendas, aut Patrem, aut Filium, aut Spiritum Sanctum, plenum eſt fidei Sacramentum*. Pergit tertio inquirendo, utrum, *quemadmodum in Chriſti nomine plenum eſſe legimus baptiſmatis Sacramentum; ita etiam Sancto tantum Spiritu nuncupato, nihil deſit ad myſterii plenitudinem*; & quæſtionem ſolvit, dicens: *Qui unum dixerit, Trinitatem ſignavit; Si Chriſtum dicas, & Deum Patrem, à quo unctus eſt Filius, & ipſum, qui unctus eſt, Filium, & Spiritum, quo unctus eſt, deſignaſti*. Denique S. Bernardus ratum habuit baptiſmum collatum ſub hac forma verborum; *Baptizo te in nomine Dei, & ſanctæ, ac veræ Crucis*; ita in epiſt. 34. ad Henricum Alexandrinum.

43. Reſp. Sancti Cypriani mentem nobis exploratam eſſe in ejus teſtimonio adducto num. 37. in hoc autem poſtremo de baptiſmi forma ſermonem non habet, ſed de profeſſione fidei, quam publice proteſtari debebat, qui baptiſmum erat ſuſcepturus; Poſtulabatur autem à Judeis profeſſio fidei in Chriſtum; & quia ipſi ſemper negaverant eſſe Filium Patris; propterea & crucifixerunt eum; & quia, cum Judæi jam crederent Deum Patrem, crederent & Deum Filium: Poſtulabatur vero à Gentilibus fidei poſſeſſio in Trinitatem; quia unum in tribus perſonis Deum non agnoſcebant.

De S. Hilario dicendum eſt, ibi pro Chriſti nomine indicare Chriſti auctoritatem; ſicut obſervatum eſt nu.40. contendebat enim S. Doctor varia Scripturæ loca, quæ Ariani tanquam inter ſe pugnantia opponebant; nequaquam pugnantia eſſe, & inter iſta afferebat textum, quo dicitur, Apoſtolos in Chriſti nomine baptizaſſe, cum tamen ipſis præceptum eſſet, ut baptizarent in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: At ſi revera in Chriſti nomine in ſenſu nobis oppoſito baptizaſſent, eſſent omnino pugnantia; quia Apoſtoli Chriſti mandatum non ſervaſſent.

De S. Baſilio ſatis dictum eſt ſupra num. 37. eſt igitur ſenſus, baptiſmum in Chriſti auctoritate collatum legitimum eſſe, & quia iſte conferri debebat in nomine Spiritus Sancti; Spiritum Sanctum Deum eſſe probabat.

Pro explicando S. Ambroſio non una eſt Theologorum doctrina. Aliqui dixerunt, Ambroſium non agere de forma baptiſmi, ſed tantum de fide illius, qui baptizandus eſt; & vult, in illa ſolemni fidei profeſſione ſatis eſſe, ſi una divina perſona expreſſe nominaretur; dummodo in omnes fides ſervaretur. Aliqui arbitrati ſunt, non agere de baptiſmi forma, ſed de ejuſdem effectu: Cum enim iſte ſit ex illis actionibus, quas ad extra Theologi vocant; tribui poteſt uni perſonæ, aliis non expreſſis, ſed tantum ſubintellectis; ut frequenter in ſcripturis contingit; & in hoc ſenſu etiam plenitudo baptiſmatis tantum Chriſto expreſſe tribui poterat: Unam vel alteram reſponſionem accepto, & ſi fortaſſe non videor tibi ſatisfacere; ſatisfaciet tibi idem Ambroſius, qui ubi ex inſtituto agit de forma baptiſmi, docet omnes tres perſonas eſſe exprimendas: En illius verba lib. de myſteriis cap. 4. *Credit Catechumenus in crucem Domini Jeſu, qua & ipſe ſignatur; ſed niſi baptizatus fuerit in nomine Patris & Filii, & Spiritus Sancti, remiſſionem non poteſt accipere peccatorum, nec ſpiritualis gratiæ munus haurire*. Quid clarius?

Quod poſtremo dicebatur juxta S. Bernardum, vel dicendum cum Eſtio in 4. diſ. 3. §.5. illam epiſtolam falſo tribui Bernardo; vel cum Mabillonio, illam eſſe Bernardi, ſed improbandam ejus ſententiam; vel, fortaſſe melius, id Sanctum Doctorem probabiliter aſſeruiſſe; inquit enim, *Breviter vobis de propoſita quæſtione reſpondemus, ſine præjudicio tamen ſanius ſapientis*. At quod Bernardus ſuo tempore, ideſt ſæculo 12. putavit, modo à nobis approbari non poteſt.

44. Poſtremo loco opponuntur duo Summi Pontifices. Stephanus, qui Petri ſedem tenuit ann. Chriſti 255. & Nicolaus I. qui Chriſti Vicarius fuit anno 858. De illo ſic habet Cyprian. epiſ. 73. ad Jubajan. *Quomodo ergo, quidam dicunt foris extra Eccleſiam: imo & contra Eccleſiam, modo in nomine Jeſu Chriſti, ubicumque, & quomodocumque Gentilem baptizatum, remiſſionem peccatorum conſequi poſſe; quando ipſe Chriſtus Gentes baptizari jubeat in plena, & adunata Trinitate?* Nicolaus vero jam adductus fuit num. 34.

Sed quod attinet ad Stephanum, id à Cypriano ex illis verbis inferri non poteſt; ait enim; *Quidam dicunt*: plura autem ſunt momenta, quibus hoc Stephano minimè convenire declaratur 1. quia Cyprianus fatetur, id ſe accepiſſe à Jubajano; veriſimile autem non eſt, Stephanum ad Jabajanum in remotioribus Africæ partibus Epiſcopum aliquas epiſtolas dediſſe, & non potius ad Cyprianum; ut fecit, cum decretum de non rebaptizandis hæreticis ad eum miſit: 2. Quia inter Stephanum, & Africanos nulla fuit controverſia de baptiſmi forma, ſed tantum de Miniſtro; 3. quia Firmilianus, etſi Stephano parum propenſus; attamen ad Cyprianum ſcribens teſtatur Stephanum ratum habuiſſe baptiſmum, à quocumque daretur, dummodo invocata Trinitate nominum Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Tandem Baronius ad ann. Chriſti 259. refert; Nemeſium Militum Tribunum baptizatum fuiſſe à Stephano, *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*.

Quod vero de Nicolao aſſeritur; verum eſt ita Bulgaris ipſum reſpondiſſe; Sed non latet, apud Theologos & Canoniſtas Pontificem iſtum non eſſe ab erroris ſuſcipione alienum, cum hoc obiter docuerit, & tanquam Doctor privatus. De uno enim, inquiunt fuiſſe interrogatum; Nempe, an baptiſmus datus à Judæo validus ſit, & affirmativè definiendo reſpondet; alterum vero quod ſubdit, validum eſſe in Chriſti nomine obiter tantum dixit, deceptus ex Ambroſii ſuperius laudato teſtimonio, non ſatis apte ab ipſo intellecto.

Re-

§. IV.

Reſolvuntur aliqua dubia circa formam Baptiſmi.

45. Quæres 1. an forma baptiſmi ſub hiſce verbis: *Ego te baptizo in nomine Ingeniti, Geniti, & Spirati* ſufficiat ad baptiſmi valorem. Idem dicas de aliis: *In nomine innaſcibilis, &c.*

Non defuerunt Theologi, inter quos præſertim Cajetan., afferens Gloſſam in cap. *Multi* de conſec. diſt. 4. quæ dicit ſufficere hæc verba: *In nomine Genitoris, & Nati, & Sancti Flaminis*; qui dixerunt, illam formam validam eſſe. Rationes plures pro hac ſententia afferri poſſunt, quibus ſi adhærendum eſſet, procul dubio id affirmandum foret; Quia tamen in hiſce rebus non ſpeculationibus ſtatuendum eſt, ſed Chriſti inſtitutioni inſiſtendum, & praxi; ideo.

Reſpondeo, probabilius, verba illa ad baptiſmi valorem nequaquam ſufficere, ſicut de facto docuerunt S.Th. quæſt. 66. art. 5. ad 7. Scot. in 4. diſt. 3. art. 2. quæſtiunc. 2. art. 3. S. Bonavent. art. 2. quæſt. 3. aliique Theologi: Iſti etiam plures rationes afferunt, quas tamen nos omittimus; ſatis eſt nobis dicere, Chriſtum Apoſtolis præcepiſſe, ut baptizarent in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; Id autem tenendum quod Chriſtus præcepit; ſtatuit Chriſtus aquam, tanquam materiam faciliorem omnibuſque notam, teneatur & forma facilior, & quæ in fidei doctrina ſit prima, & ab omnibus credendo cognoſcatur: Ut quid adhibere verba, quæ nonniſi Theologi percipiunt? Juxta Chriſti inſtitutionem dixit Athanaſ. ſerm. 2. contra Arian. *Non juſſit nos baptizare, in nomine Geniti, Ingeniti; ſed in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*

46. Hinc primo exiſtimo, quod ſi quis ſub verbis illis, de quibus quærebatur, baptizatus eſſet; foret iterum ſub conditione baptizandus. Secundo omnia verba, in quibus habetur Trinitatis fides tantum implicita, & confuſa, mutare formam; non ſolum accidentario modo, ſed ſubſtantiali. Tertio non eſſe validum baptiſmum collatum per hæc verba: *Ego te baptizo in nomine Sanctiſſimæ Trinitatis*; vel *In nomine trium Divinarum Perſonarum*; neque in hac re rationem quæras: minus ſubtiliter intellige; ut veracius, & ſapientius intelligas.

47. Quæres 2. An validus eſſet baptiſmus; ſi non diceretur: *Ego te baptizo in nomine*; ſed *In virtute Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*

Reſp. negative; etenim non idem ſignificatur per illam vocem *in nomine*, quod per iſtam *in virtute*, quod ſtatim declaro; & ideo.

Quæres 3. An validus eſſet baptiſmus collatus *in nominibus Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*

Reſp. negative. Ratio eſt, quia in baptiſmo non ſolum fit profeſſio fidei Dei Trini, ſed etiam Dei unius: quamvis autem ſine aliquo errore dici poſſent plura nomina in divinis, prout habetur perſonarum ſignificatio, ut dixi in proprio tractatu; attamen pluralis num. eſt excludendus, prout conſideratur natura, cujus unitatem conſiderari, poſtulat fides noſtra: conſideranda autem præſertim eſt in baptiſmo, ut exprimatur virtus illa, quæ in illo operatur. Rem ita intellexerunt Sancti Patres, à quibus recedere in hiſce quæſtionibus, eſt à veritate recedere: *Baptizantur*, inquit Hieronym. in 28. Matt. *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ut quorum una eſt divinitas, una ſit largitio, nomenque Trinitatis unus Deus.* Ambroſ. 2. de Sacram. cap. 7. ait: *In uno nomine baptizare nos juſſit, dicens: Baptizate eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: Noli mirari, quia dixi unum nomen, ubi eſt una ſubſtantia, una divinitas, una majeſtas.* Auguſtin. vero

vero lib. 3. contra Maximin. cap. 32. dicit: *In nomine, non in nominibus, quia hi tres unum ſunt, & hi tres unus eſt Deus*.

48. Hoc non contingeret, ſi diceretur *in virtute*: etenim licet per hanc vocem indicari poſſet unitas naturæ; attamen intelligitur virtus natura ipſa poſterior: & quòd magis perpendendum eſt, in baptiſmate requiritur Trinitatis invocatio; hæc autem non habetur per alicujus virtutis appellationem, ſed per ejuſdem nominis nuncupationem. Si tamen in reſponſione dubio 2. data mitius gerere te velis; dicas ſaltem, baptiſmum ita collatum eſſe dubium, & ſub conditione repetendum.

49. Sed quid ſentiendum, ſi quis diceret: Ego te baptizo in nomine Patris, in nomine Filii, in nomine Spiritus Sancti?

Reſp. validum futurum baptiſmum, nec enim repetitio hæc æquivalet alteri propoſitioni, in qua diceretur in nominibus: eo pacto quo, non poteſt dici: Dii Pater, Filius, & Spiritus Sanctus; dici tamen poteſt: Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus, ut revera dicit Athanaſius in Symbolo, quod ipſi tribuitur.

§. V.

An neceſſario proferenda ſint illa verba: Ego te baptizo.

50. Dubium non moveo de hiſce verbis formalibus, æquivalentia enim ſufficere, ut indubitatum teneo, aliter damnanda foret forma, qua utuntur Græci; Neque etiam neceſſarium eſſe verbum illud *Ego*, ut ratum habeo; cum ſatis intelligatur per aliud verbum baptizo. Locum propoſitæ difficultati præbuerunt aliqui circa ſæculum duodecimum, aſſerentes, validum eſſe baptiſmum, ſi aſpergatur aqua, & Miniſter tantum dicat, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: Sententia hæc tribuitur Præpoſitivo in 4. par. ſummæ Theologicæ. Hugoni de S. Victor. lib. 2. par. 6. de Sacram. cap. 13. atque eam prius docuit quidam Petrus Cantor. Videtur etiam favere Magiſter ſententiarum lib. 4. diſt. 3. lit. B. ibi enim inquirens de forma verborum, memorat tantum invocationem Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; altum vero ſilentium ſervat circa illa verba: *Ego te baptizo*, atque ante Magiſtrum Stephanus Tornacenſis, quem conſuluit Pontius Claromontanus, utrum puer, qui immerſus fuerat in aqua, & ab ejus Patre tantum dictum: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti* eſſet valide baptizatus, reſpondit affirmative.

51. Dicendum tamen eſt, ad valorem baptiſmi neceſſario requiri etiam illa verba, vel æquivalentia: *Ego te baptizo*.

Fateor, hoc ex Scriptura ſacra expreſſe probari non poſſe; ſi enim quæ verba in ipſa ſunt, ex quibus probaretur, præſertim eſſent illa: *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*; at hoc loco ſi ſecundum ſe conſideretur, inferri certo non poteſt, proferenda eſſe illa verba: *Ego te baptizo*. Sicuti, licet Apoſtoli juſſi ſint docere; attamen docebant, quin dicerent: *Ego te doceo*. At ſi conſideretur perpetuus, conſtanſque uſus Eccleſiæ tam Græcæ, quàm Latinæ, argumentum pro re noſtra invictum habetur: Huic autem uſui omnino adhærere debemus, aliter quot nobis eſſent obſcura, & prorſus ambigua? Unde colligimus, verbum illud in nomine Patris, &c. non eſſe intelligendum de virtute, & auctoritate, ſed de expreſſa invocatione, ſicut in aliis ſcripturis, ut Marci 4. *In nomine meo ejiicient Dæmonia*; & Mat. 15. *Ego veni in nomine Patris mei?* Aliam ſane igitur rationem ferre non poſſumus; niſi quia priorem tantum de invocatione intellexit Eccleſia, poſteriores vero de virtute, & auctoritate.

Du-

52. Dubium tamen omne ſuſtulit definitio Alexandri III. Extra *de baptiſmo* cap. *Si quis*, ubi diſerte ſic dicit: *Si quis puerum ter in aqua merſerit in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & non dixerit: Ego te baptizo; puer non eſt baptizatus.*

53. Propter hanc definitionem fuerunt, qui dixerint, ante Decretum Alexandri validum fuiſſe baptiſmum ſine verborum illorum prolatione; poſtea vero invalidum eſſe; ad quod quidem declarandum afferunt Sacramentum matrimonii, quod ante conſtitutionem Concilii Tridentini validum erat, licet clam ſine teſtibus, & Parochi præſentia contractum; poſtea vero nullum eſt: habet quippe Eccleſia in Sacramentorum adminiſtratione certas leges præſcribendi facultatem, certaſque conditiones, quæ niſi ſerventur, nullum Sacramentum conficitur.

54. Subtiliter quidem id dictum eſſe, non inficior; attamen doctrina non tenet, ſi perpendamus aliam propoſitionem damnatam ab Alexandro VIII. num. 27. quæ erat iſta: Valuit aliquando baptiſmus ſub hac forma collatus: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, prætermiſſis iſtis: Ego te baptizo.* Hoc quidem ſatis eſt ad iſtorum Theologorum paritatem infringendam; non enim in hiſce rebus rationem intimam à nobis poſſunt expoſcere; hanc tamen aliquo pacto afferre non prohibemur; Alia enim ſunt Sacramenta, quæ habent pro materia aliquid morale, nec in certis determinatis verbis præſerunt formam; Alia vero ſunt, quæ habent pro materia aliquod phyſicum, & verbis à Chriſto determinatis conſtituuntur: In iſtis nulla lex, nulla conditio ab Eccleſia apponi poteſt; in illis vero poteſt, quia bonitas rei moralis non ſemper eſt in ſe abſoluta, ſed relativa ad varias temporum, locorum, & perſonarum circumſtantias; & quod aliquando expediens fuit, mutatis circumſtantiis non eſt amplius expediens, proinde illam Chriſtus Dominus Eccleſiæ prudentiæ, ac ſapientiæ reliquit; non quidem ut mutaretur, ſed ut declarentur Miniſtri inhabiles ad conficiendum Sacramentum, & hoc contingit in matrimonio, necnon in Sacramento pœnitentiæ, pro cujus adminiſtratione Sacerdos, licet legitime ordinatus, declaratur inhabilis, ſi deſit facultas juriſdictionis.

55. Doctores, quos num. 50. adduximus, hoc præcipue momento ſibi ſententiam ſuam perſuadebant; Ex quo dixerit Chriſtus, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, non poteſt deduci, neceſſaria eſſe illa verba: *Ego te baptizo*, imo exiſtente actione ablutionis, verba illa ſunt omnino inutilia; ſicuti Chriſtus præcepit Apoſtolis, ut omnes gentes docerent, nec tamen inſertur, neceſſario dici: *Ego te doceo*, imo in doctrinæ explicatione id dicere inutile foret. Hoc etiam exemplo oſtendi poteſt; nam quemadmodum Eliſeus ſervuo ſuo præcepit, ut puero ſuum baculum admoveret, ut eum ſuſcitaret; ipſi non præcepit, ut diceret: *Ego ori tuo baculum admoveo*. Ita cum Chriſtus dixit Apoſtolis, ut baptizarent, non præcepit eorum alicui, ut diceret: *Ego te baptizo*. Additur, Sanctos Patres pluries quidem contra hæreticos contendiſſe, proferenda eſſe illa verba: *In nomine Patris, &c.* nunquam tamen ſolliciti fuerunt pro illis: *Ego te baptizo*.

56. Verum, quanti valeat argumentum primum, ſatis num. 51. declaravimus. Reſpondet tamen S. Thom. 3. par. quæſt. 66. art. 5. ad 2. verba doctrinæ per ſe non eſſe indifferentia ad plura; atque ideo neceſſe non eſt, à docente dicatur: *Ego te doceo*; ablutionem autem hominis in aqua ad plures effectus obtinendos exerceri poſſe; & ideo debet fieri talis ablutio, ut per verba formæ determinetur. Verba Sancti Doctoris ſunt iſta: *Cum ablutio hominis in aqua propter multa fieri poſſit, oportet*,

tet, quod determinetur in verbis formæ ad quid fiat, quod quidem non fit per hoc quod dicitur, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; quia omnia in tali nomine facere debemus, ut habetur Coloſſ. 3. unde ſi non exprimatur actus baptiſmi, vel per modum noſtrum, vel per modum Græcorum, non perficitur Sacramentum. Ex qua doctrina exemplum illud, aliaque ſimilia ad rem noſtram non eſſe, compertum ſit; præſertim quia non ſunt in re ſacramentaria, in qua reperiri debet materia proxima. Quid etiam mirum, ſi de iſtorum verborum prolatione Sancti Patres ſolliciti non fuerint, ſed tantum de aliis: *In nomine Patris, &c.?* nulla de illis excitata fuit quæſtio, ſed tantum de iſtis.

QUÆSTIO III.

De Cauſa Baptiſmi efficiente.

ARTICULUS I.

1. De cauſa efficiente principali nihil inpræſentiarum agendum eſt; Satis enim jam dictum in Quæſtione prima; Reſtat igitur, ut de cauſa efficiente, quæ adinſtar inſtrumenti, & miniſterii ſe habet, nonnulla exponamus. Jam conſtat, miniſtrum alium eſſe ordinarium, alium extraordinarium: Primus hujuſmodi eſt ex officio: Secundus vel ex delegatione, vel ex neceſſitate.

Dico 1. Miniſtros ordinarios baptiſmi eſſe ſolos Epiſcopos, & Presbyteros; quamvis Presbyteri dependentiam aliquam ab Epiſcopis debeant ſervare.

Quod ad Epiſcopos pertinet, nullo pacto poteſt in dubium revocare etiam hæreticus: aliter ſi eſſet excludendus Epiſcopus ab ordinario, & ut inquiunt ex officio Miniſterio; quiſnam eſſet Miniſter ordinarius, ſeu ex officio? Manifeſtum autem eſt hoc, quod diximus, quia Chriſtus dixit Apoſtolis: Euntes docete baptizantes; ergo eadem facultas data fuit Epiſcopis, qui ſunt Apoſtolorum ſucceſſores: Traditione etiam id oſtenditur; nam per quinque prima ſæcula per ſolos Epiſcopos baptiſmus conferebatur; ut refert Theodoret. lib. 2. Hiſt. cap. 27. ubi mentionem facit cujuſdam ſtolæ ex auro contextæ, quam Conſtantinus Imperator dono dedit Macario Urbis Hieroſolymitanæ Epiſcopo, ut ea indutus ſanctum baptiſmum adminiſtraret: Id ſupponit etiam Paulinus, qui in vita S. Ambroſii inquit, in Divinis Officiis adimplendis ita ſortem fuiſſe circa baptizandos, ut poſtea quinque Epiſcopi à tempore, quo deceſſit, vix implerent: Juſtinianus quoque Imperator rogatus fuit, ut Datium Mediolanenſem Antiſtitem ad ſuam Eccleſiam redire permitteret; quia, *cum pene omnes Epiſcopi mortui ſint, immenſa populi multitudo ſine baptiſmo moritur*; ut habetur in tomo 5. Concil.

2. Quod vero de Presbyteris dictum eſt, colligitur 1. ex Canone 50. ex iis, qui Apoſtolici nuncupantur, ubi præſcribitur, ut à nobis in antecedentibus dictum eſt; quod *ſi quis Epiſcopus, vel Presbyter non trinam merſionem unius myſterii celebret, deponatur.* Secundo ex Clemente Romano lib. 3. Conſtit. cap. 11., ubi ait: *Neque reliquis clericis poteſtatem baptizandi facimus; ut Lectoribus, Cantoribus, Ianitoribus, aut Miniſtris; niſi tantum Epiſcopis, & Presbyteris, miniſtrantibus Diaconis.* Atque, ut alia prætercam, ex Decreto Eugenii dicentis: *Miniſter hujus Sacramenti*

menti eſt Sacerdos; *cui ex officio competit baptizare*.

3. Ita ſane poſterioribus ſæculis res peracta eſt; at poſtquam deſiit illa eccleſiaſtica diſciplina, juxta quam baptiſmi ſolemnitas celebrabatur ante feſtivitatem Paſchatis, & Pentecoſtes; & baptiſteria inſtituta ſunt in Eccleſiis Parochialibus non ſolum intra Urbes, ſed etiam in vilioribus pagis; poteſtas baptizandi indiſcriminatim facta eſt etiam Presbyteris, quibus animarum cura commiſſa eſt: imo Epiſcopi gravioribus rebus operam daturi, ut deberent; baptizando onus Presbyteris reliquerunt; ſicut hodierna praxis demonſtrat; ita ut ipſis licitum ſit baptizare etiam præſente proprio Epiſcopo, ut advertit S. Carolus Borromeus p.4. de Sacerdote.

4. At prioribus ſæculis ipſi Presbyteri non ſine facultate ab Epiſcopo obtenta baptizabant: Unde Ignatius in epiſt. ad Smyrnæos ait, *non eſſe licitum ſine Epiſcopo nec baptizare*, *nec agapen celebrare*. Et Tertullian. lib. de Baptiſ. cap.17. inquit: *Supereſt de obſervatione quoque dandi*, *& accipiendi baptiſmum commonefacere*; *Dandi quidem jus habet ſummus Sacerdos*, *qui eſt Epiſcopus*; *dehinc Presbyteri*, *non tamen ſine Epiſcopi auctoritate*, *propter Eccleſiæ honorem*, *quo ſalvo*, *ſalva pax eſt*. Et denique Hieronym. in Dialogo contra Luciferianos dicit: *Inde venit*, *ut ſine Epiſcopi juſſione*, *neque Presbyter*, *neque Diaconus jus habeat baptizandi*. Ex quibus evincitur, quod in aſſertione noſtra dictum eſt, Presbyteros eſſe quidem ordinarios miniſtros baptiſmi; ſed ab Epiſcopis dependentiam aliquam ſervare debere; itaut ſint miniſtri ordinarii, ſed ſecundarii; & hoc non alio titulo, niſi ad pacem ſervandam, & ad oſtendendum Epiſcopos in Eccleſia Principes eſſe, quos, ut ait Paulus, poſuit Spiritus Sanctus regere Eccleſiam Dei; juxta quod dixit Ambroſius lib.3. de Sacramentis cap. 1. *Audiſtis lectionem*, *ſuccintus eſt Sacerdos*; *licet enim Presbyteri fecerint*, *tamen exordium miniſterii à ſummo eſt Sacerdote*.

5. Si ita eſt, inquies, non plus conceditur Sacerdoti quam Diacono: nam etiam Diaconi ex facultate Epiſcopi baptizare poſſunt; atque hoc eruitur etiam ex laudato Tertulliani teſtimonio; nam non leguntur tantùm illa, *de hinc Presbyteri*, ſed ſimul, *& Diaconi*. Sed, ut infra dicetur, Diaconi non ſunt ordinarii miniſtri; ergo neque Presbyteri.

Sed contra. Quantum ad aliqua Presbyteri & Diaconi pares ſunt; requiritur enim in utroque juriſdictio erga ſubjectum, cui conferri debet baptiſmus, & in hac obtinenda uterque dependentiam ſervat ab Epiſcopo, Presbyteri vero ex vi ordinationis habent baptizandi facultatem, quam non habent Diaconi; & ideo non ſunt ordinarii miniſtri, ſicut eſſe Sacerdotes aſſerimus.

6. Quare autem Sacerdotibus hujuſmodi facultas conveniat; rationem optimam aſſignat S. Thom. in hoc loco: quia nempe Sacerdotes habent poteſtatem in corpus Chriſti verum; ergo etiam in corpus Chriſti myſticum in iis Sacramentis, quæ neceſſaria ſunt ad peccatorum remiſſionem; ſed hujuſmodi eſt præcipue baptiſmus; ergo.

Dico 2. Diaconos non eſſe miniſtros ordinarios baptiſmi; ſed ſolum ex delegatione vel Epiſcopi, vel Presbyteri.

Ratio prioris partis eſt ex S.Thom. quia per Sacramentum baptiſmi remittuntur peccata, & illud ſuſcipiens fit membrum Chriſti; hoc autem per ſe pertinere non poteſt, niſi ad eos, qui ex vi ſuæ ordinationis poſſunt eſſe Eccleſiæ paſtores, quales ſunt Sacerdotes, nequaquam Diaconi. 2. quia, Diaconi ex vi ordinationis recipiunt facultatem inſerviendi Epiſcopo, & Sacerdoti in Sacramentorum diſpenſatione; non igitur conſtituuntur ordinarii Sacramentorum miniſtri. 3. quia, poteſtas in corpus Chriſti myſticum proficiſcitur à pote-

ſtate in corpus Chriſti verum; ſed Diaconi non habent iſtam; ergo nec illam.

Cum hæc ſint tam eximii Doctoris argumenta; obſequenti animo ea amplector: attamen ſi liceat hoc dicere, nimis probare videntur; quia ſequeretur, Diaconos neque ex delegatione eſſe poſſe baptiſmi miniſtros; ſicut neque ex delegatione fieri poſſunt Eccleſiæ paſtores, nec in corpus Chriſti verum accipere poteſtatem.

7. Firmius igitur id oſtenditur ex conſuetudine, & traditione; quæ ſatis colligeretur ex adductis num.2., quibus tamen addimus doctrinam cathechiſmi Romani par. 2. §. 22. dicentis; *Secundum miniſtrorum locum obtinent Diaconi, quibus ſine Epiſcopi, aut Sacerdotis conceſſu non licere hoc Sacramentum adminiſtrare, plurima Sanctorum Patrum decreta teſtantur*.

8. Contra hoc tamen videtur afferi poſſe, quod legitur in Pontificali Romano: videlicet Epiſcopum in Diaconorum ordinatione dicere. *Cogitate magnopere ad quantum gradum Eccleſiæ aſcenditis; Diaconum enim oportet miniſtrare ad Altare, baptizare, & prædicare*. Verum hoc, quantum ad baptizandum attinet, intelligendum eſt, non de miniſterio ordinario, & ex officio; ſed ſolum ex delegatione Epiſcopi vel Sacerdotis: quæ erat ſecunda noſtræ pars aſſertionis: Hoc autem declaratur ex cap. *Diaconos* diſ. 93. deſumpto ex epiſ.9. Gelaſii ad Epiſcopos Lucaniæ, ubi dicit: *Abſque Epiſcopo vel Presbytero baptizare non audeant*. Et ex cap. *Conſtat*, diſ. 4. de Confirm. deprompto ex Iſidoro lib.2. de officiis cap. 24. ubi legitur: *Conſtat, baptiſma ſolis Sacerdotibus eſſe tractandum, ejuſque miniſterium, neque ipſis Diaconis explere eſt licitum abſque Epiſcopo, vel Presbytero*.

9. Sed ſi fuerunt, qui dicerent, etiam Diaconis convenire ex officio baptiſmi miniſterium; non defuerunt alii, qui aſſererent, baptiſmum ab iiſdem collatum nullum eſſe; illo fortaſſe ducti teſtimonio Epiphanii contra Collyridianos hær. 79. ubi de Diaconis hæc habet. *Neque Diaconis in Eccleſia concreditum eſt, ut aliquod myſterium perficiant; ſed ſolum ut adminiſtrent, & exequantur commiſſa*. Sed quam falſo id dictum ſit, & quo pacto intelligendus ſit Epiphanius, ex ſuperioribus patet.

10. Quia vero id Diaconis ex officio non convenit; communis eſt Theologorum ſententia, quod ſi quis in hoc tantum ordine conſtitutus, abſque delegatione ſolemniter baptizaret, irregularitate ſe obſtringeret: eſt enim regula in jure canonico, Extr. *de Clerico non ordinato*. *Qui aliquod Divinum officium exercuerit non ordinatus, propter temeritatem abjiciatur de Eccleſia, & nunquam ordinetur*. Adde, quod cum Diaconis ordinarium baptizandi miniſterium, non conveniat; ſi eo ſine delegatione fungerentur, alienum munus invaderent, proinde gravi peccato ſe obſtringerent; juxta quod ait Auguſtinus lib.2. contra epiſt. Parmen. cap.13. *Nulla neceſſitate ſi fiat, alieni muneris uſurpatio eſt*.

11. Dico 3. In caſu neceſſitatis quilibet rationis compos poteſt baptiſmum conferre. Hæc aſſertio eſt contra plures veteres hæreticos, qui omnibus mulierculis etiam extra caſum neceſſitatis facultatem hanc conceſſerunt; ut ſcribunt Tertullian. lib. de præſcript. cap.41., & Epiphan. hær.52. de Marcione, hær.49. de Pepuzianis; aſſerebant autem exemplum Teclæ, cui à Paulo baptizandi facultatem factam eſſe ex quadam commentitia ejuſdem epiſtola ad Teclam perperam exiſtimabant. Eſt vero contra Novatores, nempe Calvinum, qui libro 4. inſtit. cap.14. §. 20. 21. & 22. docet, nemini licitum eſſe baptizare etiam urgente neceſſitate, niſi ordinariis Eccleſiæ miniſtris ad hoc vocatis, & ordinatis. Et in Antidoto adverſus ſeſ. 7. can. 10. Concilii Tridentini inquit: *Quod multis ab hinc ſæculis, adeoque ab ipſo ferme Eccleſiæ exordio uſu receptum fuit*,

fuit, ut in periculo mortis laici baptizarent, ſi miniſter in tempore non adeſſet, non video, qua firma ratione defendi queat.

12. Sed quod ipſe non vidit excæcatus à Diabolo, vidit Eccleſia Spiritus Sancti lumine colluſtrata; quæ perenni Patrum traditione id ſentit, quod nos aſſeruimus. Occurrit ſtatim Tertullian. qui lib. de Baptiſ. cap. 17. poſtquam dixit, illicitum eſſe laico hoc officium baptizandi aſſumere; concludit, *ſufficiat in neceſſitatibus utaris; ſicubi aut loci, aut temporis, aut perſonæ conditio compellit; Tunc enim conſtantia ſuccurrentis excipitur, cum viget circumſtantia periclitantis. Quoniam reus erit perditi hominis, ſi ſuperſederit præſtare, quod liberè potuit.* S. Hieronym. in dial. contra Luciferian. ait: *Baptizare ſi neceſſitas cogat, ſcimus etiam licere laicis.* Afferre poſſem Auguſtinum; ſed de hoc infra.

13. Doctrinam hanc noſtram plurima Concilia tradiderunt. Illiberitan. can. 38. Arelat. 1. Nicænum 1. In Carthag. 4. cui interfuit S. Auguſtin. juxta Gratian. & Magiſt. Sentent. legitur: *Mulier baptizare non præſumat, niſi neceſſitate cogente.* Et in Later. 4. ſub Innocen. III. cap. *Firmiter* decernitur, *Sacramentum à quocumque collatum proficere ad ſalutem.*

14. Id docuerunt pluri Summi Pontifices. Gelaſ. in epiſt. ad univerſos Epiſcopos cap. 9. inquit de Baptiſ. *Quod & laicis fidelibus plerumque permittitur; ne quiſquam ſine remedio ſalutari de ſæculo evocetur.* Urbanus II. in epiſt. ad Vitalem cap. *Super quibus*, cauſa 30. qu. 4. reſpondet, *ſuper quibus conſuluit nos dilectio tua, hoc videtur nobis ex ſententia reſpondendum, ut & baptiſmus ſit, ſi inſtante neceſſitate fœmina puerum in nomine Trinitatis baptizaverit.* Denique Eugenius IV. in decreto pro Armen. inſtruct. ait: *In caſu neceſſitatis non ſolum Sacerdos, & Diaconus; ſed etiam laicus vel mulier; imo & Paganus & Hæreticus baptizare poteſt; dummodo formam ſervet Eccleſiæ, & facere intendat, quod facit Eccleſia.*

Hic porro nihil de baptiſmo ab infidelibus collato dicam; ſatis enim in priori parte de Sacramentis in genere.

ARTICULUS II.

Refelluntur argumenta contraria contra tertiam aſſertionem.

15. Opp. 1. Chriſtus dixit tantum Apoſtolis, *Euntes docete omnes gentes baptizantes &c.* ergo ſoli Sacerdotes ſunt hujus Sacramenti Miniſtri, non igitur laici. Hoc magis promovetur: 1. quia, ſi laici excluduntur à miniſterio baptiſmi ſolemniter conferendi, multo magis à baptiſmi ſubſtantia, cum ſolemnitas extrinſeca ſit, & ſolum de jure eccleſiaſtico; ſubſtantia vero ſit intrinſeca, & de jure divino. 2. quia, Nos ita aſſerimus, laicos & mulieres poſſe in caſu neceſſitatis baptiſmum conferre licite; ut etiam extra caſum neceſſitatis conferrent validè, quamvis illicitè; at hoc ſecundum nullo pacto dici poteſt, nam ſimplex Sacerdos, qui licite in caſu neceſſitatis poteſt abſolvere; extra tamen caſum neceſſitatis valide non abſolvit; ergo neque eſt dicendum primum.

16. Hoc primum Calvini argumentum, quam inane ſit; imo quo pacto in ipſum ſtet, quiſque percipiet: Sicut Chriſtus Apoſtolis juſſit baptizare, ita præcepit docere; nec tamen negari poteſt in caſu neceſſitatis, laicos, & mulieres poſſe imo & debere docere; Manifeſtum hoc eſt ex ipſa rei natura, & ſimul exemplo Aquilæ, & Uxoris ejus Priſcillæ, qui act. 18. videntes Apollinem quemdam baptizare, nec recte ſentire de fide Jeſu Chriſti, eum diligenter inſtruxerunt. Id igitur actum à Chriſto eſt cum Apoſtolis, & diſcipulis, in quorum primis Epiſcopi, in ſecundis ſignificabantur Sacerdotes, eos conſtituendo miniſtros ordinarios, & ex officio; excepto caſu neceſſitatis.

Ad 2.ne. ant. ideo enim à ſolemnitate baptiſmi excluduntur laici, quia ſunt quædam cœremoniæ nihil ad valorem baptiſmi conferentes, nec per illas adjumentum aliquod ſubſtantiale confertur illi, qui in caſu neceſſitatis conſtitutus reperitur; e contrario Sacramentum ipſum abſolute neceſſarium eſt: Rurſus, ut advertit S. Thom. ſi laicis permitteretur etiam ſolemne baptiſmi miniſterium, jam nullum eſſet diſcrimen inter miniſtrum ordinarium & ex officio, & miniſtrum extraordinarium, & ex neceſſitate.

Ad 3. validum eſſe baptiſmum datum à laico etiam extra caſum neceſſitatis, inficiari non poſſumus; & quia ita ab Eccleſia receptum eſt; & quia dixit Auguſtinus lib. 2. adverſus epiſt. Parmen. cap. 13. *ſed etſi nulla neceſſitas uſurpetur, & à quolibet cuilibet detur, quod datum fuerit, non poteſt dici non datum, quamvis recte dici poſſit illicite datum*. Contendemus itaque aliquod diſcrimen inter baptiſmi, & pœnitentiæ Sacramentum afferre: quamvis nobis ſufficeret, dicere, ita de uno Eccleſiam ſentire, non de alio; quæ quidem eſt præcipua ratio, cum ad illam pertineat Chriſti inſtitutionem intelligere, atque explicare; Diſcrimen autem, quod afferri poteſt, eſt quia baptiſmus majoris neceſſitatis eſt, quam pœnitentia, & magis univerſalis eſt illius, quam iſtius indigentia, proinde facultas illum conferendi univerſalior debuit eſſe: Præterea; Sacramentum pœnitentiæ iterari poteſt tam circa eamdem, quàm circa diverſam materiam, & ideo nullum periculum eſt, ſi contingat, Sacramentum datum à ſimplici Sacerdote in neceſſitate non eſſe validum; quia fortaſſe non erat tanta neceſſitas, quanta opus erat ad habendam in tali caſu juriſdictionem: è contrario Sacramentum baptiſmi iterari non poteſt, maximumque homini periculum immineret, ſi illo privaretur, proinde neceſſe fuit, ut illa, quæ ad illud conficiendum neceſſaria ſunt, eſſent certa ac ſtabilia ſive foret neceſſitas, ſive non foret.

17. Op. 2. Quod nos tam certò affirmamus, nonniſi dubius aſſeruit Auguſtinus; lib. 2. contra epiſt. Parmen. cap. 13. ſic loquitur: *Quamquam etſi laicus aliquis pereunti dederit neceſſitate compulſus, quod cum ipſe acciperet, quomodo dandum eſſet, addidicit; neſcio, an pie quiſquam dixerit, eſſe repetendum*. Pergit S. Doctor; *Si autem neceſſitas urgeat, aut nullum, aut veniale delictum eſt.*

18. Perperam & incaute nobis opponitur S. Auguſtinus. Etenim ex poſterioribus verbis aperte patet, baptiſmum collatum à laico validum eſſe; imo nec eſſe repetendum, ut diximus ex eodem Sancto Doctore in eodem loco in ſuperiori reſponſ. ad 3. Dum autem dicit: *Neſcio, an pie quiſquam dixerit*, utitur quodam dicendi modo, qui ſignificat, impie diceret, qui ita diceret; & dum audis, ſortaſſe veniale delictum eſſe; intellige in caſu, in quo laicus fortaſſe diligentiam, quam potuit, non adhibuit, in perquirendo Sacerdote; Notum tibi ſit, quod ait lib. 7. de baptiſm. cap. 53. nimirum: *Non dubitarem habere eos baptiſmum, qui ubicumque, & à quibuſcumque illud verbis evangelicis conſecratum ſine ſua ſimulatione, & cum aliqua fide ſuſcepiſſent*.

19. Op. 3. Cyprianus, Firmilianus, aliique, qui baptiſmum Hæreticorum invalidum arbitrabantur, hoc, juxta Baſilium epiſt. ad Amphilochium, argumentum afferebant: Denuo ſunt baptizandi à laicis baptizati; ſed baptizati ab Hæreticis Sacerdotibus, ſunt à laicis baptizati, ergo denuo ſunt baptizandi, proinde Hæreticorum baptiſmus nullus eſt; Catholici vero, aliique Patres contrarii, nunquam negarunt majorem; imo Patres, qui poſtea adverſus Luciferianos decertarunt, inter quos præſertim S. Hieronymus in dialogo contra eoſdem, ut probarent, Arianos Sacerdotes non eſſe laicos, ſic argumentum conficiebant: Baptizati à

lai-

laicis ſunt iterum baptizandi; ſed baptizati à Sacerdote Ariano; non ſunt iterum baptizandi; ergo Sacerdos Arianus non eſt laicus.

20. Reſp. in hac re non eſſe afferendos Cyprianum, Firmilianum, cæteroſque, qui ſicuti reſpuebant baptiſmum Hæreticorum; ita & illud laicorum: Falſum tamen eſt, majorem illam non eſſe negatam; ut conſtat ex momentis, quæ nos protulimus: & ſicut Eccleſia Cypriani opinionem damnavit; ita & ejuſdem fundamenta rejecit: Quod vero attinet ad illos, qui Luciferianos oppugnabant; dicendum eſt, ita argumentum propoſuiſſe, ut ex eorumdem principiis, etſi falſis, illos convincerent: Aſſerebant enim Luciferiani, nullum eſſe baptiſmum collatum à laicis; admittebant vero baptiſmum collatum ab Arianis Epiſcopis, non vero ordinationes ab ipſis factas; & ideo ordinatos ab iiſdem, dum ad ſuas redirent Eccleſias, inter laicos computabant; ſic igitur ad hominem contra ipſos. Baptiſmus per vos collatus à laicis nullus eſt; ſed baptiſmus collatus ab Epiſcopis Arianis non eſt nullus; ergo Epiſcopi Ariani non ſunt laici; vel igitur negate validum eſſe eorum baptiſmum; vel concedite, validas etiam eſſe eorum ordinationes.

21. Op. 4. Tertullian. loco à nobis laudato negat mulieribus baptizandi facultatem, inquit enim: *Petulans autem mulier, quæ uſurpavit docere; utique non etiam tingendi jus ſibi pariet? niſi quæ nova beſtia evenerit ſimilis priſtinæ* (loquitur de Quintilla); *ut quemadmodum illa baptiſmum auferebat; ita aliqua per ſe eum conferat*. S. quoque Epiphan. hær. 42. inquit de Marcione: *Permittit etiam mulieribus, ut dent baptiſma*.

Reſp. Tertulliani mentem ſatis exploratam habemus; loquitur ibi de muliere, quæ tantum auſa eſt, ut publice in Eccleſia docere præſumpſerit; jam vero in libro de velandis Virginibus dixit: Non permittitur mulieri in Eccleſia loqui; ſed nec docere, nec tingere, nec offerre. Epiphanius pariter loquitur de publico, & ordinario miniſterio, quod Marcion feminis permittebat; atque ideo licentiam hanc baptizandi appellat ludibrium.

22. Op. ultimo Concil. Carthag. 4. quod can. ultimo ſic habet: *Mulier, quamvis docta, & ſancta viros in Conventu docere non præſumat; Mulier baptizare non præſumat*. Verum jam conſtat ex verbis, prohibitum eſſe publicum docendi, & baptizandi munus; ſed ſicuti poteſt private docere; ita poteſt private baptizare, & in caſu neceſſitatis. Eſt autem, & Concilium Eliberitanum, quod licet pluribus laicis baptizandi facultatem concedat; non tamen omnibus; ſed illis tantum, qui juſtitiam in baptiſmo receptam ſervaverint, nec ſint bigami, can. enim 38. habet hæc verba: *Peregre navigantes; aut ſi Eccleſia in proximo non fuerit, poſſe fidelem, qui lavacrum ſuum integrum habet, nec ſit bigamus, baptizare in neceſſitate infirmitatis poſitum Cathecumenum, &c.* Verum hiſce verbis aliud non intendit, niſi id indicare, quod in baptizando magis decet, videlicet in caſu neceſſitatis fidelem infideli, monogamum bigamo eſſe in baptiſmi miniſterio præponendum, quod & nos fatemur.

ARTICULUS III.

Reſolvuntur alia nonnulla de Baptiſmi Miniſtro.

23. Quæres 1. an inter Miniſtros extraordinarios, & ex neceſſitate ſervandus ſit aliquis ordo.

Reſp. affirmative. Atque hoc indicatum jam fuit in Concil. Eliberit. ſuperius laudato: præſente igitur Diacono illicite baptizaret Subdiaconus; præſente viro illicite baptizaret mulier, dummodo tamen vir non eſſet publicus pec-

peccator, & ſi parturientis pudori non fiat conſultum, niſi baptizet mulier. Ita etiam ſtatutum fuit in Synodo Senonen. an. 1524. Carnoten. an. 1526. in Catechiſm. & Rituali Romano, & S. Carolus Borromæus in inſtructione baptiſmi inquit: *Illud vero cavendum eſt, ne femina viro præſente, neque Clericus præſente Subdiacono, hicque ibidem coram Diacono, nemoque præterea eorum coram Sacerdote baptizare audeat, &c.* Graviter etiam peccarent, qui extra caſum neceſſitatis puerum baptizandum offerrent alteri, præter proprium Parochum; aut Sacerdotem, cui ipſe Parochus hanc provinciam commiſerit: Peccarent & parentes, ſi extra neceſſitatis caſum vellent puerum baptizare. Quæ ſunt obſtetrices, callere debent formam baptiſmi, & antequam hoc munere fungantur, debent à Parocho inſtrui; atque ejus ſcripto probari debent, ut idoneæ. Sed hæc jam trita, & omnibus nota ſunt.

24. Quæres 2. Utrum Miniſter baptiſmi poſſit eſſe una tantum perſona, vel plures perſonæ poſſint eundem baptizare. Antequam quidpiam reſolvamus; Inquiro, an quilibet agat independenter omnino ab alio; ita ut per ſe abluat, & totam proferat formam cum intentione; vel an plures concurrant tanquam cauſæ partiales; ita ut unus abluat, & alius proferat vorba: *Ego te baptizo*, alius *in nomine Patris*, alius *in nomine Filii*, *&c.* vel an quilibet abluat, & totam formam proferat; ſed cum intentione non baptizandi niſi dependenter ab alterius intentione.

25. Reſp. modum iſtum baptizandi in quocumque ſenſu illicitum eſſe. Si autem de valore agatur, juxta priorem conſiderationem baptiſmum cenſendum eſſe validum; quia unuſquiſque ex illis miniſtris eſt cauſa totalis, & ſecundum ſe ſufficiens ad conferendum baptiſmum; nihil ergo impedire poteſt, quo minus Sacramentum perficiatur ut conſtat in Sacramento Euchariſtiæ, pro quo conficiendo licet plures concurrant, attamen unus alium non impedit. Hoc quidem aſſerendum eſt juxta S.Th. hic, Scot. in 4. diſt. 6. qu. 2. Sot. diſt. 4. art. 4. Suar. &c. Obſervandum autem eſt; Vel omnes ſimul abluerent & eodem inſtanti perficerent formam, vel unus prius; Si primum; omnes baptiſmum conficerent, neque officit pluralitas cauſarum; quia omnes agunt in virtute unius: ſi ſecundum, ille qui prius formam compleret, baptizaret; quia licet etiam alii adhiberent materiam, & formam aptam, attamen ſubjectum eſſet incapax, cum jam foret baptizatum: ſententiam indicavi, quæ vera eſt, ſubtilitates verò, quæ opponi poſſunt, omitto.

26. Juxta vero ſecundam conſiderationem; ſunt aliqui Theologi baptiſmi valorem adhuc ſuſtinentes, ut Marſil. in 4. qu. 4. art. 8. nec non Cajetanus in hoc loco: Fundamentum non deeſt; ſi quid enim obſtat, eſt; præſertim quia unus integer miniſter ex pluribus perſonis componeretur; at hoc Sacramenti valorem nequaquam poteſt impedire. Etenim ad plures alios effectus integra cauſa ex pluribus ſuppoſitis plerumque componitur; plerumque etiam contingit, cauſam principalem pluribus uti inſtrumentis, quorum unum materiam præparet, aliud formam introducat; & in Sacramentorum puncto ſiſtendo, duo contrahentes ſunt ejuſdem Matrimonii miniſtri: in Sacramento pœnitentiæ pœnitens materiam exhibet, Sacerdos applicat formam; Secundo ſi quid obeſſet, præſertim etiam inſtitutio Chriſti, vel aliqua alia ſignificatio; non prima, unde enim evincitur, Chriſtum inſtituiſſe ab unico tantum hæc omnia præſtari? Quæ traditio, quæ auctoritas afferri poteſt? Verba Evangelii ſunt, *baptizantes eos*; hæc autem ſervantur ſive ab uno, ſive à pluribus adinſtar unius concurrentibus habeantur: Fortaſſe dices; Si quis dicat, *ego te baptizo*, deinde plures ſint, verba formæ non eſſe vera; At inane effugium; Primo enim ad valorem

lorem Sacramenti ſufficiet forma Græcorum, *Baptizatur ſervus Chriſti*. Secundo dicere poſſent, *Nos te baptizamus*. Tertio hoc idem valeret etiam juxta priorem conſiderationem ; nec tamen baptiſmus cenſeretur invalidus; Quod vero dicitur de ſignificatione, parum urget; nunquid enim, ut ait S.Th. quia ſicuti unus eſt Chriſtus, qui eſt præcipuus baptizans; ita unus debet eſſe miniſter, qui illum repræſentet? at reſpondere quis poteſt; adhuc eſſe unum miniſtrum, non ſimplicem, ſed compoſitum ex duplici perſona; agente tamen adinſtar unius.

27. Contrarium tamen docent alii Theologi cum S.Th. hic art.6. in corp., Scoto in 4. diſt.6.qu.2., Bonavent.diſ.5. q.1.art.1., cæteriſque Scholarum Principibus: & ex variis rationibus, quæ afferuntur, præcipuam exiſtimo iſtam ; quia nullus ex illis poſſet vere dicere ſe baptizare; non qui aquam funderet, aqua enim ſecundum ſe non eſt Sacramentum; non qui alia verba proferret, quia verba ſine aqua baptiſmum non perficiunt; proinde &c.

28. Tandem juxta tertiam conſiderationem nihil addendum opinor: etenim iiſdem rationibus vel pro parte affirmante, vel negante Doctores utuntur; Ego tamen abſolute exiſtimarem, baptiſmum invalidum eſſe; nam illi, qui abluunt, & totam proferunt formam cum intentione non baptizandi, niſi dependenter ab alterius intentione; ita ſe habent, ut in nullo ſit intentio abſoluta, ſed tantum conditionata; atqui intentio conditionata non ſufficit, niſi talis ſit ex parte ſubjecti, dum v.g. dicitur, ſi non es baptizatus; ego te baptizo; ergo.

QUÆSTIO IV.

De ſubjecto Baptiſmi.

1. SOlum hominem viatorem Sacramentorum; proinde etiam baptiſmi, ſaltem juxta legem ordinariam, capacem eſſe, dictum eſt in priori parte de Sacramentis in genere: Porro homo viator, vel eſt parvulus, vel adultus, filius fidelis, vel infidelis; De iſtis igitur nunc agendum ſuſcipimus.

ARTICULUS I.

An parvuli ſint baptiſmi capaces.

2. SI titulus iſte catholico rudi exponatur, quid quæris, mihi dicit? Te exiſtimaveram Theologum; non vero rei omnibus notæ indagatorem; Numquid non omnes parvuli baptizantur? capaces igitur ſunt: Res ita eſt; ſi tamen non ignoraret, id à pluribus negatum eſſe; hoc ipſo me Theologum affirmaret, quod in hac re quæſtionem inſtituo.

3. Primo itaque Hieracitæ ab Hieracha ſic dicti; ut ex S. Auguſtino lib. de hæreſ. cap. 47. Secundo; Valdenſes ut ex Ermengardo in opuſculo adverſus eos. Tertio; Apoſtolici, ut ex S. Bernardo ſerm.66. in Cantic. Quarto; Petrobuſiani, ut ex Petro Cluniacenſi. Quinto; Petrus Abailardus, & Petrus de Brixia; ut ex Concilio Lateran. ſub Innoc.II. colligitur, infantes eſſe baptiſmi capaces, negarunt: Poſterioribus ſæculis Anabaptiſtæ, ita appellati, quia baptizatos ab infantia, cum ad ætatem adultam perveniſſent, iterum baptizabant; baptiſmum infantibus collatum nullum eſſe, duxerunt: Horum Dux, & Magiſter fuit Nicolaus Stokius; qui prius

Digitized by Google

prius Lutheranus; deinde à Luthero deficiens plures à Michaele Archangelo ſibi factas revelationes jactitabat, & ſanctitatis ementita ſpecie plures decepit: Cavendum porro ab hiſce hominibus, qui ſub veſtimentis ovium ſunt lupi rapaces, potius te adjungas viro, qui videtur lupus rapax, intus vero eſt ovis manſueta; ſed à fructibus eorum oportet illos agnoſcere. Acrius contra baptiſmum egit Michael Servetus, aſſerens in fine libri generationis, puerorum baptiſmum eſſe execrandam abominationem, Chriſti abnegationem, extinctionemque Spiritus Sancti cum regni Chriſti conculcatione. Alia dixerunt alii, & omnes perperam, ut Lutherani, Calviniſtæ, Tranſylvani, Sociniani; Contra quos omnes

4. Dicendum Infantes eſſe baptiſmi capaces.

Pluribus momentis id probabo: ſed primo ſic. Infantes capaces ſunt regni Cœlorum; atqui non poſſunt eſſe iſtius capaces, niſi ſint capaces baptiſmi; ergo. Minor declaratur ex illo Joan.3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum Dei.* Sententia hæc Chriſti univerſalis eſt; adultos ſimul puerosque complectitur, ſicut illa: *Omnes in Adam peccaverunt*, nec infantes excipit, nec adultos, ut ſuppono, & à me in quæſtionibus de peccatis tom. 2. probatum eſt: Major vero argumenti oſtenditur ex illo Mat. 19., ubi Chriſtus Apoſtolis prohibentibus dixit: *Sinite parvulos, nolite prohibere eos ad me venire, talium enim eſt regnum Cœlorum.* Eadem verba inveniuntur in Marco cap. 10., ubi legitur: *Et offerebant illi parvulos, ut tangeret illos, Diſcipuli autem comminabantur offerentibus; Quos cum videret Jeſus indigne tulit, & ait illis, ſinite parvulos venire ad me; talium enim eſt regnum Cœlorum &c. & complexus eos, & imponens manus ſuper illos, benedicebat eos.* Idem in Luca cap.18.

5. Protuli textum Marci, ut occurrerem illorum reſponſioni, qui dicunt, ſermonem non eſſe de infantibus, de quibus nos loquimur; ſed de illis, qui pedibus propriis incedere poſſunt, & jam ad ætatem grandiuſculam pervenerint; nota enim illa verba, *& offerebant illi parvulos.* Neque me latet, illa verba, *ſinite parvulos venire*; à pluribus explicari de humilitate, & innocentia; Unde & dixit Chriſtus, *niſi efficiamini ſicuti parvuli, non intrabitis in regnum Cœlorum*; Utique non reprobanda hæc myſtica explicatio; ita ut in puerorum perſona humilem, & innocentem vivendi formam Chriſtus commendare voluerit; at non propterea deferenda litteralis ſignificatio, qua non ſolum infantilis humilitas, ſed etiam ætas indicetur; ut conſtat ex verbis Marci laudatis, & rurſus ex aliis Luc. cap. 15:, in quibus ſignificantur infantes adhuc in cunis, & lactantes.

6. Hoc magis oſtenditur; ſi perpendamus, fuiſſe integras domos, & familias baptizatas ab Apoſtolis, ut act. 16. legitur de Lydia purpuraria, & de carceris cuſtode, nec non 1. ad Corint.1. habetur de domo Stephanæ; vix autem credi poteſt, in omnibus iſtis infantem aliquem non fuiſſe.

7. Quamquam in hac re quid ambigendum? in lege veteri poterant & debebant infantes circumcidi; cur igitur in nova non poterunt, ac debebunt infantes baptizari? Nonne baptiſmus circumciſioni ſubrogatus, ut ait Apoſt. ad Col.2.? & ſicut per circumciſionem adunabantur infantes Eccleſiæ veteri; ita per baptiſmum adunantur Eccleſiæ Chriſti? Memineris in lege Evangelica abundantiorem eſſe gratiam, quam fuerit in lege Moyſis.

8. Amplius tamen id confirmabo, ſi ad traditionem me conferam. Cyprianus in epiſt. ad Fidum; poſtquam dixit: nullum ex ſceleſtiſſimis, dummodo crediderit, à gratia baptiſmatis prohiberi; concludit; *quanto magis prohiberi non debet infans, qui recens natus nihil pecca-*

cavit; niſi quod ſecundum Adam carnaliter natus contagium mortis antiquæ prima nativitate contraxit: atque hoc dictum ſexaginta ſex Epiſcoporum unanimi ſuffragio non tamquam res nova, ſed jam uſu recepta, fuit approbatum; Ejuſdem dicti meminit S. Auguſt. epiſt.166. ad Hieronym. ita ſcribens: *Beatus Cyprianus non aliquod decretum condens novum, ſed Eccleſiæ fidem firmiſſimam ſervans, ad corrigendum eos, qui putabant ante octavum diem nativitatis non eſſe parvulum baptizandum, mox natum ritè baptizari poſſe cum ſuis quibuſdam Coepiſcopis cenſuit.* Quod in ſuo Carthaginenſi Concilio Cyprianus docuit; tradidit Milevitan. can.2. ann.416., ubi definitum legimus: *Quicumque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat; aut dicit in remiſſionem quidem peccatorum eos baptizari, ſed nihil ex Adam trahere &c. anathema ſit.* In Concilio Gerundenſi ann. 517. can. 5. ſtatuitur, ut, ſi opus fuerit, parvuli etiam eadem die, qua nati ſunt, baptizentur: In Braccar.3. ann. 578. can. 7. decernitur; ut quilibet Epiſcopus per ſuas Eccleſias præcipiat, ut qui infantes ſuos ad baptiſmum offerunt, ſi quid voluntarie pro voto offeratur, ab eis recipiatur: Tandem, ut omittam Concilium Viennen. in Clement. 1. de ſumma Trinit. & Fide Catholica, atque alia plura; Tridentin. ſeſſ.7. can. 13. ita decretoriè loquitur: *Si quis dixerit, parvulos, eo quod actum credendi non habent, ſuſcepto baptiſmo, inter fideles computandos non eſſe, ac propterea cum ad annos diſcretionis pervenerint, eſſe rebaptizandos, aut præſtare eorum omittere baptiſma, quam eos non actu proprio credentes baptizari in ſola fide Eccleſiæ; anathema ſit.*

9. Sed quid mirum, ſi ita à Conciliis definitum eſſe reperimus? Hoc jam prius alii Patres tradiderunt; Veniſſe Dominum per ſemetipſum omnes ſalvos facere, qui per eum renaſcuntur in Deum, & infantes, & pueros, & juvenes, & ſeniores, & per omnem ætatem, ut infantibus infans factus ſanctificaret infantes, inquit Iren. lib. 2. adverſus hæreſ. cap. 22. Eccleſiam traditionem ab Apoſtolis ſuſcepiſſe, etiam parvulis dari baptiſmum, ait Origen. in cap. 6. epiſt. ad Rom. Lege Gregor. Nazianz. orat.4.in Sanctum baptiſ.Chryſoſt.hom. ad Neoph., Ambroſ.lib.2. de Abraham cap. 11. Hieronym. in epiſt. ad Lætam. Auguſt. lib.10. de Gen. cap.23. lib.1.de peccat. mer. remiſ. cap.26. ſerm.10. de verbis Apoſt., & ſi Patres iſti tibi non ſufficiant;adeas Dionyſ.Areopag.de Eccleſ. Hierch.cap.ultimo; nec non Juſtinum, ſi ipſe author eſt, in lib. quæſtionum, quæſt.56. Ipſi Pelagiani, etſi perperam dicerent, pueros originalis peccati reos non eſſe; attamen pueros ad regni Cœlorum aſſequutionem baptizabant, ut teſtantur Hieronym., Auguſtin., & Proſper.

10. Opp. plura autem momenti levioris, & quæ ſtatim facillimè rejici poſſunt, prætereo. Chriſtus Mat. 28. dixit: *Docete omnes gentes; baptizantes eos &c.* illos igitur inquiit capaces baptiſmi, qui forent capaces doctrinæ, cum doctrinam, & baptiſmum ſimul præſcripſerit; ergo ſicut infantes non ſunt doctrinæ capaces, ita neque baptiſmi. Præterea; Marci ult. legitur: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit.* Prius igitur eſt neceſſitas, proinde capacitas fidei, quam neceſſitas, & capacitas baptiſmi: ſed infantes non ſunt capaces fidei, ergo neque baptiſmi. Idem probat Petrus act. 2. ubi ait: *Pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum*: & Paulus ad Rom. 11. inquit: *Corde creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem*; ſed infantes incapaces ſunt & pœnitentiæ, & fidei, & confeſſionis; ergo pariter baptiſmi.

11. Reſp. hæc omnia vera eſſe de adultis; nequaquam de parvulis, atque in primo textu de adultis ſermonem eſſe, patet ex contextu.; ſubditur enim: *docentes eos ſervare omnia quæcumque præcepi vobis*; quod ad parvulos referri non

non poſſe, compertum eſt: Quanquam & parvuli in baptiſmate aliquo pacto docentur; quia tunc fiunt diſcipuli Chriſti, & ſpondent, ſe ejus doctrinam eſſe ſequuturos; & rurſus, dum doctrina datur adultis, parvulis etiam applicatur; quia parvulos ad baptiſmum perducere onus eſt adultorum: Quamvis verò parvuli fidei actum nequeant exercere: adhuc propter baptiſma, quod eſt Sacramentum fidei, fideles dicuntur: ſicuti quia anima rationali prædìti ſunt, rationales ſunt, & appellantur: licet nullum rationis actum valeant exercere. Reſponderet tandem Sanctus Auguſtinus, etiam parvulos doceri poſſe, & credere: non in ſe, ſed in aliis, quod ſufficit: *Decet*, ait præclariſſimus Doctor ſerm.14. de verbis Apoſt. cap.7., *ut ad aliena verba ſanentur, qui ad factum alienum vulnerantur*. Et cap.18. *Abſit, ut ego dicam non credentes infantes: nam credit in altero, qui peccavit in altero*. Lib. vero 10. Gen. cap. 14. *Antequam infans per ætatem poſſit ſecundum ſpiritum vivere: neceſſarium habet mediatoris Sacramentum: ut quod per ejuſdem fidem nondum poteſt, per eorum, qui eum diligunt, fiat*. Atque juxta hæc optime, ut ſolet, obſervavit S. Th. 3. p. qu. 68. art.9. ad 1. regenerationem ſpiritualem comparari generationi corporeæ: ita ut quemadmodum pueri in maternis uteris exiſtentes, non per ſe ipſos alimentum ſumunt, ſed ex nutrimento matris ſuſtentantur: ita pueri nondum rationis uſum habentes, quaſi in utero matris Eccleſiæ non per ſe ipſos credunt, ſed per Eccleſiam. Ut argumentum hoc evitaret Lutherus, dixit, in pueris dari actualis fidei motum: dum baptizantur, ſed de hoc Lutheri figmento ſatis dictum in noſtro tomo ſecundo.

12. Atque ex his conſtat: nullam in pueris ad baptiſmatis gratiam recipiendam diſpoſitionem requiri: & licet ſint infideles negativè, quia credendi capaces nequaquam ſunt: non ſunt tamen infideles poſitive: atque ideo hujuſmodi infidelitatem, ſicut & alia impedimenta non debent deponere: quod de adultis non valet, ut dictum eſt in quæſtionibus de gratia, & in hac priori parte de Sacramentis.

13. Imò non tantum infantes baptizare licitum eſt: verum etiam non mediocriter expediens, quamvis nulla urgeat neceſſitas, vel periculum: In hoc puncto plures antiqui Patres oppoſitum docuiſſe videntur. Primo: Fidus in Africa Epiſcopus dubitavit, utrum infans ante octavum diem baptizandus eſſet: conſiderabat enim legem circumciſionis. Secundo: Tertullianus cenſuit, baptiſmum eſſe differendum, donec rationis uſus haberetur, ait enim in lib. de Baptiſmo cap. 18. referens illa verba Chriſti, *ſinite parvulos venire ad me. Veniant ergo dum adoleſcunt; veniant dum diſcunt, dum quo veniant docentur, fiant Chriſtiani, dum Chriſtum noſſe potuerint*. Tertio: Gregorius Nazianz. orat. in ſanctum lavacrum ſaltem triennium expectandum eſſe deſideravit. Eraſmus vero infantes baptizandi veterem fatetur conſuetudinem, nec illam rejicit: aſſerit tamen, cum rationis compotes facti fuerint, fore interrogandos, an ratas habeant promiſſiones per eorum ſponſores factas; & ſi recuſaverint, eſſe proprio relinquendos arbitrio, nec ad Chriſtianam religionem cogendos.

14. De hoc poſtremo nihil dicam: cum ſatis jam dixerit Concilium Tridentinum, quod ſeſs.7. can.15. de Baptiſmo loquens ſic definivit: *Si quis dixerit hujuſmodi parvulos baptizatos, cum adoleverint, interrogandos eſſe, an ratum habere velint, quod patrini eorum nomine, dum baptizarentur, polliciti ſunt, & ubi ſe nolle reſponderint, ſuo eſſe arbitrio relinquendos: nec alia interim pœna ad Chriſtianam vitam cogendos, niſi ut ab Euchariſtiæ, aliorumque Sacramentorum perceptione arceantur, donec reſipiſcant; anathema ſit*.

15. Neque pro baptiſmi dilatione ali-

aliqua deſunt momenta. Primum eſt, ſi Chriſti exemplum, qui nonniſi annorum quaſi triginta baptizatus eſt, perpendamus. Secundum, ſi conſideremus, plures viros etiam pietate inſignes nonniſi provecta ætate baptiſmum ſuſcepiſſe: ut de Conſtantino Magno, & Valentiniano legimus: Ipſe S. Ambroſius paucis ante ordinationem diebus baptiſmate fuit initiatus. Tertium: Injuſtum eſt, inſcios legibus aliquibus ſubdere; qui autem baptizantur, Chriſti legibus ſubduntur; non igitur ſubdendi, donec uſum rationis habeant.

16. Nihilo tamen minus id ſentiendum, quod à nobis num.13. dictum eſt: Colligitur ex praxi Eccleſiæ baptizantis hujuſmodi pueros nulla expectata neceſſitate, & pro hac re habentur Sacramentaria, Ritualia, aliique libri, in quibus baptiſmatis cœremoniæ deſcribuntur: Secundo ex damnationis æternæ periculo, in quod propter inopinatos caſus incidere poſſunt infantes, ſi ad aliquot annos baptiſmus protrahatur; quod quidem periculum per emolumentum, quod oriri poſſet ex dilatione compenſari nequaquam poteſt: & ex alia parte illo emolumento ſi vix nati baptizentur, non privantur; quia cum grandiores evaſerint, in fide & in iis, quæ per ſponſores ſuos promiſerunt, inſtruuntur. Tertio: Expediens eſt, ut non diu permittantur eſſe ſub diaboli poteſtate, ſed hoſtis hic infenſiſſimus ejiciatur, atque ab adoleſcentia Chriſti jugum portare aſſueſcant, quod bonum eſſe, affirmat Jeremias thren.3.

17. Neque vero nobis oppoſita magni facienda ſunt: Dubium, quod excitaverat Fidus, ſolutum rejectumque jam fuit à S. Cypriano, ut dictum eſt num. 8. Quantum ad Tertullianum, & Nazianzenum admittimus eam privatam ipſorum fuiſſe opinionem; ſed in hac re deferendi duo, ne omnes alios deferamus: præſertim quod pro Nazianzeni ſententia rationes illæ, quas num. 15. expoſuimus, militare non poſſunt; ſed revera neque iſtæ quidpiam probant: Quid mihi afferunt exemplum Chriſti? Euchariſtiam etiam poſt Cœnam inſtituit, & Diſcipulis diſtribuit; non aliter igitur ſumendam dices Euchariſtiam? Chriſtus baptiſmate non indigebat; tunc baptizari voluit, quando baptiſmum inſtituit, & ſuæ prædicationi dedit exordium, novam legem condendo. Plures viros, pios etiam, baptiſmum protraxiſſe, fatemur; ſed paucorum exempla non ſunt in aliorum argumenta ferenda: Id ab ipſis agebatur, ut multis bonis operibus præviis ad baptiſmi gratiam ſe ferventius, aptiuſque diſponerent; Valentinianus tamen, ita differendo, mortuus eſt Catechumenus: quod nemini vellem contingere: Generatim tamen Eccleſia eos, qui baptiſmum differebant, objurgavit; imo, ſi quis eorum in lecto propter infirmitatem baptizaretur, eum irregularem, & ad ſacros ordines percipiendos inhabilem declaravit, ut in anteced. fuit à nois prænotatum. Quod poſtremo loco opponebatur; jam rejectum fuit num. 16. in fine: jugum Chriſti ſuave eſt ac leve; nec permittendi ſunt eſſe ſub jugo Diaboli, ne ſubdantur legibus Chriſti, &c.

ARTICULUS II.

Reſolvuntur nonnulla dubia circa parvulos.

18. Queres 1. an pueri exiſtentes in utero matrum baptizari poſſint.

Affirmant aliqui, ſi tamen alicujus inſtrumenti ope poſſint aliquo pacto aqua perfundi, quo caſu ſi ex utero prodirent, inquiunt fore iterum baptizandos ſub conditione.

Sententia negativa præferenda eſt: Id enim de hoc Sacramento ſtatuendum eſt, quod ex Chriſti inſtitutione nobis licet inferre, Chriſtus autem dixit: *Niſi quis renatus fuerit, &c.* eſt igitur bapti-

ptiſmus ſecunda nativitas, quæ proinde primam ſupponit; atqui infantes in utero matris exiſtentes non habuerunt primam nativitatem, quæ habetur per egreſſum ab utero, & non per ſolam conceptionem, quæ tantum improprie & latiori modo dici poteſt nativitas, juxta id quod legitur Luc. 1. *Quod enim in ea natum eſt, de Spiritu Sancto eſt*; ergo non ſunt capaces ſecundæ nativitatis, quæ in baptiſmo confertur. Totum autem quod à nobis dicitur, vel dici poſſet, ſatis explicavit S. Auguſtin. in epiſt. 187. ad Dardanum dicens: *Nemo naſcitur, niſi operante concupiſcentia carnali, quæ tracta eſt ex primo homine, qui eſt Adam; & nemo renaſcitur, niſi operante gratia ſpiritali, quæ data eſt per ſecundum hominem, qui eſt Chriſtus: Quapropter ſi ad illum naſcendo pertinemus, ad hunc renaſcendo; nec renaſci quiſquam poteſt, antequam natus ſit: Profecto ille ſingulariter natus eſt, cui renaſci opus non fuit, quia non ex peccato, in quo nunquam fuit, tranſitum fecit; Hoc igitur excepto, non video, quomodo ædificentur homines in domum Dei ad habendum in ſe inhabitantem Deum; niſi cum fuerint renati, quod non poſſunt eſſe antequam nati. Quod ſi quis dicat, jam natum eſſe hominem, etiam cum adhuc eſt in utero matris, quia dictum eſt de prægnante Virgine Dei Matre; Quod in ea natum eſt, de Spiritu Sancto eſt; numquidnam huic nativitati accedit ſecunda nativitas? Alioquin non erit jam ſecunda, ſed tertia. Dominus autem cum hic loqueretur; Niſi quis renatus fuerit, &c. computat primam nativitatem, quæ fit matre pariente, non concipiente, neque prægnante, quæ fit ex ea, non in ea; Neque enim renatum dicimus, quem mater peperit, tanquam iterum natus ſit, qui jam ſemel natus fuerat in utero; ſed illa nativitate non computata, quæ gravidam facit; natus dicitur homo partu, ut poſſit renaſci ex aqua & Spiritu Sancto. Si igitur homo regenerari per gratiam ſpiritus in utero poteſt, quoniam reſtat illi adhuc naſci; renaſcitur ergo antequam naſcatur, quod fieri nullo modo poteſt.*

19. Nihil igitur refert, aqua poſſe perfundi; ſi tamen hoc fieri poteſt, nam hujuſmodi perfuſio non eſt juxta modum à Chriſto inſtitutum; proinde Sacramento non ſufficit. Neque obſtat, puerum in utero exiſtentem, jam factum eſſe filium Adami; ergo à fortiori ſalvari poſſe per Chriſtum, juxta id quod ait Apoſt. ad Rom. 5. efficacius eſſe donum Chriſti ad ſalutem, quam peccatum Adæ ad damnationem; etenim hoc eſt verum, quando Chriſti donum applicari poteſt, juxta ipſius inſtitutionem: & ſi hoc valeret, ſequeretur, pueros etiam membranis involutos participes fieri gratiæ Chriſti, ſicuti participes ſunt peccati Adæ; quod nemo dicet: Quamvis enim aliqui fuerint à Deo ita ſanctificati; attamen hoc ſpeciale privilegium ad alios referri non poteſt.

20. Quæritur 2. an infantes in aliqua tantum ſui parte editi baptizari poſſint, & debeant.

Diſtinguenda eſt pars illa, ſecundum quam infans prodire poteſt, vel enim eſt pars præcipua, ut caput, vel minus præcipua, ut manus, & pes. Communiſſima Theologorum ſententia eſt, quod ſi caput prodierit, & non poſſit extrahi ſecundum alias partes niſi cum moraliter certo mortis periculo, poteſt & debet baptiſmus conferri; nec ſi contigerit totum extrahi repetendus eſt ſub conditione. Dicti hujus rationem affert S. Th. 3. par. quæſt. 68. artic. 11. quia in capite continentur omnes hominis ſenſus, & ſita eſt integritas vitæ, & ex alia parte neceſſe non eſt, totum infantem ablui; cum hoc non fiat, etiam cum perfecte natus ſit; ergo per capitis ablutionem baptizatus intelligitur; atque ideo non eſt ſub conditione repetendus baptiſmus. Baptizari etiam poteſt, & debet, ſi prodierit alia pars minus præcipua; ſed poſtea ſub conditione baptiſmus repetendus, quia licet anima

ſit

ſit tota in toto, & tota in qualibet parte; attamen in illa parte non ſervatur integritas vitæ. De hac re non eſt cur plura dicamus, cum hæc in Ritualibus præcepta ſint, & diſerte loquatur præſertim S. Carolus in inſtitutionibus, tit. *De iis, quæ Parochus curat, cum timetur de partu*.

21. Quæritur 3. an ut puer baptizari poſſit, ſcindendus ſit uterus maternus.

Quæſitum fieri poteſt, vel de matre vivente, ſed cum periculo prolis, quæ viva non egredietur, niſi ſcindatur uterus, vel de matre jam recenter mortua, vel de matre jam damnata ob patratum crimen ad ſupplicium.

Reſp. in prima conſideratione non licere, quamvis enim majus ſit malum prolis, ſi abſque baptiſmo moriatur, quia eſt malum ſpirituale, quam ſit illud, ſi mater moriatur, quia eſt malum corporis; attamen, ut obſervat S. Th. *Non ſunt facienda mala, ut eveniant bona*, ad Rom. 3. & ideo non debet occidi mater, ut baptizetur puer.

Reſp. in ſecunda conſideratione, id fieri poſſe, ac debere, nihil enim damni infertur matri; plurimum emolumenti affertur proli: & ſecus æternum periret: Aliqui tamen negant quæſiti ſuppoſitum: exiſtimantes fieri non poſſe, mortua matre fœtum momento aliquo poſſe vivere: ſed perperam id exiſtimant: etenim ex hiſtoriis habemus, mortua Maria uxore Ferdinandi III. ejuſque utero ſecto, extractum fuiſſe infantem, & baptizatum: atque ita extractus fuit etiam Gerardus, qui fuit Epiſcopus Conſtantienſis: Idem conſtat de S. Raymundo, qui ideo Nonnatus appellatus eſt: Legatur S. Carolus in inſtitutionibus baptiſmi, necnon Synodus Lingonenſis, in qua iis, qui in extraendis pueris conſilium & juvamen præſtiterint, 40. dies de injunctis pœnitentiis relaxantur.

Reſp. in tertia conſideratione differendum eſſe mortis ſupplicium, uſque dum proles ad lucem devenire poſſit. ſi tamen periculum ſit, quod prius peritura ſit: ſcindi poterit uterus: ſic enim nulla matri ſit injuria, nam non alia de cauſa ejus mors differtur, niſi prolis intuitu.

22. Quæritur 3. an baptizandi ſint pueri monſtruoſi.

Pluribus modis contingere poteſt, pueros iſtos monſtruoſos eſſe: Poſſunt eſſe in hoc, quod habeant quamdam hominis organizationem: ſed vel in fronte appareant cornua, vel in vultu aures aſininæ, vel deficiant naſus, oculi, &c. vel in hoc, quod præferatur potius ſpecies bruti, quam hominis: vel in hoc quod habeant duo capita, & unicum tantum corpus: vel duo capita cum duplici pectore, aliiſque partibus ſubſtantialibus in duplo.

Reſp. in primo ſenſu baptiſmum conferendum eſſe, ſed ſub conditione: cum enim ſit per concubitum maris & feminæ juxta conſuetam & naturalem generationem: præſumendum eſt, anima rationali non carere: alias vero deformitates eſſe accidentarias: ex quibus tamen prudens ſuſpicio oriri poteſt, & ideo conditio apponenda eſt.

Reſp. in 2. ſenſu probabilius non eſſe baptizandum: quia cenſeri debet, non hominis naturam prævalere, ſed bruti: ſi tamen dubium oriatur, fiat recurſus ad baptiſmum ſub conditione.

Reſp. in 3. ſenſu, baptiſmum abſolute conferendum eſſe abluendo caput, quod magis & perfectius apparet, & alium ſub conditione in alio capite: quia, dubium eſt, an ſint duæ animæ rationales: ex quo concluditur, quod in poſteriori ſenſu duplex baptiſmus abſolute ſit conferendus.

ARTICULUS III.

An invitis parentibus licitum ſit ipſorum filios baptizare.

23. QUæſtio jam eſt de parvulis; quia ſi quis adultus ſit, licite ſine ipſius conſenſu baptizari non poſſe, omnes fatentur: Manifeſtum eſt etiam, inquiri de filiis parentum infidelium; qui pluribus modis hujuſmodi eſſe poſſunt: Sunt enim aliqui, quos hæreticos, & apoſtatas appellamus; hique aliquando fuerunt Eccleſiæ ſubjecti: Aliqui, quos in ſinu ſuo nunquam recepit Eccleſia; hique ſunt Ethnici, Mahometani, Judæi: Rurſus omnes iſti, vel ſunt ſubjecti principibus Chriſtianis, vel non ſunt; & ſi ſunt, vel tanquam cives, vel tanquam captivi.

24. Conſentiunt omnes Doctores filios eorum, qui hæretici ſunt & Apoſtatæ: etiam iſtis invitis licite baptizari poſſe: nam quemadmodum iſti, tanquam Eccleſiæ deſertores, ad fidem ſervandam cogi poſſunt; ita & eorum filii: Nulla pariter controverſia movetur de filiis eorum, qui vel bello capti ſunt, vel empti mancipia dicti; poteſt enim Dominus de ipſis abſque aliqua parentum injuria diſponere. Quare ſupereſt reſolvendum de aliis, qui Chriſtianis Principibus ſint civiliter ſubjecti: & nota in titulo appoſitum fuiſſe verbum illud, *licitum*; quia ſi baptizarentur, valide baptizari, dubitat nemo.

25. Sententia negans tribuitur Sancte Thomæ 2. 2. quæſt. 10. artic. 2. & 3. par. quæſt. 68. art. 10. quem communius ſequuntur Recentiores. Oppoſitum vero docuit Scotus in 4. diſ. 4. quæſt. 9. atque cum eo omnes Scotiſtæ: exiſtimo tamen inter Doctores nullum eſſe in re diſcrimen; nam quod priores negant abſolute loquendo; affirmat Scotus ſervatis aliquibus conditionibus, ut ſunt, ſi periculum ſit, pueros, ne baptizentur, occidendos eſſe à parentibus: ſi non deſit aliqua certitudo, hujuſmodi pueros eſſe juxta religionis regulas educandos: ſi non timeamus fidei irreverentiam propter apoſtaſiam: ſi jure, vel facto à parentum cura ſeparari poſſint: Hiſce expoſitis.

26. Dicendum, ſententiam Scoti probabiliorem eſſe, ac magis piam.

Prob. primo ex iis, quæ conceduntur à contrariis doctoribus. Poſſunt filii hæreticorum atque apoſtatarum invitis parentibus baptizari: Poſſunt & filii infidelium, qui ſerviliter ſunt ſubjecti: poſſunt tandem imminente mortis periculo: ergo & poſſunt licite baptizari filii infidelium tantum civiliter ſubjectorum: Prob. conſ.: Alia afferri non poteſt diſparitas, niſi quia in prioribus caſibus non læditur jus naturale, quod habent parentes in filios, quod eſt potiſſimum adverſantium fundamentum, atqui vel læditur etiam in illis, vel neque læditur in re noſtra: ergo ſi &c. etiam &c. prob. prima pars min. ex quo parentes ſint hæretici, vel apoſtatæ non amittunt jus naturale, quod habent in filios; batiſmus enim, vel fides ſuſcepta legem naturalem non deſtruit, ſed perficit; ſicut gratia perficit, non deſtruit naturam; & ſi oppoſitum dicamus, eſſent deterioris conditionis, quam ſint ethnici, & Judæi, qui jus naturale non amiſerunt: Rurſus: infideles per ſervilem ſubjectionem, naturali jure privari non poſſunt, cum ſervitus non ſit inducta à natura, ſed à jure politico, vel gentium: Denique, etiam imminente mortis periculo retinent parentes jus in filium; imo & in filii cadaver poſt mortem; ergo in prioribus caſibus vel læditur jus naturale, vel in re noſtra non læditur; quæ eſt ſecunda pars illius minoris; & certe filios baptizari eſt de jure divino, quod nunquam opponitur juri naturali; imo ad jus naturale pertinet, quod baptizentur, cum teneantur naturæ legibus Parentes ad conſulendum filiis pro mediis neceſſariis ad æternam ſalutem.

27. Duo alia ſubdam; Unum, ſi mater

ter fidelis ſit, poterit infans baptizari invito patre infideli; hoc concedunt Suarez, Nugnus, Bonacina, aliique ab iſto relati diſ. 2. de baptiſin. quæſt. 2. punct. 6. num. 2. & habetur in cap. *Judæi* 28. quæſt. 1. inquiro; læditur ne in hoc caſu jus naturale, quod habet pater in filium? ſi affirmetur; ergo læſio naturalis juris non prohibet baptizari filium; ſi negetur; ergo idem in re noſtra. Alterum eſt; Infans, cum ad rationis uſum pervenerit, ſi ipſe velit, baptizari poteſt & debet invitis parentibus, nec tamen hoc naturali parentum juri opponitur; ergo à pari.

28. Ratio autem horum eſt: quia, dum agimus de dominio parentum erga filios, & de dominio Dei; illud eſt ſubordinatum & minus, hoc independens & majus; igitur hoc prævalere debet; atque ideo cum Dominus velit, & præcipiat infantes baptizari, cum velit omnes homines ſalvos fieri, & dixerit Apoſtolis: *Docete omnes gentes, baptizantes, &c.* infertur licite etiam invitis parentibus baptizari: invitus ſiquidem parentum animus irrationabiliter, & obſtinate invitus eſt; proinde non eſt faciendus; & quoniam tanti eſtimant jus illud naturale ac poteſtatem, quam habent parentes; dico, in iis, quæ pertinent ad religionem & ſalutem æternam nullam poteſtatem eſſe in parentibus, quæ religioni, ac æternæ ſaluti opponatur; poteſtas enim parentum in filios non eſt à natura data niſi in bonum filiorum, in ædificationem, non in deſtructionem, ſed quod prohibeant, filios baptizari, eſt poteſtas contraria religioni ac æternæ ſaluti parvulorum,&c. ergo nulla in parentibus eſt iſtiuſmodi poteſtas. Amplius hæc omnia declarabuntur rejiciendo momenta oppoſitæ ſententiæ.

29. Op. 1. Quamdiu filii ſibimeptiſis conſulere nequent, jure naturæ ſunt parentibus ſubditi, ſed ita nequeunt ipſis invitis baptizari; ergo. Prob. min. Eccleſia per baptiſmum acquirit jus in illos infantes, quos etiam ad tuendum Sacramenti honorem, & ne filii in fide deficerent, à patria poteſtate poſſet extrahere; ergo. 2. Si filii infidelium invitis parentibus baptizantur, fieri facillime poſſet injuria Sacramento, religionique catholicæ, filii enim baptizati, ducti parentum amore, atque ab iiſdem inſtructi, eorum ſectam amplecterentur; Atque hinc eſt, quod nunquam Eccleſia, renitente parentum voluntate ipſorum filios baptizare conſuevit. Hæc ſunt momenta S. Th. 3. par. quæſt. 68. art. 10. in corp. & 2. 2. quæſt. 10. art. 12.

30. Priori argumento multiplex reſponſio jam data eſt num. 27. & 28. Secundo inferius reſpondebimus amplius. Interim notent, quod ſi admitti deberet; neque filii Hæreticorum & Apoſtatarum poſſent licite baptizari, quia idem omnino ſequeretur.

31. Op. 2. Infidelibus res ſuas ſubtrahere nequaquam licitum eſt; ergo nec licitum erit ſubtrahere filios, qui magis ad ipſos pertinent, quam ſpectent quæcumque alia bona, ſed per baptiſmum eorum filii ſubtraherentur; ergo. 2. Quamdiu uſus rationis deeſt, voluntas filii in parentum voluntate continetur; ſi igitur non vult pater, filium baptizari, neque vult ipſe filius; licite ergo baptiſma non conferetur.

32. Reſp. omittendo alia, quæ ab aliis dicuntur; argumentum æquale eſſe tam in antecedente, quam in illatione, unde ne. ant. quando infideles perperam utuntur rebus vel in rerum damnum, vel in tertii detrimentum; & in noſtro caſu, cum perperam utantur dominio, quod habent in filios, quia in iſtorum æternam perniciem, & contra Domini præceptum, quod ipſis ſæpius notum eſt, ſed excecata mente, & duro corde negatum: præterea etiam maritus habet jus ſupra corpus uxoris; & tamen ſi hoc jure abutatur, licite ſeparari poteſt uxor à marito.

Ad 2. antecedens eſt verum quantum ab aliquos effectus in jure civili, & quan-

quantum ad ea, quæ pertinent ad corpus; non vero in illis, quæ ſpectant ad vitam ſpiritualem, & ſalutem æternam: Filius enim non portabit iniquitatem patris. Et ſi filius, cum ad rationis uſum pervenerit, non ſubeſt voluntati patris in iis, quæ ſunt media ad ſalutem, multo minus congruum videtur bonitati divinæ ſub iniqua patrum voluntate infantes rationis uſu carentes conſtituiſſe.

33. Op. 3. Si res ita eſt, mirum cenſeri debet, Eccleſiam hac infidelium filios baptizandi poteſtate nunquam uſam eſſe, nec modo uti erga filios Judæorum, qui tamen ſunt ſub poteſtate civili ejuſdem, ac Principum Chriſtianorum. Certe in hac re perſpectum habuit, quod vel fieret injuria Sacramento, vel parentibus ipſis; primum quidem, quia, cum ad ætatem adultam ventum eſſet, foret certum moraliter apoſtaſiæ periculum propter affectum erga parentes, & propter perditam ab ipſis habendam inſtructionem; Secundum vero, quia ſi ad evitandum apoſtaſiæ periculum, à parentum cura ſubtraherentur, parentum jus violaretur.

34. Reſpondet Launojus negando antec, & affert exempla plura. Childerici Francorum Regis, qui teſte Gregorio Turonenſi lib. 6. hiſtoriæ cap. 17. plures Judæos baptizari mandavit: Dagoberti, qui in vita S. Amandi Trajectenſis Epiſcopi apud Surium die 6. Februarii, litteras dedit eidem Amando, ut infideles Gandavenſes ad baptiſmum cogeret: Siſabuti Hiſpaniarum Regis, qui, ex Baronio ad an. Chriſti 624., Judæos ad baptiſmum compulit: Imò & Caroli Magni, qui Saxones baptizari voluit; & Adrianus I. epiſt. 8. ad eumdem, factum approbavit: Verum ex hiſce factis parum probari poſſe exiſtimo; etenim cum adulti ita cogerentur, approbatum nequaquam fuit; ſicut enim nemo credit niſi volens, ita nullus adultus baptizari poteſt niſi volens: De Childerici facto idem Gregorius dicit: *hoc modo baptizatos, corpore tantum, & non mente fuiſſe*: De S. Amando legitur neminem vi baptizaſſe; ſed, *ſemper Verbum Dei prædicaſſe, & quos ex captivitate redimebat, baptizaſſe*. Siſabuti factum à Concil. 4. Toletano can. 55. improbatum fuit: & quod attinet ad Carolum Magnum, nequaquam ad fidem Saxones fuerunt coacti; ſed ſollicitudine, devotione, ac pietate, per veræ ſalutis conſilium, per optimam voluntatem, eos convertiſſe refert Alcuin. epiſt. 7. Fatemur igitur, Eccleſiam hunc baptizandi modum nec tenuiſſe, nec tenere; at ex hoc illicitum eſſe, nequaquam probari; *Multa enim*, inquit Apoſtolus 1. ad Corint. 6. *mihi licent, ſed non omnia expediunt*; licitè etiam poſſet Eccleſia plura ab hæreticis expoſcere; & tamen ob majorum malorum periculum prætermittit; Ita in noſtro caſu contingit: Naſcerentur contentiones, jurgia, tumultus, ſeditiones; quodve à nobis fieret infidelibus civiliter noſtris Principibus ſubjectis; fieret ab illis noſtris Catholicis, qui forent infidelibus Principibus ſubditi: Difficulter etiam ſervari poſſunt conditiones, quas deſiderat Scotus; & ideo &c.

35. De injuria, quæ parentibus fieret, dictum eſt ſatis: nunc aliqua dicenda ſuperſunt de illa, quæ fieret Sacramento & Religioni: Jam nullam contingere, ſi infans baptizatus à parentibus ſeparetur, ac catholicè inſtruatur, ut vult Doctor, manifeſtum eſt; ſed etiam loquendo abſolutè, nonnulla perpendo, quæ ad Sacramenti gloriam non parum conferrent: Primo enim, ſi infans ille moreretur, antequam ad rationis uſum perveniret, ſalutem æternam obtineret: Secundo quia, etiamſi poſt rationis uſum in apoſtaſiam incideret, adhuc baptiſmatis collati beneficio ſalvus fieri poſſet, quia fortaſſe hujuſmodi apoſtaſia eſſe poſſet inculpabilis propter ignorantiam invincibilem aliorum, quæ Catholica ſervat Eccleſia; at-

que

que ideo, ſi mortaliter non peccaret, ſalutem æternam aſſequeretur.

36. Op.4. In Principibus laicis nulla eſt facultas in iis, quæ ſupernaturalia ſunt, ſed eorum poteſtas ad ea tantum extenditur, quæ ad phyſicam juſtitiam, & naturalem pertinent honeſtatem; atqui baptiſma ſuſcipere, vel conferre ad ſupernaturalia ſpectat; ergo. Imo circa infideles, de quibus eſt ſermo noſter, nulla poteſtas eſt in ipſa Eccleſia; ait enim Paulus 1. ad Corint.5. *Quid ad nos de his, qui foris ſunt judicare?*

37. Reſp. majorem abſolutè eſſe falſam, etenim Principes, quantumvis laici puniunt infideles aut blaſphemos, aut ſortilegos, aut perjuros; & tamen hæc omnia opponuntur ordini ſupernaturali: Eſt igitur hujuſmodi facultas etiam in ipſis, ſi non directa, ſaltem indirecta; gladium enim portat non ſine cauſa, talemque gladium poteſt aut ex permiſſione, aut ex Eccleſiæ commiſſione adhibere. Quod de Eccleſia dicitur; ſi valeret, neque aliquid poſſet circa hæreticos, quia etiam iſti foris ſunt: Non judicat igitur Eccleſia eos, qui foris ſunt, quia titulo infidelitatis non poteſt infideles ſuis regnis privare, aut alio modo coercere; non tamen quia non poſſit innocentes filios ab ipſorum tyrannide ac falſa religione liberos efficere, ac per baptiſmum Deo conſecrare; præſertim adhibitis expoſitis conditionibus. Aliqua alia examinanda forent, ſed de præcipuis ſatis dictum; Neque mens noſtra eſt, in iſtis difficultatibus, pluſquam par ſit, ſtudii impendere.

ARTICULUS IV.

De Adultorum Baptiſmate.

38. Multa in hac re dici ſolent, ſed nobis pauca dicenda manent, ne quod alibi dictum eſt repetamus: inquirunt enim Doctores Theologi de diſpoſitionibus, quæ requiruntur in adultis, qui velint ſacro initiari baptiſmate, & neceſſariam eſſe fidem ſupernaturalem, atque ſupernaturalem ſaltem attritionem de peccatis præteritis procul dubio tenendum eſt, qua in re videantur ea, quæ diximus in priori parte de Sacramentis in genere. Hic tantummodo varia proponam, & reſolvam quæſita; ſed prius de antiquis, noviſque Cathecumenis aliqua proferam.

39. Cathecumeni nomine aliud non ſignificatur, quam adultus ille, qui in myſteriis fidei vult inſtrui, & inſtruitur; ideo appellabatur etiam Alumnus, Diſcipulus, Candidatus. Tres autem erant Cathecumenorum gradus, & claſſes. Prima dicebatur *audientium*. Qui publicis Catholicorum cœtibus inſtructionibus, & concionibus aderant, nondum tamen Cathecumenorum albo erant adſcripti; proinde ex hujuſmodi conventibus ſacrificii tempore ejiciebantur. Secunda illorum erat, qui abſque addito Cathecumeni dicebantur, quique jam Eccleſiæ nomen dederant; Iſti in Eccleſia genua flectebant, & ſuper ipſis genuflexis preces & orationes fundebantur; ſed in Sinaxi Diaconus alta voce dicebat: *Quicumque Cathecumeni diſcedite.* Tertia illorum erat, qui appellabantur *competentes*, ſeù *electi*, quibus paulo ante Paſcha reſurrectionis, vel ante Pentecoſten ab aliis ſegregatis baptiſmi Sacramentum ſolemniter conferebatur.

40. Pro ſingulis autem inaugurandis ritus proprius ſervabatur: De primis ſic loquitur S. Gregorius in ſuo Sacramentario ſub titulo: *Ad Cathecumenum ex Pagano faciendum. Primo catechizes eum Divinis ſermonibus, & des ei monita, quemadmodum poſt cognitam veritatem vivere debeat. Poſt hæc facias eum Cathecumenum, & exſuffles in faciem ejus, & facias ei crucem in fronte, & ponas manum ſuper caput ejus his verbis; Accipe ſignum crucis; Inde vero poſtquam guſtaverit medicinam ſalis, & ipſe ſe ſigna-*

ſignaverit, benedices eum his verbis. Domine Sancte Pater &c. Secundi in fide, & moribus inſtruebantur, non tamen profundiora myſteria ſub littera latentia ipſis declarabantur: Hujuſmodi enim inſtructio competentibus erat reſervata, ut colligitur ex Cyrillo Hieroſolymitano in Catacheſes; ex S. Auguſt. de catechizandis rudibus; necnon ex Concil. Agath. c.13. Tertiis verò, jam dato nomine, ut eorum albo, qui baptiſmum expetebant, inſcriberentur; in fidei myſteriis, quæ continentur in Symbolo erudiebantur, atque Illud memoriter ſcire, ac recitare debebant, ut habetur ex Concilio Laodiceno can. 46. ex Auguſtino ſer. 115. de tempore, nec non Iſidoro l.1. de Eccleſiaſt. officiis cap. 27. De Dominica Palmarum; hæc enim dies erat, qua utpote proxima Paſchatis ſolemnitati, ſymbolum tradebatur; ſed ipſis præterea plura laborioſa opera injuncta erant; A vino, carnibus, & uxoribus abſtinere, tum publico fidelium cætui nudis pedibus, tonſo capite, cilicio cooperti ſe ſiſtere debebant; ipſorum capita lavabantur, ideo Dominica Palmarum, *Capitilavium* vocari ſolebat; Fiebant etiam ſcrutinia ſeptem, ut eorum mores coram Eccleſia examinarentur. Sed de hoc ſatis, ne pluſquam par ſit, hiſtoricorum munus ſuſcipiamus.

41. Temporis decurſu quantum ad ritum externum aliqua mutata ſunt; attamen in re adhuc ſervantur, & ſervari debent. Hic tantum monendos cenſeo quoſdam, qui miſſionibus vacant; ne adeo ſolliciti ſint in baptizandis illis, qui ad fidem convertuntur; ſed priùs ſaltem quadraginta dierum ſpatio illos inſtruant, & informent; nec ipſis ſufficiat, baptiſmum ardenter poſtulari, ſed Cathecumenos non verbis tantum, ſed operibus probent; idque niſi certum moraliter mortis periculum aliter poſtulet.

42. Quæres 1. An quilibet adultus cujuſcumque nationis, vel ætatis fuerit, ſive ſanus, ſive infirmus poſſit baptizari.

Reſp. affirmativè, dummodo non deſint aliæ conditiones; In Chriſto enim Jeſu, ut ait Apoſt. ad Galat. 3. *Non eſt Judæus, neque Græcus, non eſt ſervus, neque liber, non eſt maſculus, neque fœmina; Omnes enim vos unum eſtis.* De infirmis vero Cyprian. epiſt. 13. ſic dicit: *Si qui fuerint periculo præventi, & in exitu conſtituti, vigilantia veſtra non deſit*, & Auguſt. lib. 1. de adulterinis Conjugiis ad Pollentium cap.26. *Cathecumenis ergo in hujus vitæ ultimo c. ſtitutis, ſi morbo, ſeu caſu aliquo ſic oppreſſi ſunt, ut quamvis adhuc vivant, petere ſibi tamen baptiſmum, vel ad interrogata reſpondere non poſſint; poſſit eis quorum in Fide Chriſtiana jam nota voluntas eſt, ut eo modo baptizentur, quomodo baptizantur infantes, quorum voluntas nulla adhuc patuit.* Ut alia plura prætermittam, clarum eſt teſtimonium Siricii epiſt. 1. ad Hymerium Tarraconenſem cap. 2. dicentis. *Quicumque etiam in diſcrimen naufragii, hoſtilitatis incurſum, obſidionis ambiguum, vel cujuſlibet corporalis ægritudinis deſperationem inciderint, & ſibi unico credulitatis auxilio popoſcerint ſubveniri eodem, quo poſcunt, momento temporis expetitæ regenerationis præmia conſequantur.*

43. Quæres 2. Utrum Energumeni, amentes, furioſi ſint baptizandi.

De Energumenis illud placet aſſerere, quod in Concilio Arauſicano 1. can. 15. legitur; nimirum: *Energumenis Cathecumenis, quantum vel neceſſitas exegerit, vel opportunitas permiſerit, de baptiſmate conſulendum.* Certe, ſi hujuſmodi viri ab aliis Sacramentis non arcentur, multo minùs à baptiſmate. De amentibus vero, & furioſis plura diſtinguenda ſunt: nam vel tales fuerunt à nativitate, & in tali ſtatu perſeverarunt ſine aliquo lucido intervallo, & tunc ſunt baptizandi, ſicut baptizantur infantes quorum numero ſunt adſcribendi: vel fuerunt aliquando ſana, & integra mente; ſi hoc dicamus, vel pe-

petierunt aliquando baptiſma, & tunc baptiſmus illis eſt conferendus; etiamſi pro tempore, quo furioſi ſunt, & amentes contradicunt; ſiquidem hujuſmodi contradictio non eſt actus humanus, & rationalis: ſi vero nunquam petierunt, baptizandi non ſunt, quia præſumi debet, quod ſi adhuc ratione pollerent, adhuc non peterent. Denique amentes & furioſi, qui lucidis gaudent intervallis, baptizandi non ſunt; ſi tunc nequaquam petunt, vel contradicunt: Aliqua alia inquiri poſſent; an v. c. poſſint baptizari mortui, ut dicebant Marcioniſtæ, & Cataphryg. teſtibus Philaſtrio, & Chryſoſtomo, vel vivus baptizari poſſit pro mortuo, ſed jam hæreſes iſtæ conticuerunt, & quanta in ipſis veſania ſit, nemo non percipit.

44. Attamen contra hoc poſtremum videntur eſſe primo authoritas; ait enim Apoſtolus 1. ad Corint. 15. *Alioquin quid facient, qui baptizantur pro mortuis, ſi omnino mortui non reſurgunt? ut quid & baptizantur pro illis?* Secundo ratio nam ſicuti vivorum preces defunctis proſunt; ita etiam proderit baptiſmus.

Verum nihil evincitur; textus enim Apoſtoli eſt ad probandam mortuorum reſurrectionem; & baptiſmi nomine non intelligitur Sacramentum baptiſmi, ſed afflictio, pœnitentia, & mortificatio, ſicut dictum fuit qu. 1. nu. 1. oſtendit enim vanam eſſe afflictionem pro mortuis, ſi mortui non reſurgunt; Alliqui etiam explicant illa verba, *baptizantur pro mortuis*, ſic ut baptizentur metu mortis; ſicut de Clinicis alibi diximus; ex quo recte mortuorum reſurrectio probatur.

Ad Rationem; in primis eadem eſt paritas: nam ſicut oratio vivorum infidelibus non prodeſt; ita neque baptiſmus. Deinde oratio applicatur defunctis ad inſtar ſuffragii, quatenus movetur Deus ad eiſdem applicanda merita Chriſti; Sacramenta autem per ſe directè, & ex opere operato producunt effectus ſuos in illo ſubjecto, cui immediatè applicantur; proinde &c.

QUÆSTIO V.

De effectibus Baptiſmi.

CAuſas intrinſecas, atque extrinſecas baptiſmi uſque modo perpendimus, nunc ad ejuſdem effectus deveniamus oportet, ut ejus finem, atque excellentiam aptius agnoſcamus.

ARTICULUS I.

An per Sacramentum Baptiſmi infundatur gratia habitualis, & auferatur prorſus culpa cum pœna.

1. NON eſt hic, cur quæſtionem promoveam, in quo conſiſtat hæc gratia habitualis, & quænam fuerint veterum Theologorum opiniones. Neque etiam in medium proferam hæreticos illos, qui vel nimium baptiſmati tribuerunt, vel nihil; Non enim latet, Jovinianum tam alte de baptiſmo ſenſiſſe, ut dixerit per ipſum, non amplius repullulaturum extingui peccatum: Novatores noſtrorum temporum alia plura aſſerunt. 1. baptizatum damnari non poſſe, niſi renuat credere. 2. non teneri ad legi Divinæ obtemperandum, & multo minus legibus humanis. 3. ſolam memoriam baptiſmi juſtificare à peccatis, quæ poſt baptiſmum committuntur. 4. ab omnibus votis baptiſmum liberare: contra quos omnes agit Concil. Trident. ſeſſ. 7. de Baptiſ. per plures Cano-

Digitized by Google

nes, quos hic non ſubjicio, omneſque refellit Eminentiſſimus Bellarmin. lib. 1. de Baptiſ. cap. 12., aliiſque: Temporibus Epiphanii fuerunt, qui dicebant, per baptiſmum tantum tegi, non omnino tolli peccata: Tempore Theodoreti, baptiſmum nihil prodeſſe; Quid vero Pelagiani ſenſerint, notum eſt. Interim.

2. Dogma Fidei eſt, per baptiſmum infundi gratiam ſanctificantem interiorem.

Prob. ex pluribus Scripturæ textibus, quibus tales notæ baptiſmati tribuuntur, quæ ſine gratia interiori ſanctificante ſervari non poſſunt. Ad Roman. 6. *Quicumque baptizati ſumus in Chriſto Jeſu, in morte ipſius baptizati ſumus; Conſepulti enim ſumus cum illo per baptiſmum in mortem; ut quomodo Chriſtus ſurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus*. 1. ad Corint. 6. *Abluti eſtis, ſanctificati eſtis, juſtificati eſtis*. Ad Tit. 3. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus Sancti*. Hiſce omnibus adde, quæ pluribus in locis ſuperius produximus. Hinc merito Concil. Trident. ſeſſ. 7. can. 6. definit, Sacramenta novæ legis in non ponentibus obicem gratiam producere; hæc autem gratia actualis non eſt, cum permaneat in iis, qui nullum deliberatum actum habuerunt, ut in amentibus, & in pueris apparet; ergo.

3. Aufertur ergo per baptiſma omne quod culpæ tribui poteſt, ad quod amplius probandum ea omnia adduci poſſunt, quæ à nobis dicta ſunt in noſtro Tom. 2. de juſtificatione, per quæ etiam rejiciuntur ea, quæ Novatores nobis opponunt: Addimus tamen hic nonnulla ex ferme innumeris Sanctorum Patrum teſtimonia; quibus probabitur quod ſecundo reſolvimus, nempe.

4. Baptiſmi gratiam talem ac tantam eſſe, ut liberet etiam ab omni pœna. Si fortaſſe vellent Tertullianum, hunc legant lib. de Baptiſ. cap. 1., & 4., & 5. Si Clementem Alexandrinum, hunc lib. 1. Pædag. cap. 6. Si Gregorium Nazianz., hunc orat. 40. Si Nyſſenum, hunc orat. in Bapt. Chriſti; Mihi ſufficiant Hieronym. & Auguſtin. Primus in epiſt. 82. ad Ocean. ſic habet; *Omnia ſcorta, & publicæ colluvionis ſordes, impietas in Deum, parricidium, & inceſtus &c. Chriſti fonte purgantur; Omnia nobis baptiſmate condonata ſunt crimina; nec poſt indulgentiam, Judicis metuenda eſt ſeveritas*. Secundus vero lib. 2. de peccatorum meritis, & remiſſione cap. 28. ait: *Si continuo conſequatur ex hac vita migratio, non eſt omnino, quod obnoxium hominem teneat, ſolutis omnibus, quæ tenebant*. Et ſerm. de Symbolo ad Cathecum. cap. 10. *Omnia prorſus delicta delet ſanctum baptiſma, & originalia, & propria, dicta, facta, cogitata, cognita, incognita, omnia dimittuntur. Innovat hominem, qui fecit hominem; donat delicta, qui non quærit merita*.

5. Quid tamen plura, cum hæc noſtra veritas ex perpetua Eccleſiæ praxi evincatur, quæ baptiſmate regeneratos nunquam aliqua pœnitentia, ſeu opere laborioſo ac ſatisfactorio mulctavit; ut habetur ex Sanctis Patribus, præſertim Baſilio in exorthat. ad Baptiſm., Ambroſ. lib. de Elia, & jejunio cap. ultimo; Chryſoſt. hom. 1. ad baptizandos; Gregor. Nazianz. orat. 40.; & denique ex Concilio Nicæno ſtatuente in Symbolo baptiſmum in remiſſionem peccatorum; Florentino in decreto Unionis; & Tridentino &c.

6. Si res ita eſt, inquies, cur ergo in baptizatis remanet adhuc concupiſcentia, quæ teſte Apoſt. ad Roman. 7. peccatum eſt? & rurſus, ſi omnis pœna aufertur, cur igitur baptizati eſuriunt, ſitiunt, ægrotant, moriuntur? cum tamen hæc omnia ſint pœna peccati.

Reſp. concupiſcentiam ſecundum ſe non eſſe peccatum, jam alibi à nobis dictum eſt; fuiſſet ſiquidem etiam in ſtatu puræ naturæ, ſi hæc fuiſſet à Deo con-

condita, nunc vero ex peccato quidem eſt, & ad peccatum inclinat; nec tamen eſt peccatum, ſed remanſit in nobis ad agonem, ut qui legitime certaverit, coronetur, quæ eſt doctrina Concilii Tridentini ſeſs. 5. in decreto de peccato originali. Quod vero dicitur de aliis pœnalitatibus, quibus obnoxii ſunt baptizati multifariam à Sanctis Patribus rejicitur. 1. quidem, ut intelligamus Sacramentorum efficaciam non ad temporalia, ſed ad ſpiritualia bona fuiſſe inſtitutam; 2. ut virtus in infirmitate perficeretur, & quanti valeat Chriſti gratia, cognoſceremus. 3. ut carnis felicitas fidei fortitudinem non minueret. 4. ut oſtendatur, quid hominis culpa ſibi poſtulet &c. Certe Chriſtus Dominus abſque peccato fuit, ut oſtendimus in proprio loco, omnes tamen iſtas ſuſtulit pœnalitates; non igitur ex iſtis remanentibus peccatum remanere, oſtendi poteſt. Potuiſſet quidem Chriſtus meritis ſuis has omnes auferre, ſed noluit: Si quæras, quare noluerit; ab ipſo reſponſum expectes. Satis tamen ego ipſe dedi, ſi ſuperius dicta perpendas. Illa etiam in mentem revoca, quæ de baptiſmo ſanguinis expoſuimus.

ARTICULUS II.

An Baptiſmus remota fictione reviviſcat.

7. Marſilius, & Gabriel in 4. diſ.4. qu.2. docent, baptiſmum reviviſcere ablata fictione non quantum ad præcipuum effectum, qui eſt gratia habitualis, per quam baptizatus renaſcitur; ſed ſolum quantum ad effectus minus præcipuos, ideſt ad remiſſionem pœnæ temporalis, & quædam auxilia, quæ gratiæ habituali ſuperadduntur per gratiam Sacramentalem; gratia enim habitualis, inquiunt, producitur vel ab actu contritionis, vel à Sacramento pœnitentiæ, cum fictio tollitur, & quamvis non producatur ſine baptiſmo, hoc eſt ſine complacentia de baptiſmo ſuſcepto, non tamen producitur à baptiſmo; ſicuti quando adultus non baptizatus per actum contritionis juſtitiam acquirit, hanc non conſequitur ſine voto baptiſmi, & tamen baptiſmus ad illam gratiam producendam ex opere operato non concurrit; & ſic explicant quod habetur in Concil. Trident ſeſs. 6. c. 4. nimirum translationem ab eo ſtatu, in quo homo naſcitur filius Adæ, in ſtatum gratiæ, ſine lavacro generationis, & ejus voto fieri non poſſe. Communiter tamen Theologi, cum S. Th. quæſt.69. art.10. Scoto in 4. diſt.4. qu.5. &c. ſentiunt, remota fictione produci per baptiſmum tam gratiam habitualem, quam cœteros effectus, & quidem ex opere operato.

8. Porro duplici fictione Sacramentum ſuſcipi poteſt; primo cum aliquo defectu, cujus intuitu Sacramentum non valet, neque perficitur, puta vel materiæ, vel formæ, vel intentionis: ſecundo; cum defectu impediente fructum Sacramenti. Certum eſt, in primo ſenſu Sacramentum illud ad gratiam ex opere operato producendam reviviſcere non poſſe, quia nunquam fuit; atque ideo negatur ſuppoſitum. In ſecundo autem ſenſu duplex effectus eſt diſtinguendus; ideſt privativus, quando quis accedit ad Sacramentum ſine aliqua diſpoſitione requiſita ad effectum Sacramenti, ſed involuntarie, & inculpate; necnon poſitivus, quando ſciens & volens: Defectus quicumque ſit appellatur fictio, quia accedens ad Sacramenta profitetur, ſe per ipſa, tanquam per inſtrumenta gratiæ, munerum Divinorum fieri velle participem, & tamen impedit, ne Sacramenta ſuum effectum producant.

9. Sentio; baptiſmum ficte receptum ablata fictione reviviſcere, gratiamque ex opere operato producere.

Prob. 1. ex S. Auguſtino lib. 1. contra Donatiſ. cap. 1. dicente: *In illo, qui fictus acceſſerat fit, ut non denuo baptize-*

zetur, ſed ipſa pia correctione, & vera confeſſione purgatur, quod non poſſet ſine baptiſmo, ut quod antea datum eſt, tunc valere incipiat ad ſalutem, cum illa fictio veraci confeſſione receſſerit. Et lib. 3. cap. 13. loquente de baptiſmo accepto in hæreſi, vel ſchiſmate: *Tunc incipit valere idem baptiſmus ad dimittenda peccata, cum ad Eccleſiæ pacem venerint*. Hoc idem tradit pluribus in aliis locis.

10. Prob. 2. ratione. Cauſa productiva alicujus effectus applicata ſubjecto capaci, & impedita, ne producat ſuum effectum, ſi perſeveret applicata, & removeatur impedimentum, ſuum effectum producit; ſed baptiſmus, ficte ſuſceptus, eſt cauſa productiva gratiæ habitualis regenerantis: eſt applicata ſubjecto capaci, nempe homini viatori elevato ad finem ſupernaturalem, & impedita, ne producat effectum ſuum per ſubjecti indiſpoſitionem; perſeverat etiam applicata in charactere relicto; ergo remoto impedimento, ideſt ablata fictione, debet producere ſuum effectum, ideſt gratiam habitualem: & ſicuti ita perſeverat per adverſarios, ut ſtatim producat plures effectus; quare non ita perſeverabit, ut producat etiam effectum principalem? Hęc ſane fuit mens Concilii Tridentini ſuperius laudati; Cum enim definierit, hominem transferri ad ſtatum gratiæ per lavacrum generationis, & ejus votum; jam declaravit, baptiſmum remota fictione ita hominem transferre: poſt enim baptiſmum ſuſceptum, votum non amplius habet locum, nam ſi locum haberet, iterum ſuſcipiendum eſſet baptiſma in re, quod minime; Rationem à me adductam confirmant verba S. Thom. in 4. diſt. 4. qu. 3. art. 2. quæſtiunc. 3. & ſunt iſta: *Cum fictio non auferat characterem, recedente fictione, quæ effectum impediebat, character, qui eſt præſens in anima, incipit habere effectum ſuum, & ita baptiſmus recedente fictione effectum ſuum conſequitur*.

11. Op. 1. Baptiſmus eo tempore gratiam producit, quo ſignificat; ſed ſignificat tantum pro tempore præſenti; ergo prob. mi. forma baptiſmi eſt: *Ego te baptizo &c.* ergo. Conſ. forma baptiſmi non ſignificat gratiam producendam à baptiſmo futuro; ergo neque producendam à præterito.

Reſp. conc. maj. diſ. mi. ſignificat in actu primo ne. mi. in actu ſecundo ſubdiſtinguo, nullo poſito impedimento conc. poſito ne. mi. & conſ., & juxta hoc explicatur forma baptiſmi. Ad confir. diſp. eſt, quia baptiſmus præteritus perſeverat per aliquid ſui, videlicet per characterem; non ſic baptiſmus futurus.

12. Op. 2. Si baptiſmus remota fictione produceret effectum ſuum, deleret peccatum originale, & alia actualia baptiſmum antecedentia, imo etiam ſubſequentia, ſed hoc non; ergo. Prob. prima pars min. Pœnitentia confert gratiam; ergo delet ſicut peccata actualia, ita originale; cum non poſſit remitti unum peccatum, quin remittatur aliud; Prob. ſecunda, quia per Patres, & Concilia peccata, ſubſequentia baptiſmum, delentur per pœnitentiam; ergo.

Reſp. Quod ſicuti datur gratia ſanativa, & regenerativa; ita, dum removetur fictio, utraque producitur, ſanativa per Sacramentum pœnitentiæ, regenerativa per baptiſmum; Hoc quidem, quantum ad peccata ſubſequentia, quæ clavibus Eccleſiæ ſubduntur; quantum vero ad antecedentia, ſolo baptiſmate remitti poſſunt, & per pœnitentiam ſola fictio removetur, juxta doctrinam S. Th. in 4. diſ. 69. art. 10. ad 2. dicentis: *Fictio non removetur per baptiſmum, ſed per pœnitentiam ſubſequentem, qua remota baptiſmus aufert culpam, & reatum omnium peccatorum præcedentium baptiſmum, & etiam ſimul exiſtentium cum ipſo*.

13. Dices. Si per pœnitentiam tollitur fictio, tollitur etiam peccatum; fictio enim iſta, ſi voluntaria ſit, peccatum

tum eſt; ſed non poteſt tolli peccatum, niſi gratia infundatur; ergo per pœnitentiam infunditur gratia, & ideo baptiſmus nullum producit effectum.

Sed contra; Inſtantia ſoluta eſt, dicendo, per pœnitentiam infundi gratiam ſanativam, & ſic tolli peccatum. Neque obſtat, gratiam ſanativam præſupponere regenerativam; nam hoc verum eſt ut plurimum,& quando pro gratia regenerativa non ſit impedimentum, quod auferri debet per gratiam ſanativam, quæ ſe habet per accidens, & ut removens prohibens; quod totum traditur à S. Th. laudato loco dicente: *Ad baptiſmi effectum conſequendum concurrit baptiſmus, & pœnitentia, ſed baptiſmus ſicut cauſa per ſe agens; pœnitentia ſicut cauſa per accidens, & ut removens prohibens.*

14. Op. 3. Si baptiſmus, remota fictione, gratiam produceret, hoc præſtarent etiam alia Sacramenta, ſed hoc non eſt dicendum, cum nullum habeatur ex Sanctis Patribus fundamentum; ergo.

Reſp. argumentum ſe ipſum deſtruere, nam pro baptiſmo habetur fundamentum in Patribus. Revera tamen quod dicimus de baptiſmo, dicendum etiam de aliis Sacramentis imprimentibus characterem; De reliquis vero videtur oppoſitum concludendum; Cum enim id negetur Euchariſtiæ, reliquis etiam potiori ratione poteſt negari. Mitius fortaſſe me gererem, loquendo de matrimonio, utpote conſiſtente in vinculo indiſſolubili; & de extrema unctione, quæ in eadem infirmitate iterari non poteſt; Attamen ſatis apte in hac re dicit Contenſonus, quod licet recedente fictione gratiam non operentur matrimonium, & extrema unctio, credibile tamen eſt, auxilia actualia, ad Sacramentorum fines ordinata, divina clementia concedi.

ARTICULUS III.

An Baptiſmus imprimat characterem, & iterari poſſit.

15. Nonnulla jam diximus in priori parte de Sacramentis in genere, quæ ſatis eſſent ad dirimendum quod propoſuimus, quia tamen de baptiſmo hic agimus, quædam peculiaria ad baptiſmum tantum pertinentia nobis ſubdere permittatur; & quantum attinet ad characteris impreſſionem celeberrima eſt illa Auguſtini ſententia tract. 6. in primam Joannis epiſtolam: *Accepit*, inquit, *Sacramentum nativitatis homo baptizatus, Sacramentum habet, & magnum Sacramentum, divinum, ſanctum, ineffabile .... Videat, ſi habet charitatem, & tunc dicat; natus ſum ex Deo; ſi autem non habet, characterem quidem impoſitum habet, ſed deſertor vagatur.*

16. Porro ex hoc charactere per baptiſmum recepto ſequitur, baptiſmum iterari non poſſe, quam rationem adduxit Eugenius IV. in Decreto poſt Concilium Florentinum, necnon Concilium Tridentinum ſeſſ. 7. can. 9. & jure quidem optimo, etenim Eccleſia Sancta eos ſemper damavit, ac deteſtata eſt, qui rebaptizare auſi ſunt, aut rebaptizari tentarunt, etiamſi ex metu, vel errore id egerint; De iſtis enim ait S. Leo epiſt. 129. ad Nicetam Epiſcopum Aquilejenſem: *His, qui ad iterandum baptiſmum, vel metu coacti ſunt, vel errore traducti, & nunc ſe contra Catholicæ fidei Sacramentum egiſſe cognoſcunt, ea cuſtodienda eſt moderatio, qua in ſocietatem noſtram non niſi per pœnitentiæ remedium, & per impoſitionem Epiſcopalis manus communionis recipiant unitatem, &c.* Contra illos vero ita res peracta eſt, ut ſacri Canones eos irregulares declaraverint. Cap. *Qui bis* diſt. 4. de conſecr. cap. *Eos* ibidem, cap. *Licet* Extra *de baptiſmo, & ejus effectu*; & in Concilio Lateran. Generali

rali contra Græcos ſchiſmaticos excommunicationis, & depoſitionis ab officio, & beneficio pœna ſtatuitur; ecce verba: *Si quis autem talem præſumpſerit, excommunicationis mucrone percuſſus, ab omni officio, & beneficio Eccleſiaſtico deponatur*: Imo etiam Imperatorum legibus rebaptizationis crimen vindicatum eſt decreta capitis pœna, tit. *Ne ſanctum baptiſma iteretur* in Cod. Juſtiniani.

17. Neque deſunt rationes aliquæ, quibus hoc ſingillatim de baptiſmo oſtendatur. Prima deſumi poteſt ex originali peccato, quod unicum eſt, & pro cujus expiatione præcipue inſtitutus eſt baptiſmus; ſicut igitur peccatum illud ſemel tantum contrahitur, nec ulterius contrahi poteſt, ita & baptiſmus ſemel tantum ſuſcipitur, nec ulterius ſuſcipi poteſt; unde Eccleſia in Symbolo *unum baptiſma in remiſſionem peccatorum* ſe credere profitetur. Unde & Paulus ad Epheſ. cap. 4. prius dixerat: *Unus Dominus, una Fides, unum Baptiſma*, quia juxta expoſitionem Cyrilli Jeroſolymit. aliorumque, iterari non poteſt.

18. Secunda deſumitur, quia quicumque baptizantur, in morte Chriſti baptizantur, per quem peccato moriuntur, & in vitæ novitatem reſurgunt, juxta doctrinam Pauli ad Rom. 6. dicentis: *Quicumque baptizati ſumus in Chriſto Jeſu, in morte ipſius baptizati ſumus; conſepulti enim ſumus cum illo in mortem; ut quomodo Chriſtus reſurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus*; Chriſtus autem ſemel tantum mortuus eſt, non amplius moriturus: *Reſurgens*, enim, *ex mortuis jam non moritur; mors illi ultra non dominabitur*; ergo & nos ſemel tantum per baptiſmum commori cum ipſo poſſumus. Hoc reſpiciens ait Apoſtolus ad Hebr. 6. *Impoſſibile eſt, eos, qui ſemel illuminati ſunt ..... & prolapſi ſunt, rurſus renovari ad pœnitentiam*, nempe iterum baptizari, ut explicant Ambroſ. lib. 2. de pœnitent. cap. 2. Epiphan. hæreſi 59. Hieronym. lib. 2. contra Jovinian. Auguſtinus, omneſque Patres. Et quamvis Euchariſtiæ ſacrificium, & ſumptio, licet ſint in mortis Chriſti commemorationem inſtituta, iterentur, non propterea inferas, iterari poſſe & baptiſma; etenim ex ratione, quam ſtatim ſubdo, aſſertur diſparitas.

19. Eſt igitur tertia ratio, quia baptiſmus eſt nova regeneratio, & nativitas juxta illud Chriſti: *Niſi quis renatus fuerit, &c.* ſicut igitur homo ſecundum carnem ſemel tantum naſci poteſt & generari, ita etiam ſemel tantum ſecundum ſpiritum; Peregregie in illa verba Joan. 5. *Numquid poteſt homo in ventrem matris ſuæ iterato introire, & renaſci?* ait Auguſt. *Sic tu intellige nativitatem ſpiritus, quomodo intellexit Nicodemus nativitatem carnis; quomodo enim uterus non poteſt repeti, ſic nec baptiſmus*.

20. Cum igitur Euchariſtiæ ſacrificium & ſumptio ſint quidem mortis Chriſti repræſentatio; non tamen adinſtar regenerationis, & nativitatis, ſed adinſtar ſpiritualis convivii; ſequitur iterari poſſe, & debere, ſicut homo non ſemel tantum carnaliter paſcitur; Hæc ſunt verba S. Th. quæſt. 66. art. 9. *Quia homo ſemel naſcitur, multoties autem cibatur, ſemel tantum datur baptiſmus, multoties autem Euchariſtia*.

ARTICULUS IV.

De diſcrimine inter Baptiſmum Chriſti, & Joannis.

21. CUM diſcrimen, quod inter duo invenitur, potiſſimum ex diverſorum effectuum productione dijudicari poſſit, merito ad hunc locum propoſitam difficultatem revocavi. Tempore S. Auguſtini Petilianus Epiſcopus ex parte Donati in ſubſtantia non diſtinxit baptiſmum Joannis, & Chriſti; tres tamen gradus in eo admiſit aquam tribuens Joanni, Spiritum San-

Sanctum Chriſto, ignem vero Paracleto; ut colligitur ex eodèm Auguſtino lib. 2. contra litteras Petiliani cap. 33. & alibi.

22. Lutherus ſuę prædicationis initio in diſputatione de baptiſmi lege diſcrimen agnovit inter utrumque, & primo aſſeruit, baptiſmum Joannis Sacramentum non eſſe, ſed eſſe illum Chriſti; 2. Per baptiſmum Joannis non remitti peccata, remitti per baptiſmum Chriſti; 3. Baptizatos à Joanne iterum eſſe baptizandos, non autem baptizatos à Chriſto; Recte in hoc ſenſerat Lutherus: ſed quia hæc doctrina reliquis, quæ de Sacramentis docuerat, non cohærebat; ideo ejus diſcipuli ab eo receſſerunt; atque utriuſque baptiſmum unum in natura fuiſſe dixerunt: Ita apud Zuvinglium lib. de vera, & falſa Religione cap. de Baptiſmo, Bucerum, Selneccerum, Melancthonem, qui in locis an. 1558. tit. de Baptiſmo ita loquitur: *Joannes de paſſuro Chriſto, Apoſtoli de paſſo, & reſuſcitato prædicabant; miniſterium tamen fuit idem, & effectus eoſdem habuit in credentibus.*

23. Sed neque inter Catholicos eadem fuit ſententia: Magiſter Sententiarum duo diſtinxit ex parte recipientium Joannis baptiſmata; Unum illorum erat, qui, Spiritu Sancto non agnito, in eo baptiſmo ſpem collocabant, atque iſti erant rebaptizandi; Alterum illorum, qui Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum credebant, nec in Joannis baptiſmo ſpem ſuam reponebant, atque iſti alio baptiſmo non indiguerunt, nec poſtea baptizati ſunt. Hanc opinionem merito irrationalem dixit S. Th. 3. p. q. 34. art. ult. & talem fateatur etiam Magiſter neceſſe eſt, cum concedat, baptiſmum Chriſti poſt promulgationem ſuam omnes homines obligaſſe; ſed baptiſmus Joannis non erat baptiſmus Chriſti; ergo baptizati à Joanne Chriſti baptiſmum debebant ſuſcipere.

24. Aliqui verò dixerunt, Joannis baptiſmum quoddam veteris legis Sacramentum fuiſſe; ita Durandus qu. 3., imo etiam S. Th. in 4. diſ. 2. qu. 3., ſed oppoſitum tradidit 3. p. qu. 38. art. 1., quia, cum Sacramenta veteris legis cum ipſa lege initium habuerint; fieri non poteſt, hujuſmodi fuiſſe illum baptiſmum, qui tantum deſinente lege ſumpſit exordium, ſtatimque finem accepit: ideo laudato loco inquit Angelicus; *non fuiſſe Sacramentum, ſed quaſi quoddam Sacramentale diſponens ad baptiſmum Chriſti*: Aliqui vero Sacramenti dignitatem illi conceſſerunt, ſed cujuſdam legis mediæ inter novam, & veterem; atque hæc opinio videtur fuiſſe S. Bonaventuræ in 4. diſ. 2. qu. 2. art. 2., ſed, ſi velint admittere aliquod Sacramentum medium inter utramque legem, adinveniant etiam aliam mediam legem; Non me præterit, iſtos deceptos eſſe, quia ſignificabat Chriſti baptiſmum, gratiamque dandam per ipſum; At neque illos præterire debuiſſet, non omnes figuras fuiſſe Sacramenta, aliter diluvium, & mare rubrum, quæ juxta Petrum epiſt. 1. c. 3., & 1. ad Corint. 10. ſignificarunt baptiſmum, nec non manna, Euchariſtiæ Symbolum, Sacramenta fuiſſent; quod non concedent.

25. Sed deveniendum ad rem contra hæreticos ſtatuendam. Primo baptiſmum Joannis non fuiſſe Sacramentum. Secundo, non habuiſſe eam virtutem, & efficaciam, quam habuit baptiſmus Chriſti. Tertio, poſt baptiſmum Joannis neceſſarium fuiſſe baptiſmum Chriſti; Videtur quidem, rem totam unica poſſe definiri aſſertione; unum etiam ex alio ſequitur; attamen tres poſitæ ſunt, ut major claritas ſervaretur.

26. Prob. prima pars ex dictis ſupra. Si enim fuit Sacramentum vel fuit veteris, vel novæ legis, ſed neutrum; ergo. Præterea: Juxta ea, quæ à nobis dicta ſunt de Sacramentis in genere, author Sacramentorum eſt ſolus Deus; baptiſmi autem Joannis non Deus author fuit, ſed Joannes ipſe, ideo abſolute appellatus eſt nomine illius juxta illud

illud Mat. 3. *Videns Joannes multos venientes ab baptiſmum ſuum*. Porro ex hoc rectè infertur, Joannem non fuiſſe miniſtrum ſolum, ſed inſtitutorem; aliter pari ratione baptiſmus à Petro vel Paulo datus dici potuiſſet eorum baptiſmus, quod tamen vetat Apoſt. 1. ad Corint. cap. 1. Tandem ſpectat ad Sacramenti notionem eſſe ſignum ſenſibile permanens, ut alibi dictum eſt; baptiſmus autem Ioannis breviſſimo tempore viguit; quâ in re ait Auguſt. lib. 5. de Baptiſ. cap. 9. *Accepit Joannes baptiſmum non diu manſurum, ſed quantum ſatis eſſet ad parandam viam Domino, cujus eum eſſe præcurſorem oportebat*.

27. Adverſus momentum ſecundum videntur adduci poſſe illa verba Ioan. 1. quibus Ioannes Baptiſta de ſe ipſo dixit: *Qui miſit me baptizare, ille mihi dixit*. Fuit igitur Ioannes Miniſter baptiſmi, nimirum miſſus à Deo ad baptizandum; Contra tamen eſt: Si Dei inſpirationem, qua motus & excitatus fuit Ioannes ad baptizandum conſideremus, ejuſdem baptiſmi authorem Deum poſſumus affirmare; Si autem ritum, quo baptiſmus conferebatur, perpendamus, hujus inſtitutor fuit ipſe Ioannes, neque à Deo fuit præſcriptus. Ita reſpondet Tertullianus lib. de Baptiſmo cap. 10. ubi inquirens, an baptiſmus Ioannis fuerit de Cœlo, an ex hominibus, ait: *poſſumus æſtimare Divinum quidem eum baptiſmum fuiſſe mandatum, tamen non poteſtatem, quod & Joannem à Domino miſſum legimus in hoc munus; cæterum humanum conditione, nihil enim cæleſte præſtabat, ſed cæleſtibus præminiſtrabat, pænitentiæ ſcilicet præpoſitus, quæ eſt in hominis poteſtate*. Idem habet Auguſtinus lib. 5. de Baptiſ. cap. 13.

28. Sed quamvis concederemus, Ioannis baptiſmum verum Sacramentum fuiſſe, nihilominus omnino diverſum fuiſſe ab illo Chriſti, tanquam indubitatum haberi debet; Si aquam demas, quæ utrique communis fuit, reliqua omnino defecerunt; aut enim collatus fuit à Ioanne ſine alicujus verbi prolatione; aut certe non fuerunt talia verba, ut expreſsè Sanctiſſima Trinitas invocaretur. Excitavit quidem Ioannes prædicatione ſua populos ad credendum in illum, qui venturus erat, atque hoc tantum colligitur ex illa Act. 19. Pauli ſententia. *Joannes baptizavit baptiſmo pœnitentiæ populum dicens, in eum qui venturus eſſet poſt ipſum, ut crederent, hoc eſt in Jeſum*. Denique obſerva, baptiſmum Ioannis fuiſſe quidem pro adultis, qui dumtaxat pœnitentiæ capaces ſunt; non vero pro parvulis, pro quibus etiam eſt Chriſti baptiſmus.

29. Oſtenditur modo ſecunda pars à nobis propoſita; quam meliùs oſtendet ipſe Ioannes; Mat. 3. ſic ait: *Ego quidem baptizo vos aqua in pœnitentiam, qui autem poſt me venturus eſt, fortior me eſt, cujus non ſum dignus calceamenta portare, ipſe vos baptizabit in Spiritu Sancto*; & Marci 1. *Ego baptizavi vos aqua, ille vero baptizabit vos Spiritu Sancto*. Similia leguntur Luc. 3. & Ioan. 1., ex quibus ſic inferas; Baptiſmus, qui eſt tantùm in aqua, non habet virtutem & efficaciam, quam habet baptiſmus in aqua, & Spiritu Sancto; ſed baptiſmus Ioannis fuit tantum in aqua, ille Chriſti in aqua, & Spiritu Sancto; ergo baptiſmus Ioannis non habuit virtutem & efficaciam, quam habet baptiſmus Chriſti.

30. Huic argumento non nulla reponunt hæretici. 1. In laudatis verbis non contuliſſe Ioannem baptiſmum ſuum cum baptiſmo Chriſti, ſed tantum ſuam perſonam cum perſona iſtius; atque diſcrimen poſuiſſe inter Miniſterium externum, quod ipſe exercebat, & miniſterium internum, quod Chriſto conveniebat; ita ut in Joannis baptiſmo collata fuerit peccatorum remiſſio, ſed ex virtute Chriſti per miniſterium Ioannis. 2. Ibi non eſſe ſermonem de vero Chriſti baptiſmo, ſed de illa viſibili donorum effuſione, quam die Pentecoſtes acceperunt Apoſtoli, ſicut Act. 1. dictum

fuit

fuit; *Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu Sancto non poſt multos hos dies*. Et Act. 2. dixit Petrus. *Recordatus ſum verbi Domini, ſicut dixit; Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu Sancto*.

31. Flocci tamen utraque reſponſio habenda eſt; prima quidem, cum in ipſa & ſermo ſit de baptiſmo cum baptiſmo collato, & de perſona collata cum perſona; manifeſtum eſt hoc, ſi attendantur verba Ioannis; etenim de miniſterio ſuo loquitur in præſenti, de illo Chriſti in futuro: *Ego baptizo, Ille baptizabit*; ergo non poteſt dici, Ioanni conveniſſe miniſterium externum, Chriſto vero internum. Quod ſi uſus eſt etiam tempore præſenti, dicens: *Hic eſt, qui baptizat in Spiritu Sancto*. Nihil ad rem; etenim vel tantum ſignificatur, ut exponit Auguſtin. tract. 13. in Ioan., quod quando Chriſtus baptizat, in Spiritu Sancto baptizat, quod Ioanni non conveniebat; vel tempus præſens ſumitur pro futuro, ſicut, dum dixit: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*, tempore præſenti uſus eſt; nec tamen aliud volebat innuere, niſi Chriſtum per mortem ſuam ſublaturum eſſe peccata.

32. Secunda etiam; Nam dato Spiritus Sancti deſcenſum aliquo pacto dici potuiſſe baptiſmum, in quo ſenſu, jam à nobis dictum eſt; Unum tamen non excludit aliud; Quælibet gratia dici poteſt baptiſmus; quia quælibet gratia, ſicut animam ornat, dici poteſt animæ major ablutio; & juxta hanc conſiderationem, uterque textus veritatem aſſequitur. Revera tamen Ioannis verba non ad baptiſmum, quem à Spiritu Sancto Pentecoſtes die receperunt Apoſtoli, referuntur, ſed ad illum, cujus Chriſtus inſtitutor fuit, quique ante Spiritus Sancti deſcenſum fuit adhibitus. Omnia tamen admittamus, & verba Ioannis, & verba Chriſti, & verba Petri, quid inde inferetur? Tria fuiſſe baptiſmata: Unum in aqua tantum, & hoc fuit Ioannis; aliud in aqua & Spiritu Sancto, ſine igne, & hoc fuit Chriſti; Tertium in Spiritu Sancto & igne ſine aqua, & hoc fuit Spiritus Sancti, dum viſibiliter ſub ignearum linguarum forma diſcipulis ſe dedit; Hoc autem dicere nihil hæreticis ſuffragatur. Baptiſmus in aqua tantùm ex ſe nihil contulit gratiæ; Baptiſmus in aqua & Spiritu Sancto abſolute contulit gratiam; Baptiſmus in Spiritu Sancto, & igne ampliora gratiæ contulit dona; non tamen baptiſmatis, ſed confirmationis Sacramentum explicavit.

33. Iam vero ad tertium punctum declarandum devenio. Hoc autem melius declarari non poteſt, quam ex canonica hiſtoria. A Sancto Petro prædicante neceſſitatem baptiſmi Chriſti verbis illis. *Pœnitentiam agite, & baptizetur, unuſquiſque veſtrum* baptizatos eſſe una die homines ter mille, & paulo poſt quinque mille, ultra illos, quos baptizaverunt Philippus, aliique Apoſtoli in pluribus locis Iudeæ, ac Samariæ, legimus in actis Apoſt. cap. 2. 4. 8. credi autem non poteſt, aliquos ex iſtis prius non fuiſſe à Ioanne baptizatos; nam ut narrant Mat. cap. 3. Marc. cap. 1. & Luc. cap. 3., ibant ad Ioannem, ut baptizarentur tota Ieruſalem, omnis Iudæa, & regiones omnes vicinæ Iordani; & ſi quis diceret, argumentum hoc tantum eſſe probabile, certiſſimum exhibemus ex Act. 19., ubi duodecim illi Epheſii, qui ſe Ioannis baptiſmate tantum tinctos, confeſſi ſunt: in nomine Ieſu Chriſti baptizati fuerunt à Paulo: Quapropter Hieronym. in dial. contra Luciferianos ait: *Baptiſma Joannis in tantum imperfectum fuiſſe, ut conſtet poſtea Chriſti baptiſmate baptizatos, qui ab eo fuerant baptizati*.

34. Hoc argumento adeo premuntur hæretici, ut ad minimum ſexdecim adhibuerint diverſas inter ſe explicationes, ex qua opinionum diverſitate eorum protervia ac doctrinæ infirmitas declaratur; Aliquas tantum expo-

nam, quibus ipſi præcipue glorientur.

Reſpondent 1. ibi non eſſe ſermonem de baptiſmo Chriſti vero, ſed metaphorico, ideſt de Doctrina Chriſti; ita ut fuerint in Chriſti myſteriis edocti: vel non ſignificari vero aquæ baptiſmo tinctos eſſe, ſed uberiori donorum Spiritus Sancti largitione fuiſſe donatos.

Perperam hoc dictum eſt; primum quidem, etenim, ut toties dictum fuit, hiſtorica verba nunquam metaphoricè ſumenda ſunt ſine urgenti neceſſitate; quænam autem in re noſtra neceſſitas? niſi quæ à vano Socinianorum cerebro fingitur? & ubi agitur de baptiſmo Chriſti ſemper ſermo eſt de baptiſmo aquæ, cujus Chriſtus fuit inſtitutor. Secundum vero; quia in ſacro textu fit expreſſa diſtinctio baptiſmi, & manuum impoſitionis, per quam uberiora Spiritus Sancti dona receperunt; legitur enim: *Baptizati ſunt in nomine Domini Ieſu, & cum impoſuiſſet illis manus Paulus, venit Spiritus Sanctus ſuper eos, & loquebantur linguis, & prophetabant*.

35. Reſpondent 2., ibi ſermonem eſſe de baptiſmo proprie accepto, ſed agi tantum de baptiſmo Ioannis, & volunt, verba illa: *His auditis baptizati ſunt &c.* non eſſe Lucæ narrantis, quid egerint illi viri poſt audita verba Pauli, ſed eſſe verba ejuſdem Pauli narrantis, quid agere ſolerent diſcipuli Ioannis, poſt auditam Ioannis prædicationem, nimirum audita prædicatione Chriſti venturi, in hujus nomine à Ioanne baptizabantur. Reſponſionem hanc laudat Selneccerus in 2.p. Pædagogiæ. Voſſius vero diſp.8. de Bapt.Theſi 33. illam appellat novam, proinde parum firmam.

Ego vero illam appellabo novam & improbabilem; nec aliunde hoc oſtendere placet, quam ex contextu. Prius Paulus illos interrogavit; Si Spiritum Sanctum acceperint credentes; reſponderunt; ſed neque ſi Spiritus Sanctus eſt, audivimus. Subdit Paulus; in quo ergo baptizati eſtis? dixerunt. In Ioannis baptiſmate; Proſequitur Paulus. Ioannes baptizavit baptiſmo pœnitentiæ populum, dicens: In eum, qui venturus eſſet poſt ipſum, ut crederent, hoc eſt in Ieſum; addit textus. His auditis, baptizati ſunt in nomine Domini Ieſu; & cum impoſuiſſet illis manus Paulus, venit Spiritus Sanctus ſuper eos, & loquebantur linguis &c. Ex his vides, jam illos diſcipulos baptizatos prius fuiſſe baptiſmo Joannis; vides, non deſcribi quid facere ſolerent Joannis diſcipuli vivente, & prædicante Joanne, ſed quid ab ipſis factum eſt mortuo jam Joanne, & prædicante Paulo; vides, baptizatos eſſe illo baptiſmo, in quo mentio eſt Spiritus Sancti, quæ in Joannis baptiſmo non erat; Vides tandem, ibi baptizatos fuiſſe, ubi fuerunt manus impoſitæ; proinde &c.

36. Reſpondent 3. Jure merito fuiſſe Epheſios illos à Paulo baptizatos, eo quia non fuerant legitimo Joannis baptiſmo baptizati, ſed à diſcipulis Joannis non ſervato ritu præſcripto. Huic autem reſponſioni plures ex Sanctis Patribus favere videntur. Primo; Ambroſius lib.1. de Spir. Sanct.cap.3., nec non in cap.3.ad Galat. Optatus vero Milevitanus lib. 5. adverſus Parmenian. dicit; Baptiſmum Joannis ante Chriſti reſurrectionem, ac promulgatam baptiſmi legem fuiſſe perfectum, nec iteratum; poſt verò fuiſſe imperfectum, & dumtaxat iſto fuiſſe baptizatos, quos Paulus baptizavit.

Sed peto ab adverſariis; quid deeſſe potuit illi baptiſmati, ut dicant non fuiſſe ſervatum ritum præſcriptum? nunquid quia non datum in nomine Trinitatis, & Spiritus Sancti, quem eſſe nec audierant? Sed quis unquam dicet, baptiſmum Joannis in Trinitatis nomine & Spiritus Sancti datum eſſe? Præterea; ſe baptizatos eſſe baptiſmo Joannis teſtati ſunt; fuit ergo ſervatus ritus eſſentialis illius baptiſmi; nam nemo diceretur baptizatus baptiſmo Chriſti, ſi non fuiſſet ſervatus ritus eſſentialis baptiſmi Chriſti.

Quod

Quod attinet ad Sanctum Ambroſium, aliqui ultro concedunt, diſtinxiſſe Sanctum Doctorem baptiſmum Ioannis ab illo, quem contulerunt ejus diſcipuli: Ego tamen non tam promptè in hoc aſſentior; ſaltem pro hujuſce loci explicatione; Fateor quidem Ambroſii mentem fuiſſe, duodecim illos viros verum baptiſmum Ioannis non habuiſſe: non dicit tamen, quod ſi habuiſſent, non fuiſſent iterum baptizandi, ſicut contendunt hæretici; imo in cap. 3. S. Lucæ prorſus oppoſitum docet, cum dicat: *Non aqua omnis ablutio eſt, & ideo aliud fuit baptiſma pœnitentiæ, aliud gratiæ eſt*.

Optati intentum erat tunc adverſus Parmenianum demonſtrare, baptiſmum, qui in uſu eſt ac probatus, non eſſe iterandum, ideo baptizatos Ioannis baptiſmate ante Chriſti reſurrectionem non fuiſſe rebaptizatos; poſt vero fuiſſe. Ait enim idem lib. 5. contra eumdem, rebaptizatum eſſe poſt Joannem, non eſſe rebaptizatum poſt Chriſtum.

37. Reſponſioni tertiæ num. ſuperiori favet etiam Eulogius Alexandrinus lib. 2. contra Novatianos: ſed Eulogium parvi facimus. Ille in hac re Patres deſeruit, itaque mirum non ſit, ſi à nobis deſeratur.

38. Et certe quicumque nobis adverſatur Patres deſeruiſſe cenſendus eſt, ſiquidem quod nos aſſeruimus perpetua fuit Patrum traditione demandatum. Horum plures congerit Eminentiſſimus Bellarminus lib. 1. cap. 21. Aliquos ego ex Græcis, Latiniſque producam; Origen. lib. 5. in epiſt. ad Rom. nec non in Joan. inquit: *Qui baptizati erant in Ioannis baptiſmo, denuo ab Apoſtolo baptizantur; quia regeneratio non apud Ioannem, ſed apud Ieſum per Apoſtolos ſuos fiebat*. Baſilius lib. 1. de Baptiſmo, concedens utique baptiſmum Ioannis peccatorum remiſſionem contuliſſe, (modo tamen à nobis inferius explicando) ait: *Quanto præſtantior eſt Spiritus Sanctus aqua; tanto excedit qui baptizat in Spiritu Sancto, illum qui baptizat in aqua*. Et orat. 13. ſeu exhortatione ad baptiſmum comparans utrumque baptiſmum inquit: *Ioannes prædicabat baptiſma pœnitentiæ, prædicat Dominus baptiſma adoptionis. Baptiſma illud vim habebat introducendi, hoc perficiendi; Illud receſſus à peccato; hoc conjunctio eſt cum Deo*. Ex Latinis jam produximus Tertullianum num. 27. Quod ſi prius dixerat: *Neque quidquam refert inter eos, quos Ioannes in Iordane, & quos Petrus in Tyberi tinxit*, ibi loquitur de baptiſmo tantum ſecundum materiam, ac docet, non referre quidpiam, ſive ſit hæc aqua, ſive illa, dummodo ſit naturalis. Protulimus etiam Ambroſium num. 36. Nunc proferemus Hieronymum, præſertim in dial. contra Luciferianos ſic dicentem. *Audi quid Scripturæ docent: Ioannis baptiſma non tam peccata dimiſit, quàm baptiſma pœnitentiæ fuit in peccatorum remiſſionem, id eſt, futuram remiſſionem, quæ eſſet poſtea per ſanctificationem Chriſti ſubſecutura*. Plurima ad rem noſtram habet S. Auguſtinus lib. 2. contra lit. Piteliani cap. 24. & 37. lib. 5. contra Donatiſ. cap. 10. & 14. in Enchirid. cap. 49.

39. Ad tantum audaciæ devenit Calvinus, ut viam non habens, qua Patrum evaderet teſtimonia, dixerit, non recipiendas eſſe Auguſtini ſententias, & magis audiendum Lucam, quam Chryſoſtomum, aut quempiam alium. Fateor potius audiendum eſſe Lucam, ſi Chryſoſtomus, vel alius, opponeretur Lucæ; ſed utrum Lucam intellexerit melius Calvinus, aut Patres, quiſque dijudicet; Concludamus itaque cum Concil. Trident. ſeſſ. 7. can. 1. ita definiente: *Si quis dixerit Baptiſmum Ioannis habuiſſe eamdem vim cum baptiſmo Chriſti anathema ſit*.

AR-

Digitized by Google

ARTICULUS V.

Rejiciuntur nonnulla contra ſuperius dicta.

40. Op. 1. Quidquid dicitur de baptiſmo Chriſti, dictum fuit de baptiſmo Joannis; nulla igitur eſt utriuſque diſtinctio. Prob. ant. Auctor baptiſmatis Joannis fuit Deus, qui miſit eum baptizare; dixit enim Joan. 1. *Qui miſit me baptizare, ille mihi dixit &c.* Materia fuit aqua, forma in nomine Chriſti venturi, ut conſtat ex Act. 19. & quamvis baptiſmus Chriſti ſit in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, attamen effectus eſt idem, quia, ſicuti de Chriſti baptiſmo dictum fuit Act. 2. *Baptizetur unuſquiſque veſtrum in remiſſionem peccatorum*, ita de baptiſmo Joannis Marci 1. & Luc. 3. legitur: *Venit in omnem regionem Jordanis prædicans baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum.*

41. Si perpenderentur à nobis expoſita, nulla opus eſſet reſponſione. Quod ſpectat ad Authorem, dictum eſt num. 27. De materia, jam conceſſimus num. 28., & de verborum prolatione ibidem ſatis notavimus, ſicut & de effectu. Hic tamen addimus, etiam baptiſmum Joannis fuiſſe in remiſſionem peccatorum; non tamen virtute ſua, ſed ſolum ex fide ac devotione accedentium, nec non ex contritione, quam ex Joannis concionibus homines concipiebant; atque hoc pacto verba Marci ſuperius laudata explicarunt Sancti Patres. Baſilius lib. 1. de baptiſmo cap. 2., Gregorius Nyſſen. in orat. de laudibus Baſilii, aliique; ſed noſtra quæſtio eſt, an fuerit in remiſſionem peccatorum eo modo quo eſt baptiſmus Chriſti, & hoc negamus; Juxta hanc explicationem intellige Sanctum Auguſtinum, qui lib. 5. de Baptiſmo cap. 10. exiſtimat iis, qui dicerent Joannis baptiſmum aliquo modo remiſiſſe peccata, non eſſe contentioſè reſiſtendum.

42. Atque hic ulterius obſerva baptiſmum Joannis appellatum fuiſſe abſolutè baptiſmum pœnitentiæ, ita ut poſt baptiſmum ſequeretur pœnitentia, tanquam ejuſdem effectus; baptiſmum vero Chriſti non fuiſſe dictum pœnitentiæ, ſed lavacrum regenerationis; ad Eph. 5. *mundans eam lavacro*. Ad Tit. 3. *Salvos nos fecit per lavacrum*. Aut ſi aliquando pœnitentiæ mentio facta eſt, ut Act. 2. *Pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum* pœnitentia debet præcedere baptiſmum, tanquam diſpoſitio removens obicem; & tandem hoc dicitur de adultis; nequaquam de parvulis, quibus baptiſmus Chriſti applicatur, quibus non ille Joannis.

43. Op. 2. Idem debuit eſſe baptiſmus tempore Ioannis, qui tempore Chriſti; ergo. Prob. ant. In Eccleſia unicus tantum potuit eſſe baptiſmus; ſed non fuiſſet unicus, ſi non fuiſſet idem; ergo. Prob. maj. In Eccleſia eſt unum corpus, unus ſpiritus, una ſpes vocationis, unus Dominus, unus Pater, una Fides: nec aliter eſſe potuit; ergo etiam unicus baptiſmus: antecedens traditur à Paulo ad Epheſ. 4.

44. Reſp. ne. ant. ad prob. ſi ſermo ſit de Eccleſia, quam Chriſtus inſtituit, & cui ritus & Sacramenta præſcripſit, major eſt falſa; aliter, ſicut quocumque tempore in Eccleſia fuit unum corpus, unus ſpiritus, una ſpes vocationis, unus Dominus, unus Pater, una Fides: ita quovis tempore fuiſſet baptiſmus. Admonet igitur Apoſtolus Chriſtianos, ut ſervent unitatem ſpiritus in vinculo pacis, quia ſunt unum corpus, & habent unum Deum, unam Fidem, unum baptiſmum; Si autem Kemnitius, cujus eſt argumentum expoſitum, velit id eſſe verum, dicat, apud hæreticos non eſſe unum baptiſmum, quia non eſt una Fides. Tandem dici poteſt, aliquo modo baptiſmum Joannis fuiſſe unum cum baptiſmo Chriſti: non quia una virtus ipſi ineſſet, ſed quia erat via & præparatio ad baptiſmum Chriſti: dictum enim fuit de

de Ioanne: *Tu puer propheta altiſſimi vocaberis, præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus*. Et: *Ego vox clamantis in deſerto, parate viam &c.*

45. Op. 3. plura. 1. Apoſtoli, qui baptizati fuerunt baptiſmo Ioannis, non fuerunt baptizati baptiſmo Chriſti; ergo ſolus baptiſmus Ioannis conferendæ gratiæ ſufficiens fuit. 2. Nos alium baptiſmum non habemus, niſi illum, quo Chriſtus baptizatus fuit, ſed Chriſtus baptizatus fuit tantum baptiſmo Ioannis; ergo & nos baptizamur tantum baptiſmo Ioannis: major oſtenditur, & quia hoc pacto major eſt gloria noſtra eumdem baptiſmum habere, quem Chriſtus recepit. Et quia magis Chriſto noſtro capiti conjungimur, ſi per eumdem baptiſmum conjungamur: 3. Aliter excellentius dicendum foret baptiſma Joannis, quam Chriſti, cum Chriſtus ipſe Ioannis baptiſmate fuerit baptizatus; ergo.

46. Reſp. Argumentum primum valde infirmum eſſe, imo nullum; Apoſtolos enim Chriſti baptiſmo tinctos fuiſſe alibi diximus, quos & dixerunt Tertull. in lib. de Baptiſ., & Auguſt. epiſt. 108. ad Seleucian., & aliis in locis; ſed, quamvis concederemus illud antecedens, adhuc illatio illa perperam eſſet deducta, etenim Chriſtus Dominus, Sacramentorum inſtitutor, iſtis virtutem ſuam non ita alligavit, ut non potuerit immediatè Apoſtolis gratiam regenerationis, & renovationis conferre: nec inde ſequitur à baptiſmo Ioannis id priùs præſtitum eſſe.

Ad 2. negatur major; ad primam probationem: ut tibi hanc majorem conferas gloriam, ut eodem baptiſmate baptizatum te velis, quo Chriſtus baptizari voluit; Dicas etiam tuam majorem futuram gloriam, ſi abſque tui indigentia baptizeris, ſicut fuit abſque ſui neceſſitate baptizatus Chriſtus; Quare Chriſtus baptizari voluerit, dicam inferius; Ad ſecundam probationem dico. Chriſtum non eſſe factum noſtrum caput per baptiſmum, ſed per unionem hypoſtaticam; huic quovis tempore fuerunt conjuncti homines, non tamen ſemper eodem modo; Prius quidem per circumciſionem, poſtea vero per baptiſmum.

Ad ultimum: excellentia rei non deſumitur ab eo, qui recipit, ſed ab eo, qui illam inſtituit, & à voluntate, qua inſtituit; Uſque modo dixit nemo, Ioannis baptiſmum excellentiorem illo Chriſti fuiſſe; Voluit autem baptizari Chriſtus varias ob cauſas, quas afferunt Sancti Patres, ſed illa præcipua eſt, ut baptiſma inſtitueret, ac conſecraret carnis ſuæ contactu aquas ſanctificando; Tunc, ut ſui baptiſmi effectum ſanctificaret, aperti ſunt cœli; tunc Spiritus Sanctus in columbæ ſpecie apparuit; tunc vox Patris audita eſt. Aliqua opponi poſſent ex Patribus, ſed facile rejiciuntur ex dictis.

QUÆ-

QUÆSTIO ULTIMA.

De Cœremoniis Baptiſmi.

1. CÆremonias aliquas uſurpari in baptiſmi Sacramento conferendo, neminem latet, qui baptiſmi Sacramentum non ignorat; Has eſſe vel baptiſmum antecedentes, vel concomitantes, vel ſubſequentes, pariter certum eſt: De hiſce nos diſſeremus, & quia ad concomitantes aliquod pertinet, quod ſtudium noſtrum poſtulare videtur; ideo de iſtis poſtremo loco ordine inverſo diſſerendum eſſe exiſtimamus.

ARTICULUS I.

De Cœremoniis, quæ baptiſmum antecedunt.

2. DE adultorum baptiſmate nihil hic agendum; ſatis enim diximus, dum Catechumenorum hiſtoriam paucis protulimus. Illud proferemus dumtaxat, quod generatim in baptiſmate conferendo fieri ſolet; De hiſce omnibus agit Thomas Waldenſis lib. 3. de ſacramental. tit. 5. cap. 45. contra Wiclefum, qui omnes ritus ac cœremonias Eccleſiæ circa baptiſmum rejiciebat; quos etiam, paucis exceptis, rejiciunt noſtris temporibus Calviniſtę cum ſuo Pſeudomagiſtro Calvino lib. 4. inſtitution. cap. 15. §. 19. necnon Illyrico lib. 2. cent. 1. cap. 6. non alio ducti fundamento, niſi quod de iſtis ritibus nihil in ſcripturis ſanctis inveniatur.

3. Sed ita dicentes animadvertere poſſent, ſi ſui compotes eſſent, in ſe ipſos pugnare. In lib. de formula pro Sacramentis adminiſtrandis plura præſcribit Calvinus. 1. Infantem adferendum eſſe ad baptiſmum die Dominico, aut certe aliquo die, quo in Eccleſia frequens ſit populus. 2. Infantem adferentes interrogandos eſſe, an promittant, ſe infantem illum inſtructuros eſſe, cum adoleverit in doctrina fidei, & morum. 3. Formam baptiſmi in lingua vernacula propria eſſe proferendum. 4. Recitandum eſſe Symbolum, Orationem Dominicam, aliaſque preces fundendas; Lutherani inſuper addunt in agenda ſaxonica præmittendam eſſe abrenuntiationem Satanæ, & pompis ejus; At rogo, quidnam ex hiſce in ſcripturis ſanctis legitur, aut præſcribitur; Habetur utique Symbolum, ſaltem quo ad ſenſum, habetur Oratio Dominica, at ut in baptiſmo recitentur, nihil habetur.

4. Verum rem noſtram peragamus, de qua quidem ampliora leges apud Cyrillum in catecheſibus, apud Ambroſium in lib. de Sacramentis, Alcuin. in lib. de Divinis Officiis, Amalar. Rabanum, alioſque; nos vero illis contenti erimus, quæ reperiuntur in Rituali Romano.

Primo igitur Sacerdos ad tanti Sacramenti adminiſtrationem lotis manibus, Superpelliceo, & Stola violacea indutus accedat ſaltem cum uno Clerico, & ſtans ad limen Eccleſiæ foris expectet eos, qui infantem baptizandum detulerunt; tunc accepto baptizandi nomine interroget, *N. quid petis ab Ecclesia Dei?* Reſpondet ſuſceptor: *Fidem*; Merito quidem hæc cœremonia, & interrogatio introducta eſt; eſt enim ex Apoſtolo *Fides ſperandarum ſubſtantia rerum*; & *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo*. Juxta vero Concilium Tridentinum: *Sine hac nulli unquam contigit juſtificatio*. Tunc Miniſter addit: *Fides quid tibi præſtat?* Reſpondet: *Vitam*

æter-

æternam; *Qui enim credit non judicatur* ex Joan. 3. & 15. *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te, &c.* Proſequitur Miniſter: *Si igitur vis ad vitam ingredi, ſerva mandata: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & proximum tuum ſicut te ipſum.* Hoc æquiſſime fit, ut quiſquis intelligat, ſolam fidem obtinendæ juſtificationi non ſufficere; ſed requiri mandatorum obſervationem, ſeu neceſſariam eſſe fidem, quę per dilectionem operatur; qui autem diligit Deum mandata ejus obſervat. De quo puncto in proprio loco à nobis actum eſt in noſtro primo Tomo.

5. Poſt hæc ter leniter inſufflat in faciem infantis dicens: *Exi ab eo immunde Spiritus, & da locum Spiritui Sancto Paraclito.* Hìc ridet Calvinus, atque hanc cœremoniam præ cœteris inanem, & fictitiam lib.4. Inſtit. cap.9. §. 4. appellat; cum vanos omnino judicet exorciſmos. Verum hoc nequaquam poteſt Hæreticus dicere, niſi omnem Sanctorum Patrum auctoritatem rejiciat, veterumque Conciliorum veritatem contemnat. *Illa*, ideſt Dæmonia, *per nomen Jeſu Chriſti adjurata à nobis, pavent*; ait Juſtin. in dial. cum Triphone. *O ſi audire eos, & videre velles, quando à nobis adjurantur, & torquentur, &c.* inquit Cyprian. in lib. ad Demetrianum. Idem leges apud Tertull. in lib. de corona Militis, & in Apolog. cap. 32. Idem apud Lactant. lib.4. c.27. Auguſt. lib. 10. de Civit. cap. 22. Bedam in cap. 8. Lucæ, alioſque innumeros. Si vero de Conciliis loquamur, legatur Antioch. can. 10. Cart. 4. can.7. Laodic. can. 29. atque in laudato Carthaginenſi Concilio dicitùr, exorciſmos non eſſe quaslibet preces arbitrio exorciſtæ inventas, ſed certas, & determinatas ab Eccleſia præſcriptas: Hunc vero fuiſſe veterem ritum in baptiſmi adminiſtratione, colligitur ex Nazianz. orat. in ſanctum lavacrum, ubi dicit: *Ne deſpuas Exorciſmi curationem; eſt enim & ipſa nativæ ſinceritatis, &c.* & ex Cyril. catech. 1. ubi ait: *Suſcipe cæleſtem theſaurum, & in exorciſmis ſtudioſe verſare.* Per illam porro inſufflationem, de qua dictum eſt, ſignificatur Dæmonis expulſio, & ſimul afflatio boni Spiritus, quem recepturus eſt homo. Rem hanc abſolvat Auguſtinus, qui lib. 6. contra Julian. cap. 2. inquit: *Eccleſia filios nec exorcizaret, nec exſufflaret, ſi non eos de poteſtate tenebrarum, & à principe mortis erueret.* Signatur deinde baptizandus cruce tam in fronte, quam in pectore, cujus cœremoniæ mentio eſt apud Baſil. lib. de Spiritu Sancto cap. 27. apud Auguſtinum lib. de catechizandis rudibus cap. 20. &c. De hoc crucis ſigno diximus in Tomo 3.

6. Imponitur inſuper Miniſtri manus ſuper caput baptizandi, & recitatur Oratio: Omnipotens ſempiterne Deus, Pater, &c. ut in Rituali, necnon benedicitur infans. Ritus iſte legitur in Concil. Carthag. 4. can. 85. apud Cyprian. referentem acta ejuſdem, apud Auguſt. lib. de peccat. merit. & remiſs. cap. 26. Exordium hoc habuit, ut opinor, hujuſmodi cœremonia à Chriſto Domino, qui Mat. 19. legitur dixiſſe: *Sinite parvulos, & nolite eos prohibere ad me venire, &c. & cum impoſuiſſet eis manus.* Manifeſtum eſt hoc etiam in Apoſtolis, qui ſuper aliquem orantes, illi manus imponebant, ut habetur in act. cap. 8. 9. & alibi.

7. Sequitur ſalis benedictio, ſi prius benedictus non fuerit, qui iis fit verbis, quæ in Rituali Romano deſcribuntur; atque is benedictus baptizandi ori debet imponi; In hoc ſapientia ſignificatur, & anima quodammodo condiri cenſetur; Ritum hunc commemorarunt Origen. homil. 6. in Ezechiel. & Concil. Carthag. 3. can. 5. Denique baptizandi capiti manus imponitur, & quædam Oratio recitatur, de qua manus impoſitione ſuperius eſt dictum.

ARTICULUS II.

De cæremoniis, quæ Baptiſmum ſubſequuntur.

8. POST collatum baptiſma Miniſter intingit pollicem in ſacro chriſmate, & ungit infantem in ſummitate capitis in modum crucis illam Orationem pronuntians: *Deus omnipotens &c.* Hæc unctio introducta videtur, quia olim poſt baptiſmum conferebatur ab Epiſcopo Sacramentum confirmationis, & quia Epiſcopus non ſemper aderat, ideo prædicta unctio adhibebatur; De hac ſermonem faciunt Patres. Hieronym. in Dialog. adverſus Luciferianos, Ambroſ. lib. 3. de Sacram. cap. 1., Damaſc. in Vita Sylveſtri, Innoc. I. epiſt. 1.

9. Hoc peracto, *Pax tibi*, inquit, reſpondente Clerico: *Et cum ſpiritu tuo*. Ita dicendo fratrem noſtrum factum eſſe baptizatum, oſtendit: Tam antiqua eſt hujuſmodi conſuetudo, ut aliqui, infantes recens natos baptizandos non eſſe cenſerent, quia cum oporteret, pacis oſculum baptizato dari, omnes infantes illos horrerent oſculari; Reſpondet tamen Cyprianus epiſt. 8. ad Fidum, non eſſe, cur horreat Chriſtianus eos deoſculari, quos Deus ipſe creavit.

10. Baptizato deinde candida veſtis, ſeu loco veſtis, linteolum album imponitur capiti; olim enim ſolebant Cathecumeni baptizati hujuſmodi veſtem induere à Sabbatho Sancto uſque ad Dominicam in Albis. Ejuſdem mentio fit apud Dionyſium, ſive alius ſit auctor, in lib. de Eccleſiaſt. Hierarchia cap. de Baptiſ., apud Ambroſ. lib. de iis, qui initiantur, & Auguſt. ſer. 157. de tempore.

11. Præterea traditur cereus accenſus, per quem ſignificatur fides, & accepta gratia cum translatione à poteſtate tenebrarum ad lumen, & ſortem Sanctorum; Hujuſce cœremoniæ meminerunt S. Auguſt. in pſal. 65. explicans illa verba: *Tranſivimus per ignem, & aquam*, nec non Gregor. Nazianz. orat. in ſanctum lavacrum. Quibus omnibus peractis inquit Sacerdos N. vade in pace, & Dominus ſit tecum.

12. Hic nobis inquirendum occurrit de Baptiſmi ſolemnis loco, & tempore.

13. Quantum ad primum: certum eſt, Apoſtolorum tempore quovis loco baptiſmum collatum eſſe, ut conſtat de Eunucho, qui Act. 8. per viam baptizatus eſt; non multo poſt quædam loca ſtatuta fuerunt, quæ baptiſteria appellabantur, quæve, antequam eſſent erecta templa, in fidelium domibus latitabant, & ſævientibus in Chriſtianos perſecutionibus, in antris, & cœmeteriis erant extructa; Data deinde per Conſtantinum Magnum Eccleſiæ pace in ipſis templis collocata ſunt, primùm quidem in Cathedralibus, inde in minoribus Urbibus, poſtea in pagis, & ſub initio ſæculi quinti in omnibus Parochiis extra Urbem.

14. Quantum vero ad tempus non fuit una Eccleſiarum diſciplina. In Eccleſia Romana Sabbatis, quæ Paſcha, &. Pentecoſten immediatè præcedunt ſolemne baptiſma conferri conſuevit. Colligitur hoc ex Tertulliano lib. de Baptiſmo: ex Siricio Papa Sæculo 4. epiſt. ad Himerium Tarraconenſem, Leo. Magno Sæculo 5. epiſt. ad Epiſcopos Siciliæ, Gregor. Magno ineunte Sæculo 7. in lib. Sacrament. In Galliis mos fuit, ut præter Paſcha, & Pentecoſten, etiam die Nativitatis Domini noſtri Jeſu Chriſti, nec non Sancti Joannis Baptiſtæ miniſtraretur, ut colligitur ex Avito Epiſcopo Viennenſi in epiſt. ad Clodovæum Francorum Regem, & Gregorio Turonenſi lib. 8. Hiſtoriæ Francorum cap. 9. Eccleſia Orientalis ultra Paſcha, & Pentecoſten, etiam in Epiphania ſolemne baptiſma adminiſtrabat, ut habetur ex Gregorio Nazianz. orat. 39. in ſancta lumina, & Chryſoſt. orat. de baptiſmo Chriſti: Apud Latinos

tinos hora baptiſmatis conferendi erat hora nona: *Hodie autem hora nona baptiſmus celebratur, ſicut in Pentecoſte*. Inquit Alcuinus de officio Sabbati Sancti; Apud Græcos uſque ad Sæculum 4. fuit dimidium noctis, ut ait Chryſoſt. loco mox laudato; deinde mutata fuit hora ad veſperam.

15. Hæc de cœremoniis baptiſmi ſolemnis, nam ſi quis vita periclitabatur, nulla dies, hora nulla determinata erat nulluſque locus ſtatutus. A Sæculo vero 12. uſque ad noſtra tempora quolibet anni die tam Occidentales, quam Orientales baptiſmum ſolemnem confecerunt.

16. Hic autem quæri poteſt, utrum cœremoniæ, quæ cogente neceſſitate omiſſæ ſunt, ea deſinente ſint ſupplendæ.

Reſp. affirmative, talis enim ſemper fuit praxis Eccleſiæ. Audiatur Sanctus Thomas, qui ſolvens objectionem illam, qua dicitur; exorciſmos eſſe prorſus inutiles poſt baptiſma, quia jam expulſus eſt ſpiritus immundus, & datus eſt locus Spiritui Sancto, reſpondet 3.p. qu.71. art.3. ad 3. *Ea, quæ aguntur in exorciſmo, ordinantur ad removendum impedimenta; & ideo ſine eo poteſt aliquis conſequi effectum baptiſmi. Non tamen ſunt hujuſmodi prætermittenda, niſi in neceſſitatis articulo; & tunc ceſſante periculo debent ſuppleri, ut ſervetur uniformitas in baptiſmo; Nec fruſtra ſupplentur poſt baptiſmum, quia ſicut impeditur effectus baptiſmi, antequam percipiatur, ita poteſt impediri poſtquam fuerit perceptus*. Ratio autem eſſe poteſt, quia licet per baptiſmum Spiritui Sancto locus datus ſit, attamen diabolus ab impugnatione poteſt ſemper magis cohiberi, ſiquidem etiam per aquam benedictam, qua poſt baptiſmum aſpergimur, aliqua poteſtas dæmonis reprimitur; ut ait laudatus Doctor in 4. diſt.6. qu.2. art.3. ad 4.

17. Contra hoc videtur eſſe, quod ait Optatus lib.2. de ſchiſmate Donatiſt. *Quid iniquius, quam exorcizare Spiritum Sanctum?* Sed obſervandum eſt, ibi ſermonem non haberi de baptiſmo, iſtiuſque cœremoniis, ſed tantummodo reprehendi Donatiſtarum audaciam, qui Catholicos Epiſcopos, ac Sacerdotes de gradu ſuo ſacrilego auſu dejecerant.

ARTICULUS III.

De Cœremoniis, quæ Baptiſmum comitantur.

18. Introducit Miniſter infantem in Eccleſiam impoſita ſtolæ parte ſuper eum: ſtatim recitat ſymbolum, & orationem Dominicam, iterumque ſpiritum immundum exorcizat: deinde ſumens ſalivam de ore ſuo tangit nares & aures infantis, dicens: *Epheta, quod eſt adaperire &c.* Cœremoniam hanc irridet Calvinus, ſed irrideat oportet etiam Chriſtum, qui Marci 7. ſputo tetigit linguam muti, & aures ſurdi, nec non Joan.9. oculos cæci nati.

19. Nominat determinato nomine infantem: ex. c. *Fortunate*. Et interrogat, utrum abrenuntiet Satanæ &c. & Patrinus reſpondet, *Abrenuntio*. Interrogat inſuper, utrum credat in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem Cœli, & Terræ. In Jeſum Chriſtum Filium ejus, unicum Dominum noſtrum, natum, & paſſum: In Spiritum Sanctum, Sanctam Eccleſiam &c. reſpondente Patrino: *Credo*. Quod enim parvuli per ſe ipſos facere nequeunt, alii faciunt; & fide aliena ſalvantur, qui alieno peccato damnarentur, ut pluribus in locis docet Auguſtinus, noſque alibi tradidimus.

20. Nomen in baptiſmatis ſuſceptione infantibus imponi, reprobat Illyricus lib.2. cent.1. cap.6. col.497. atque affert exemplum Eunuchi Reginæ Candacis, qui baptizatus à Philippo ſemper idem nomen retinuit, appellatuſque tam ante baptiſmum, quam poſt, Eu-

nuchus: Numquid Eunuchi nomen perſonæ eſt? corporis tantummodo defectus deſignabatur, qui certe per baptiſmum non tollitur; & qui ante baptiſmum claudus erat, etiam poſt baptiſmum claudus remaneret; In baptiſmate noſtro nomen imponi novum non eſt; Eadem cœremonia etiam in veteris teſtamenti circumciſione vigebat; Manifeſtum eſt in Filio Zachariæ, & Eliſabet, cui nomen Joannis impoſitum, Luc. 1. nec non in Divino Mariæ Virginis, advocatæ meæ, filio, qui circumciſus eſt, & appellatus eſt Jeſus, Luc. 2. Hujuſce ritus, cum de infantibus agitur, mentionem faciunt Dionyſ. Alex. apud Euſeb. lib. 7. Hiſt. cap. 20. nec non canon 30. Nicæni Concilii juxta editionem Franciſci Turriani ex Arabico in Latinum, in quo præcipitur, ut Chriſtiani in baptiſmo nomina filiis ſuis imponant, quæ Chriſtianorum ſint, non Gentilium.

21. Hiſce peractis interrogat denique Miniſter baptizandi nomine expreſſo: *Vis baptizari?* reſpondet Patrinus: *Volo*. Et tunc accepto vaſculo aquæ baptiſmalis ter aquam fundit ſuper caput infantis vel ter immergit juxta propriæ Eccleſiæ conſuetudinem, dicens: *Ego te baptizo in nomine Patris*, hic prima aſperſio, vel immerſio; *& Filii*. Hic ſecunda, *& Spiritus Sancti*. Hic tertia.

ARTICULUS ULTIMUS.

Traduntur plura de Patrinis..

22. UT aliqua traderem de Patrinis, quos Dionyſius Areopagita de Eccleſiaſt. Hierarchia cap. ult. ſuſceptores, Tertullianus vero in lib. de baptiſm. Sponſores appellant, tertio loco de cœremoniis baptiſmum comitantibus agendum exiſtimavi. Breviter tamen omnia perſtringam, ut potius notitiam exhibeam, quam ex inſtituto probem.

23. Primo. Tanquam certum exiſtimo neceſſario neceſſitate Sacramenti non requiri Patrinum, cum hoc nec in ipſius inſtitutione, nec in præcepto fuerit à Chriſto Domino præſcriptum, requiri vero in ſolemni baptiſmo jure Eccleſiaſtico colligitur ex communi Eccleſiæ praxi, ex omnibus Ritualibus, & habetur ex cap. *Vos ante de conſecrat.* diſt. 4. necnon traditur à Sanctis Patribus à nobis ſuperiori numero relatis, quibus accedit S. Auguſt. ſerm. 116. de temp. & Concil. Pariſien. 1. lib. 1. de Sacram. baptiſmi.

24. Dixi in ſolemni baptiſmo, nam ſi agatur de privato, arbitror nullam neceſſitatem excogitari poſſe, ut contra Zambran. ſuſtinent Sot. in 4. diſt. 41. quæſt. 1. art. 1. Henriq. Diana, aliique ab iſto relati; neque pro hac re aliquod momentum afferri opus eſſet, cum ipſa praxis, quod noſtra intereſt, doceat; attamen id ſufficere poteſt, quod Patrini aſſiſtentia ſolum ex jure Eccleſiaſtico ſtatuta fuit, ut diximus, Eccleſia autem ſolum determinavit cœremonias, quæ ad baptiſmi pertinent ſolemnitatem. Rationes pro priori ſententia non affero, cum nimis probent, & regeneratio habita per baptiſmum compararetur generationi ſecundum carnem, unde, quemadmodum in iſta opus eſt obſtetrice, nutrice, ac pædagogo, ita in illa opus ſit Patrino, ſicut diſcurrit S. Th. 3. par. quæſt. 67. art. 7. in corp.

25. Secundo. Infideles non baptizati non ſunt admittendi, ut ſuſceptores in baptiſmo; Munus enim, propter quod ex Eccleſiæ inſtitutione ſunt iſti introducti, eſt, ut, ſi opus fuerit, inſtruerentur baptizati in fidei dogmatibus, conſtat autem hujuſmodi eſſe infideles nequaquam poſſe; quod ſi poſſunt eſſe Miniſtri, ideo hoc eſt, quia baptiſmus eſt Sacramentum neceſſitatis, nec ſine Miniſtro peragi poteſt, poteſt autem ſine ſuſceptore.

26. Tertio. Jure antiquo plures eſſe non poterant ejuſdem baptizandi ſuſce-

ſceptores, ut habetur ex cap. *Non plures de conſecr. diſt.* 4. *& cap. fin. de cognat. ſpirit. in ſext.* Nunc vero Concilium Trident. ſeſs. 24. de reform. cap. 2. hæc habet: *Sancta Synodus ſtatuit, ut unus tantum, ſive vir, ſive femina juxta ſacrorum Canonum ſtatuta, vel ad ſummum unus, & una baptizatum de baptiſmo ſuſcipiant.* Ab hoc munere arceantur Monachi, & Abbates, ut decernitur in cap. *Non licet de conſecr. diſt.* 4. & Concil. Altiſiodoren. cap. 25. necnon in Decretis Eugenii IV. in cap. *Placuit* 16. *quæſt.* 1. Hujuſmodi autem prohibitio edita eſt, quia ipſi addicti ſunt vitæ ſolitudini dicatæ, proinde ab aliis curis etiam ſpiritualibus diſtrahi non decet. Utrum autem iſta extendatur etiam ad alios Religioſos mendicantes, negat Coninch. quæſt. 67. de Sacram. art. 7. num. 76. affirmat Laym. lib. 5. tract. 2. cap. 9. atque hoc ſtatutum fuit in nonnullis Synodis, & Ritualibus; Quia vero certum eſt, à Patrinis contrahi cognationem ſpiritualem, ideo de hoc puncto nonnulla ſubdenda forent; ſed quia de iſtis agemus in quæſtionibus de Matrimonio, hic præterimus.

DE

DE CONFIRMATIONIS SACRAMENTO QUÆSTIONES.

HOMINES regenerando ad ſpiritualem vitam profert baptiſmus; Hominibus regeneratis, ne in ſpirituali vita deficiant, vires exhibet Confirmatio; Ille Chriſti ſubditos facit, hæc ad pugnandum pro Chriſto milites adſcribit; Optimo ſupremoque divinæ mentis conſilio id actum eſt; Noverat enim Legiſlator noſter Homo Deus, militiam eſſe vitam hominis ſuper terram, atque originali peccato per baptiſmum prorſus ablato, adhuc remanere in nobis legem carnis contrariam legi mentis, noſque in agone nullo tempore vel loco interjecto relictos eſſe, idcirco, ut adverſariis noſtris fortes reſiſteremus in prœlio, medium illud inſtituit, quo arma ſumeremus & ſcutum, animoque roborato nec inſidias timeremus nec fraudes, omneſque hoſtiles impetus noſtram in coronam verteremus. Præſtitit hoc, dum Sacramentum Confirmationis nobis propoſuit ac dedit, de quo in ſequentibus quæſtionibus à nobis pertractandum occurrit.

PROLEGOMENON UNICUM.

De variis hujuſce Sacramenti nominibus, necnon Hæreticorum erroribus.

1. Pluribus nominibus apud Doctores Eccleſiaſticos Sacramentum hoc appellatum invenies. S. Cyprian. epiſt. 73. ad Jubajan. necnon Hieron. adverſus Luciferian. dixerunt, eſſe *manus impoſitionem*, idque juxta id, quod legitur Act. 8. videlicet : *Imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum Sanctum*. S. Auguſt. contra lit. Peteliani cap. 104. dicit, eſſe *Sacramentum chriſmatis, & unctionis*. S. Dionyſ. cap. 4. Eccleſiaſt. Hierarch. *myſterium unguenti*; quibus terminis etiam utuntur Theodoret. ad cap. 1. Cantic. S. Leo ſerm. 4. de Nativitate Domini, & Concil. Laodic: can. 7.

2. Alii ipſi nomen ſignaculi appoſuerunt, ut Cornel. Pontifex Summus in epiſt. ad Fabium Antiochenum, Ambroſ. in libro de initiandis, Græcique omnes. Alii *perfectionem*; ut Conc. Eliberit. can. 38. Alii *conſummationem*, ut Cyprian. epiſt. 73. ad Jubajan. dixerunt.

3. Communi tamen vocabulo *Confirmatio* nuncupatum eſt, quod quidem vocabulum vetus eſt, quippe quod reperitur in Concil. Arauſicano 1. & Arela-

latenſi 3. imo ante, nempe an. 315. in Romano ſub Sylveſtro, ut apparet in actis, quæ ejus nomine circumferuntur; Quare mirum non ſit, ſi etiam à Conciliis Florentino, & Tridentino hujuſmodi nomen adhibitum ſit.

4. Si incerta certis miſcere liceat, plures circa hoc, quod à nobis probabitur Sacramentum, errores fuerunt; Sunt, qui primo Novatianis tribuunt, confirmationem negaſſe, quod deſumitur ex Theodoreto lib. 3. hæretic. fabul. ſic referente: *Novatiani iis, qui ab ipſis tinguntur, ſacrum chriſma non præbent; Quocirca eos, qui ex hac hæreſi corpori Eccleſiæ conjunguntur, benedicti Patres inungi juſſerunt* Philaſtrius tamen, Epiphanius, Auguſtinus, & Damaſcenus, qui de Novatianorum erroribus plura ſcripſerunt, de hoc illorum errore nihil proferunt, imo prius Concilium Nicænum 1. ennumerans can. 8. eorum errores de hoc omnino ſilet. Arbitror potius, quod cum Novatianus in lecto decumbens baptizatus eſſet, nec Spiritus Sancti ſignaculo confirmari poſtea curaſſet, atque de hoc ab aliis reprehenderetur, negaverit, homines poſt baptiſmum chriſmate inungi oportere.

5. Etiam Waldenſes Hæreticos Sacramentum hoc rejeciſſe, teſtatur Eneas Sylvius in hiſtoria Bohemica cap. 35. Thomas vero Waldenſis tom. 2. de Sacramentis cap. 113. eumdem errorem tribuit Wicleffo, ſed arbitror, ab iſtis non fuiſſe rejectam confirmationem, tanquam Sacramentum, ſed ſolummodo erraſſe circa ejuſdem Miniſtrum, ut colligitur ex Reinero cap. 5. & circa conſecrationem chriſmatis, ut notat Philchdorfius, tum circa unctionem, quam ex Enea Sylvio humanum inventum appellabant; De reliquo in ſolemni Waldenſium profeſſione ſeptem Sacramenta agnoſcuntur, & de confirmatione legitur, Apoſtolorum temporibus fuiſſe obſervatam, necnon per ipſam Spiritum Sanctum conferri. Quantum vero ſpectat ad Wicleffum, ex articulo 28. ſeſs. 8. Concilii Conſtantienſis evincitur, ſolum in Miniſtrum ſuam aciem inſtruxiſſe; dicebat enim, confirmationem juvenum, & locorum conſecrationem reſervari Papæ, & Epiſcopis propter cupiditatem lucri temporalis, & honoris, atque ideo omnes Sacerdotes ejuſdem Miniſtros eſſe contendebat.

6. Quidquid tamen ſit de recenſitis Hæreticis, aliiſque, quos prætereo, nemo tam aperta fronte, & pervicaci audacia in confirmationis Sacramentum pugnavit, ſicut noſtrorum temporum ſectarii cum Luthero, ac Calvino, qui non ſolum aſſerunt, confirmationem eſſe vanam otioſamque cœremoniam, verum etiam multis conviciis ſacrum oleum perſequuntur, quia tamen fuiſſe in veteri Eccleſia ritum aliquem, qui confirmatio appellaretur, omnino negare non poterant, ideo dixerunt in hiſce conſiſtere; primo, parvulos baptizatos in catechiſmi doctrina inſtituendos eſſe, & inde ad Epiſcopum adducendos, ut eos moneat de ſuo baptiſmo, atque de eo, quod acceperint, ac promiſerint; Secundo, parvulos ipſos confeſſionem fidei, ac doctrinæ, quam didicerunt, publice recitare debere. Tertio, interrogandos eſſe de aliquibus fidei capitibus præcipuis, atque ad reſpondendum teneri. Quarto, admonendos eſſe, ut per eam fidei profeſſionem, ſe ab omnibus Ethnicis, & Hæreticis diſſentire declarent. Quinto, graviter adhortandos eſſe, ut in promiſſionibus baptiſmi ac fide perſeverent; Tandem pro illis publicam precationem faciendam eſſe, ut Deus ſpiritu ſuo illos gubernare ac in fide confirmare dignetur, ſimulque addi poſſe manuum impoſitionem. Ita Kemnitius in 2. par. examin. ubi Lutheranæ Confirmationis ordinem deſcribit.

7. Omittantur tamen omnia, quæ perperam perditiſſimi viri dixerunt, atque rem noſtram peragamus, dogmata catholica declarando, ac ipſorum errores rejiciendo. Itaque.

QUÆ-

QUÆSTIO I.

De Confirmatione, ejuſdemque materia.

ARTICULUS I.

An Confirmatio ſit Sacramentum.

8. Catholici omnes Confirmationem verum Sacramentum eſſe pleno ore, ac integra fide confitentur. Hoc tamen probaturi non unica via gradiuntur. Sunt enim plures, qui ex Scripturis Sacris ſatis efficax momentum colligi non poſſe arbitrantes, ſolius traditionis præſidio ſe muniunt; Hoc veritati noſtræ firmandæ, ſufficiens eſſe fundamentum, profiteor; Attamen ut magis quod dicimus, nempe, Confirmationem eſſe verum Sacramentum, oſtendatur.

9. Prob. primo ex Sacris litteris, ſed prius hoc argumentum propono. Ut aliquod ſit verum Sacramentum, requiritur, ut ſit ſignum ſenſibile gratiæ productivum, ut conſtat ex definitione à nobis in prima hujuſce libri parte expoſita, confirmatio autem hujuſmodi eſt, igitur eſt Sacramentum; prima pars minoris tam certa eſt, quam certum eſt, adhiberi in confirmationis collatione materiam & formam, de quibus in ſequentibus dicturi ſumus; ſecundam vero demonſtrant ea, quę Apoſt. ſuis promiſit Chriſtus dicens Jo: 14. & 15. *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre 16. Si non abiero, Paraclitus non veniet ad vos, ſi autem abiero, mittam eum ad vos*. Et Luc. 24. *Ego mittam promiſſum Patris ad vos*; qui textus licet juxta litteram ſignificant ſolemnem illam miſſionem in Pentecoſtes die viſibiliter factam, attamen etiam de miſſione Spiritus Sancti inviſibili in fideles intelligendos eſſe conſtat ex iis, quæ leguntur in actis, ſiquidem cap. 8. habetur: *Cum audiſſent Apoſtoli, qui erant Hieroſolymis, quia recepiſſet Samaria verbum Dei, miſerunt ad eos Petrum, & Joannem: qui cum veniſſent, oraverunt pro ipſis, ut acciperent Spiritum Sanctum, nondum enim in quemquam illorum venerat &c. Tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum Sanctum*. Et cap. 19. *Cum impoſuiſſet illis manus Paulus, venit Spiritus Sanctus ſuper eos, & loquebantur linguis, & prophetabant*. Quid adverſus hæc reponant hæretici, infra declarabimus. Interim ad alia expreſſiora momenta progrediar.

10. Hæc autem deſumuntur ex perpetua conſtantique Eccleſiæ praxi, deſumpta ex Conciliis, Summis Pontificibus, nec non Patribus tam Græcis, quam Latinis. Primo igitur in omnibus celebrioribus tam antiquis, quam recentibus Conciliis veritas noſtri dogmatis tradita eſt. Concilium Eliberitanum circa ann. 305. in duplici canone rem ſtatuit. in 38. poſtquam dixit, in neceſſitatis caſu poſſe laicum baptizare, ſubdit: *Si ſupervixerit, ad Epiſcopum eum producat, ut per manus impoſitionem perfici poſſit*. Et can. 77. ait, quod ſi quis Diaconus aliquos baptizavit ſine Epiſcopo, vel Presbytero: *Epiſcopus eos per benedictionem perficere debebit*. Quænam autem eſt hujuſmodi perfectio ab Epiſcopo tribuenda, niſi gratia per Sacramentum confirmationis, nempe, etſi per baptiſmum gratia ſanctificans & regenerans collata ſit, attamen corroborans, & homines intrepidos efficiens ad hoſtium ſpiritualium inſidias, ac tentationes ſuperandas expectabatur, ut re-

revera evenit in Apoſtolis, qui, ante Spiritus Sancti deſcenſum grati quidem acceptique Deo erant, attamen trementes ac pavidi Chriſti nomen, ac legem promulgare trepidabant; e contra poſtea, ibant gaudentes à conſpectu Concilii, quia propter nomen Jeſu ipſis contumelias, ac verbera pati donabatur. Ex quo refellitur Sociniana reſponſio, nempe per baptiſmum ſanctificantem gratiam tribui, proinde nullam tribui per manuum impoſitionem, ſeù confirmationem, & ita hanc eſſe puram baptiſmi cœremoniam.

11. Occurrit ſecundo. Concilium Nicænum 1. quod can.8. ſtatuit, Novatianos ad Eccleſiam redeuntes per manuum impoſitionem recipiendos eſſe; dictum autem eſt juxta Theodoretum, ab ipſis ſacrum Chriſma non præberi; Idem etiam decretum fuit in Conciliis Arelatenſi 1. & 2. ſub Sylveſtro, nec non Laodiceno. Apud Gratianum de conſecrat. diſt.5. can. *Ut jejuni* leguntur hæc verba: *Ut jejuni ad confirmationem veniant perfectæ ætatis, ut moneantur confeſſionem prius facere, ut mundi donum Spiritus Sancti valeant accipere*. Demum omittendo Hiſpalen. 2. cap. 7. Cabillonen. cap. 17., diſerte loquitur Florent. in Armen. inſtructione; & Tridentinum ſeſſ. 7. can. 1. ſic definit: *Si quis dixerit, confirmationem baptizatorum otioſam eſſe cæremoniam, & non potius verum, ac proprium Sacramentum, aut olim nihil aliud fuiſſe, quàm catecheſim quamdam, qua adoleſcentiæ proximi fidei ſuæ rationem coram Eccleſia exponebant, anathema ſit*.

12. Devenio modo ad Summos Pontifices. Clemens Romanus epiſt.4. inquit: *Feſtinandum eſt ſine mora renaſci, & demum conſignari ab Epiſcopo, & ſeptiformem Spiritus Sancti gratiam recipere*. S. Urbanus in epiſt. decretali ait: *Omnes fideles per manuum impoſitionem Epiſcoporum Spiritum Sanctum poſt baptiſmum accipere debent, ut pleni Chriſtiani inveniantur*. Quod Cornelius Papa ſcripſerit ad Fabianum, ſeù Fabium Antiochenum de Novato notum eſt, nempe, *non fuiſſe ſignaculo chriſmatis conſummatum, unde nec Spiritum Sanctum potuiſſe promereri*. *Hoc autem*, inquit, *ſignaculo minime percepto, quomodo Spiritum Sanctum potuit accipere?* Quo dicendi modo vana prorſus eſt Dallæi explicatio, nimirum ibi ſermonem eſſe de ſola baptiſmi cœremonia, non de vero Sacramento: Unde enim habet per ſolam cœremoniam Spiritum Sanctum conferri. Quod rurſus dicat, à Novato neglectam fuiſſe lactis, ac mellis deguſtationem, figmentum eſt, de hac enim nec verbum quidem in epiſtola Cornelii, ſed ſolum de ſignaculo, quo Spiritus Sanctus accipiebatur, eſt ſermo. De Melchiade nihil profero, etenim in epiſt. ad Epiſc. Hiſpaniæ poſtulatus, quodnam eſſet majus Sacramentum, an baptiſmus, vel confirmatio, reſpondet. *Scitote utrumque magnum Sacramentum*. Vel igitur à Sacramentorum numero expungendus eſt baptiſmus, vel inter Sacramenta ennumeranda confirmatio; proferam vero quod habet Euſebius Papa in epiſt.3. videlicet: *Manus impoſitionis Sacramentum magna veneratione tenendum eſt*. Quanquam quid plura? legantur Damaſus in epiſt.4. S. Leo in ſerm. de Nativ. & in epiſt.86. & denique S. Gregorius, qui, idem tradens in pluribus locis, homil. 17. in Evang. hæc habet. *Per nos fideles ad ſanctum baptiſmum veniunt; & per impoſitionem manuum noſtrarum à Deo Spiritum Sanctum percipiunt*. Reponis ne Clementis epiſtolam, & Urbani ſuppoſititias eſſe? Eſto: de hac re contendamus iſte non poſtulat locus; ſed nunquid alia ſuppoſititia?

13. Si hæc non ſufficiant; Sanctorum Patrum doctrina producatur. Tot autem ſunt tam ex Græcis, quàm ex Latinis, ut infinitus eſſem, ſi omnes recenſere placeret. Ex illis afferam Dionyſium Areopagitam. Hic 2.p. Eccleſiaſt. Hierarch. ait: *Baptizatum indutum alba*

veſte ad Pontificem ducunt, ille Divino, ac deifico prorſus unguento virum ſignat. Et p.3. cap.4. *Sed & ipſis, qui ſacratiſſimo regenerationis myſterio conſecrantur, adventum Spiritus Sancti conſummans unguenti inunctio elargitur.* Afferam Origenem, qui hom.8. in Levitic. ſic loquitur: *Donum gratiæ Spiritus Sancti, per olei imaginem deſignatur, ut non ſolum purgationem conſequi is, qui convertitur à peccato, ſed & Spiritu Sancto repleri.* Cyril. Hieroſolymit. quinque cathecheſes myſtagogicas ſcripſit, duas de baptiſmo, de Euchariſtia duas, tertiam vero de confirmatione, quæ omnia tunc temporis eadem die conferebantur; Ex hoc ipſo vides, eodem modo loqui de confirmatione, quo de baptiſmo, & Euchariſtia, ergo ſicut hæc duo Sacramenta ſunt, ita & illa; Gregorium Nazianz. qui orat. in lavacrum Sanctorum ſic loquitur: *Si tu per baptiſmum te ipſum obſirmaveris, ac præclariſſimo ac firmiſſimo auxilio tibi in futurum caveris; animum ſcilicet & corpus unctione, & ſpiritu conſignans &c.*

14. Ex Latinis occurrit ſtatim Tertullianus, cujus in lib. de carnis reſur. c. 8. celeberrima illa ſententia. *Caro abluitur, ut anima emaculetur, caro ungitur, ut anima conſecretur, caro ſignatur, ut anima muniatur, caro manus impoſitione adumbratur, ut anima ſpiritu illuminetur &c.* ſed rem noſtram pluribus in aliis locis docuit, ac expoſuit, in lib. de Baptiſ. cap.7. ait: *Egreſſi de lavacro, perungimur benedicta unctione, in nobis carnaliter currit unctio, & ſpiritualiter proficit; Dehinc manus imponitur per benedictionem advocans, & invitans Spiritum Sanctum.* Quo dicendi modo plane unctionem, & manus impoſitionem à baptiſmi Sacramento diſtinguit; quod & clare indicat lib. de præſcript. hæretic. cap. 36. dicens: *Poſt lavacrum ſignat in frontibus milites ſuos.* Pacianus in lib. de Baptiſ. ait: *Lavacro peccata purgantur, chriſmate Spiritus Sanctus ſuperinfunditur.* Ambroſ. lib. de iis, qui initiantur: *Repete, quia accepiſti ſignaculum ſpirituale; ſerva quod accepiſti, ſignavit te Deus Pater, confirmavit te Chriſtus Dominus.* Et 3. de Sacram. cap. 2. *Sequitur ſpirituale ſignaculum, quia poſt fontem ſequitur, ut perfectio fiat, quando ad invocationem Sacerdotis Spiritus Sanctus infunditur.* Quot vero ex S. Auguſtino referre non poſſem? En primo lib. 2. contra lit. Petiliani cap.104. *Sacramentum Chriſmatis in genere viſibilium ſignaculorum ſacroſanctum eſt, ſicut ipſe baptiſmus.* En ſecundo tract. 3. in primam epiſt. Joannis. *Unctio ſpiritalis ipſe Spiritus Sanctus eſt, cujus Sacramentum eſt in unctione viſibili.* En 3. in pſal.141. *Sacramenta aliter, atque aliter accipimus, quædam per totum corpus accipimus, quædam in fronte per ſignum crucis.* Plures alios Patres omittendo, poſtremum locum ſervavi Hieronymo, qui, etſi alia nobis momenta deeſſent, ita rem pro nobis concludit in dial. contra Luciferianos. *Exigis, ubi ſcriptum ſit?* dixerat enim prius per manuum impoſitionem Spirituum Sanctum baptizatis conferri: *In actibus Apoſtolorum; ſed etiamſi ſcripturæ auctoritas non ſubeſſet, totius orbis in hanc partem conſenſus inſtar præcepti obtineret.*

15. Si rationem etiam quærant hæretici, illam S. Th. qu. 72. art. 1. exhibuit, nempe, quod ſicuti præter motum generationis, quo aliquis accipit vitam corporalem, eſt motus augmenti, quo aliquis perducitur ad perfectam ætatem, ſic & vitam ſpiritualem homo accipit per baptiſmum, qui eſt ſpiritualis regeneratio, in confirmatione autem homo accipit quaſi quandam perfectam ætatem ſpiritualis vitæ; Qua in re Melchiades Papa in epiſt. ad Epiſc. Hiſpan. ait: *Spiritus Sanctus, qui ſuper aquam baptiſmi ſalutifero deſcendit lapſu, in fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam, in confirmatione augmentum præſtat ad gratiam, in baptiſmo regeneramur ad vitam, poſt baptiſmum confirmamur*

mur

mur ad pugnam, in baptiſmo abluimur, poſt baptiſmum roboramur. Quo Sancti Pontificis teſtimonio præcipuum hæreticorum argumentum proteri compertum eſt, ut inferius apparebit: & certe, ſicut ad providum Ducem non ſolum milites habere ſpectat, ſed etiam congruis armis eos præmunire, ita ad Chriſtum pertinuit, non tantum homines ſuæ militiæ adſcribere, quod in baptiſmo agit, ſed etiam militiæ adjumenta præbere, quod per confirmationem elargitur.

16. Sed ſi tanta eſt hæreticorum mens pertinax, corque obduratum, ut nec Scripturis, nec Conciliis, nec Pontificibus, nec Patribus, nec rationibus fidem, locumque concedant, ſaltem miraculis, inſignibuſque gratiis eorum ora obcluderentur, catholicæque veritati ſubmitterent animum. Si ipſis dixero, ſanctum chriſma in ampulla ſervatum, & è feneſtra ab Arianis projectum, ita angelica manu protectum fuiſſe, ut nihil effunderetur, dicam, quod refert Optatus lib. 2. Si ſcribam, S. Rembertum Bremenſem Epiſcopum, dum confirmationem conferret, videndi facultatem cæco dediſſe, teſtem adducam Surium tomo 1. in menſe Februar. Denique legent apud S. Bernardum in vita S. Malachiæ cap. 2. *Malchum Epiſcopum puerum mente captum ex bis, quos lunaticos vocant, inter confirmandum ſancta unctione ſanaſſe*.

ARTICULUS II.

Rejiciuntur hæreticorum argumenta.

17. Juxta plurium Doctorum, quos vere Catholicos, & facile Principes fatemur, mentem, non eſſet cur argumenta quædam, quæ contra Scripturas à nobis productas congeruntur, diſſolveremus, cum, ſicut dictum eſt num. 8. ex ipſis ſolidum fundamentum non haberi, ab illis concedatur; attamen, ut ea ſervemus, quæ num. 9. à nobis dicta ſunt, quid reponant hæretici perpendamus.

18. Primo inquiunt, perperam ex iis, quæ in actibus Apoſtolorum leguntur, confirmationem Sacramentum eſſe, probari; nam ſequitur tantum, confirmationem eſſe quamdam baptiſmi cæremoniam, ita ut per manuum impoſitionem daretur quoddam approbationis argumentum, & baptizati ſiſterentur Presbyteris, ſeu Epiſcopis, ut inſtruerentur, ac doctrina quam didicerunt, rationem afferrent; aut ad ſummum conferretur aliqua gratia gratis data, vel miraculorum, vel prophetiæ, vel linguarum, juxta textum Pauli à nobis adductum, nempe: *Cum impoſuiſſet illis manus Paulus, venit Spiritus Sanctus ſuper eos, & loquebantur linguis, & prophetabant*. Hoc quidem peregregie indicat Chryſoſt. homil. 40. dicens: *Illi, quibus manus impoſuit, ſpiritum accipiebant, veriſimile autem eſt, illos ſpiritum habere, ſed non apparere, ſed efficacia, & linguarum locutione tunc declarabant*. Ratio etiam id ſuadet, ſiquidem baptizati à Philippo eam gratiam acceperunt per Apoſtolorum manuum impoſitionem, quam non habebant, quis autem, eos gratiam ſanctificantem habuiſſe inficias ibit? non igitur hanc acceperunt; ſuffragatur præcipue contextus, cum ibi deſcribatur Simonis petitio, qui gratiam illam per pecuniam comparari poſſe exiſtimavit, unde & dixit: *Date mihi banc poteſtatem, ut cuicumque impoſuero manus, accipiat Spiritum Sanctum*. Si autem Spiritus Sancti acceptio in gratia interiori ſita fuiſſet, nequaquam id poſtulare potuiſſet; Ex hoc autem novum argumentum confici poſſe videtur, videlicet ex ſingulari privilegio id conceſſum Apoſtolis fuiſſe, nunc vero, cum hujuſmodi dona ceſſaverint, confirmationem nihil eſſe, ſupereſt concludendum. Hiſce omnibus addatur; ea omnia, quæ dicta & promiſſa ſunt à Chriſto Domino de Paracliti adventu, in baptiſmo ſervari; Te-

ſtatur hoc Petrus Act.2., cum enim dixiſſet: *Hoc eſt, quod dictum eſt per Prophetam Joel; Et erit in noviſſimis diebus, dicit Dominus, effundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnem*: ſtatim addit: *Pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum in nomine Jeſu Chriſti in remiſſionem peccatorum veſtrorum, & accipietis donum Spiritus Sancti, vobis enim eſt repromiſſio, & filiis veſtris, & omnibus, qui longè ſunt, quoſcumque advocaverit Dominus Deus noſter*.

19. Hiſce omnibus à nobis eſt data reſponſio, ſi perpendantur, quæ dicta ſunt in antec.; attamen ſingula conſiderando amplius reſpondeamus. Eſſe puram cœremoniam, qua baptizati Presbyteris, ſeu Epiſcopis præſentarentur, inane eſt hæreticorum figmentum; Unde hoc oſtendunt, ut oporteret? Si pura cœremonia fuiſſet, tanta cura Petrum & Joannem Samariam miſſos fuiſſe, credi non poteſt, nec fuiſſet cur oraſſent, ut acciperent Spiritum Sanctum, cujus acceptio, & non externa cœremonia, orationis illius fuit finis. Gratias gratis datas primis fidelibus collatas fuiſſe per manus impoſitionem, non negamus, eas tamen ab interiori gratia nequaquam diſtinguimus, imo hanc donum præcipuum, ac perpetuo in Eccleſia permanſurum ex iiſdem textibus colligimus: *Ego*, ait Chriſtus, *rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiſcum in æternum*. At Paraclitus iſte quantum ad illa dona non diu manſit, ſed tandiu ſolum, quamdiu Eccleſiæ propagationi fuit expediens, ſemper autem manſit quantum ad gratiam internam, & unicuique ſemper eſt datus, ſi confirmatio fuerit legitima præparatione percepta; Obſerves etiam oportet, habere linguarum dona, & prophetiam, & habere Spiritum Sanctum eſſe duo ſatis diſtincta, & quamvis ſimul eſſe poſſint, & revera tunc fuerint, attamen unum ſine alio poſſit haberi; Linguarum donum & prophetiæ, idemque de aliis dicito, etiam peccatoribus conceſſum fuit, donum autem Spiritus Sancti fuit ſemper negatum: *Spiritus enim Sanctus diſciplinæ effugiet fictum* Sap. 1. Præclare in re noſtra ait S. Auguſtin. tract.6. in primam Joan. *Oportebat, ita ſignificari in omnibus linguis Spiritum Sanctum, quia Evangelium Dei per omnes linguas curſurum erat toto orbe terrarum, ſignificatum eſt illud, & tranſiit*. Libro autem 3. de Baptiſ. cap.16. diſtinguens unum ab alio, ſicut à nobis diſtinctum fuit, ita loquitur. *Neque enim temporalibus & ſenſibilibus miraculis atteſtantibus, per manus impoſitionem modo datur Spiritus Sanctus, ſicut antea dabatur ad commendationem rudis fidei, & Eccleſiæ primordia dilatanda. Quis enim nunc hoc expectat, & ii, quibus manus ad accipiendum Spiritum Sanctum imponitur, repente incipiant linguis loqui? ſed inviſibiliter & latenter intelligitur eorum cordibus Divina charitas inſpirari*. Certe ab omnibus, quos nos adduximus per manus impoſitionem Spiritum Sanctum conferri creditum eſt, nec tamen linguarum, ac prophetiæ donum recipi, experimento diſcebant. Illud igitur erat promiſſum primario, & tanquam perpetuo duraturum, hoc vero tantum ſecundario, ac tranſeunter concedendum.

20. Neque aliquid ratio illa ſuadet: habebant quidem ante adventum Spiritus Sancti gratiam ſanctificantem, qua per baptiſmum ab originali, & omnibus actualibus perfecte mundati erant, & ad vitam ſpiritualem regenerati, deerat tamen ipſis gratia roborans, ac confortans, qua intrepide conſtanterque fidem coram Regibus, ac infenſis Principibus profiterentur, atque hanc receperunt: Unde & Chriſtus dixit Act. 1. *Accipietis virtutem ſupervenientis Spiritus Sancti in vos, & eritis mihi teſtes in Jeruſalem, & in omni Judæa*. Perpende verbum illud, *ſupervenientis*, ut intelligas Spiritum S., & gratiam ſanctificantem conferri etiam Spiritum Sanctum & gratiam ſanctificantem habenti

benti. Argumentum hoc probaret, neque Euchariſtiam Sacramentum eſſe, quia cum ſupponat accedentem gratia ſanctificante jam præditum, & exornatum, eam conferre non poſſet, quare ſicut Euchariſtia Sacramentum eſt, quia gratiam novo modo, & ad diverſum finem producit, ita & Confirmatio.

21. Ex illa Simonis petitione nihil contra nos evinci poteſt, fatemur enim tunc per Apoſtolos collatum fuiſſe Spiritum Sanctum ſimul cum illis viſibilibus ſignis, atque hujuſmodi facultatem voluiſſe pecunia comparare, unde ipſi à Petro dictum fuit: *Pecunia tua tecum ſit in perditionem, quoniam donum Dei exiſtimaſti pecunia poſſe obtineri*. Argumentum aliud ex iiſdem refellitur.

22. Supereſt aliquid iis dicamus, quæ addita ſunt. Merito id dictum eſt à Petro; Primum enim Sacramentum, in quo Spiritus Sanctus recipitur, eſt baptiſmus; ſed aliud eſt, Spiritum Sanctum in baptiſmo recipi, & aliud, tantum in baptiſmo recipi; Ut verum ſit Sancti Petri dictum, primum ſufficit, & id concedimus; ut verum ſit, quod de confirmatione nos aſſerimus, ſufficit, ſi tantum in baptiſmo non recipiatur, & diverſo modo recipiatur, & eſt id, quod probavimus; Hoc autem amplius clariſſimè evincitur, ſi Apoſtolos ipſos conſideremus, & temporis circumſtantiam, qua Chriſtus daturum Spiritum Sanctum promiſit; erant tunc certe Apoſtoli baptizati, receperant igitur donum Spiritus Sancti, & effectum baptiſmi, ergo promiſſio facta Apoſtolis, ſe Spiritum Sanctum novo modo recepturos, erat promiſſio gratiæ diſtinctæ à gratia baptiſmi.

23. Nunc perpendendum eſt, quid ſentiant de illis Patribus, quos pro noſtro dogmate retulimus, & quo pacto etiam ipſi Patrum ſententiis errorem ſuum munire contendant; Calvinus, ut ſui moris eſt, ex eo nos reprehendit, quod cum dicamus, antiquiſſimam eſſe confirmationis obſervationem, eam non à Deo, ſed ab hominibus repetamus. Calumniam hanc impudentiſſimam eſſe, quis non videt? Si Patrum aliorumque traditionem adduximus, firmiſſimum argumentum, quo etiam pro aliis fidei myſteriis utimur, afferre judicavimus. Nunquid Patres ex propria mente loquuntur, & non juxta Apoſtolorum doctrinam, & traditionem? Præterea; non ſolos Patres, ſed etiam Scripturas protulimus.

24. Perſpiciens igitur aſtutiſſimus æquè ac ſceleſtiſſimus vir, hoc ſibi parum prodeſſe, ad alia convertitur, & poſt ipſum alii; Præteribo autem argumentum illud, quod ex plurium veterum Scriptorum ſilentio de confirmationis Sacramento deſumunt; Si enim de eo plures ſermonem non fecerunt, fecerunt alii & numero, & ſapientia præſtabiliores; Non omnium Scriptorum idem ſcopus, & inſtitutum, nec eadem ſcribendi materies; Si in ſenſu hæreticorum res eſſet accipienda, è numero Sacramentorum expungamus etiam baptiſmum, cum de illo veteres plures ſcripſerint nihil.

25. Opponit I. Calvinus lib.4.c.19. §.12. dicens: *De manuum impoſitione loquuntur veteres, ſed an Sacramentum vocant?* Auguſtinus aperte affirmat lib.3. de Baptiſ. cap.16. *nihil aliud eſſe, quam orationem*. En autem verba celeberrimi Doctoris. *Manus autem impoſitio non ſicut baptiſmus repeti non poteſt, quid enim eſt aliud, niſi oratio ſuper hominem?* Ex hoc aliud argumentum inferri poſſet; etenim, ita confirmatio apud nos eſt Sacramentum, ut repeti non poſſit, ut dicemus, ſed manus impoſitio juxta Auguſtinum repeti poteſt, ergo non eſt Sacramentum.

26. Novit profecto Calvinus, quid reſponderemus Auguſtini ſententiæ, nempe duplicem in Eccleſia fuiſſe manuum impoſitionem, unam, quam adhibebant pro peccatoribus reconciliandis, & ad pœnitentiam redeuntibus, aliam, quæ chriſmati conjungebatur; Illa

Illa Sacramentum non erat, nec eſt, & de illa ibi loquitur Auguſtinus; Hæc vero Sacramentum fuit, & eſt, & tantum de iſta à nobis concluſum fuit. Porro de ea ſermonem habuiſſe Auguſtinum, pluribus poſſet cum Eminentiſſimo Bellarmino momentis oſtendi, unicum tamen illud ſit, quod colligitur ex ejuſdem verbis ſuperius laudatis; inquit, manus impoſitionem non eſſe ſicut baptiſmum, & repeti poſſe, ſed illa tantum manus impoſitio, quæ ad reconciliandum erat, non quæ ad ungendum, repeti poterat, ergo de illa, non de iſta ſermonem habet; atque minorem propoſitionem ex Sancti Doctoris ſcriptis declaro, agens enim contra lit. Petiliani lib. 2. cap. 104. dicit Sacramentum confirmationis, ſicut & baptiſmi, in peſſimis hominibus interdum eſſe, atque manere, utique ad judicium, ſed quod eſt, ac manet in alio, ipſi ulterius dari non poteſt, quia nunquam eſt amiſſum, ergo. Cœterum, quænam fuerit mens Auguſtini, & quid de Sacramento chriſmatis ſenſerit, ſatis à nobis dictum eſt num. 14.

27. Dices. Juxta Auguſtinum in eodem loco illa manuum impoſitio nihil eſt aliud, quam oratio, per quam homines Apoſtolorum tempore variis linguis loquebantur, & prophetabant, ait enim, nunc per eam expectandum non eſſe, ut homines loquantur linguis, ſed ſufficere, ſi Spiritus Sanctus inviſibiliter infundatur, ſed ita futilis omnino eſt diſtinctio à nobis data de manuum impoſitione adinſtar reconciliationis, & de alia adinſtar unctionis, ſeu confirmationis, ergo. Hinc Calvinus ait: *Neque hic mihi putidis ſuis diſtinctionibus obganniant, non ad confirmationem illud Auguſtinum retuliſſe, ſed ad curatoriam, vel reconciliatoriam*. Præterea idem Auguſtinus lib. 5. de Baptiſ. c. 23. aſſerit, per manus impoſitionem reconciliatoriam dari Spiritum Sanctum, habet igitur eumdem effectum, quem nos tribuimus confirmationi, non ergo à confirmatione diſtinguitur, ſed illa Sacramentum non eſt, ergo neque confirmatio.

28. Reſp. ne. maj. ad prob. ibi loquitur Auguſtinus generatim de manuum impoſitione, & dicit ſive per reconciliationem, ſive per confirmationem Spiritum Sanctum conferri, quodve aſſerit de prima explicat exemplo ſecundæ, in quo nullum vitium eſt, quia, quod convenit toti generi, declarari poteſt exemplo unius ſpeciei. Obſervandum eſt autem, Auguſtinum ibi velle argumentum ſolvere Cypriani, qui contendebat, Hæreticorum Sacramenta non eſſe valida, quia extra Eccleſiam Spiritus Sanctus nec dari, nec accipi poteſt; Quid ergo Auguſtinus? tria diſtinguit, Sacramentum, donum Spiritus Sancti gratis datum, ut eſt donum linguarum, & donum gratum faciens, ut eſt charitas; duo priora admittit extra Eccleſiam, & in malis, poſtremum vero, inquit, tantum in Eccleſia dari, & accipi poſſe, atque idcirco docet, redeundum eſſe ad Eccleſiam, ut per manus impoſitionem reconciliationem illam accipiant; & quia potuiſſet aliquis ſuſpicari, hujuſmodi impoſitionem repeti non poſſe, ſicut non poteſt baptiſmus, ideo dixit, eam aliud non eſſe, niſi ſuper hominem orationem, ideſt cœremoniam, à qua adjumentum ſumit oratio. Hinc ad ſecundum, concedimus per manus impoſitionem reconciliatoriam dari Spiritum Sanctum, ſed negamus, eumdem effectum habere, quem habet confirmatio; Illa ſiquidem eſt ad peccatorum remiſſionem coram Eccleſia declarandam; Hæc vero ad animam in fidei confeſſione roborandam.

29. Si autem redire licet ad examinandum primum argumentum Calvini, totum concedi poſſet, ac tantum probaretur non eſſe Sacramentum iterabile, ſicut eſt baptiſmus, non autem abſolute non eſſe Sacramentum; ſiquidem in ea eſt materia ſenſibilis, nempe manuum impo-

impoſitio, eſt forma, nempe oratio, eſt gratia Spiritus Sancti, ut ipſe non negat; Quid igitur deeſt, ne Sacramentum ſit? Hic autem contenditur, utrum ſit Sacramentum; an vero iterari poſſit, alibi dicturi ſumus.

30. Opp. 2. Quod ab univerſali Eccleſia tanquam Sacramentum non recipitur, Sacramentum cenſendum non eſt, ſed confirmationem Sacramentum eſſe ab univerſali Eccleſia non recipitur; ergo confirmatio non eſt cenſenda Sacramentum. Prob. min. quia Eccleſia Græca Sacramentorum numero eam non adſcribit, hoc manifeſtum ex pluribus fit, etenim Græci à quacumque hæreſi converſos per unctionem recipiunt, ſi autem unctio Sacramentum eſſet, hoc fieri non poſſet, alioquin iterari deberet, quod eſt contra Catholicum dogma; Præterea, apud Græcos nullus ad ſacram menſam admittitur, niſi fuerit prius chriſmate unctus, igitur unctio eſt baptiſmi rite collati cœremonia, conſtat enim rite baptizatis nunquam Euchariſtiam negari, niſi vel ob aliquod grave crimen, vel ob ætatis defectum; Rurſus in Euchologiis pro baptiſmate, & unctione unicum tantum officium ſtatuitur, non eſt ergo unctio Sacramentum à baptiſmo diverſum.

31. Reſp. argumentum ſic retorqueri; Quod ab univerſali Eccleſia tanquam ſimplex cœremonia non recipitur, ſimplex cœremonia cenſendum non eſt, ſed confirmationem ſimplicem cœremoniam eſſe ab univerſali Eccleſia non recipitur, ergo non eſt cenſenda ſimplex cœremonia; Prob. mi. ex ore ipſius Dallæi, qui omittendo Eccleſiam Romanam, Eccleſiæ Græcæ ritum adducit; in forma: conc. maj. ne. mi. ad prob. nos non dicimus quamlibet unctionem, nec quamlibet manuum impoſitionem Sacramentum eſſe, talis autem ille erat, qua Græci ab hæreſi converſos recipiebant, ut alibi dicemus; quid etiam mirum, ſi neminem niſi prius chriſmatum ſacræ menſæ participem facerent? An latet, tunc eam praxim viguiſſe, ut ſimul Baptiſmus, Confirmatio, & Euchariſtia conferrentur? Merito igitur ab Euchariſtia arcebatur, qui contra praxim auderet accedere, & ſi hoc argumentum probaret, dices etiam Euchariſtiam fuiſſe meram baptiſmi cœremoniam, ſicut talem aſſeris confirmationem; Ex hoc patet, quare unicum tantum officium pro baptiſmate, & unctione ſtatueretur, quia nempe ſimul ambo conferebantur; Sed Dallæus parum in hiſce rebus verſatum ſe oſtendit; Scire debuiſſet, unctionem collatam fuiſſe poſt perfectum, & abſolutum baptiſmum; fuiſſe peculiarem annexam orationem, qua ſeptiformis Spiritus Sancti gratia ad baptizati robur poſtulabatur, ac denique ab Epiſcopo illam adminiſtraturo veſtes, locumque mutari, ex quibus compertum habuiſſet, non fore confirmationem cum baptiſmi cœremonia confundendam. Scire inſuper debuiſſet, ſemper in Eccleſia Græca confirmationem, tanquam verum Sacramentum, receptam fuiſſe; ſed non legit Patres, quos nos adducimus n.13. non legit Simonem Theſſalonicenſem in lib. de Sacramentis, Jeremiam in Catholica reſponſione, aliosque, à quibus, quod à nobis aſſeritur, etiam à Græcis confirmari reperiſſet. Hoc unum argumentum ſufficere poſſet, quod, cum toties Eccleſia Latina unionem cum Græca tentavit, nunquam ab iſta confirmationem, tanquam Sacramentum, fuiſſe rejectum oppoſuit.

32. Dices tamen adverſus ſuperius adducta; Ita loqui debemus de unctione, quæ à Sacerdote adhibetur in baptiſmate, ſicut de illa, quam Epiſcopus adhibet in confirmatione. Primo, quia illam in iſtius ſupplementum conferri videtur; legimus enim apud Valafridum Strabonem lib. de rebus Eccleſiaſticis cap. 26. Sylveſtrum Papam inſtituiſſe, ut Presbyter baptizatum chriſmate liniat propter occaſionem tranſitus mortis, quod etiam confirmat Rabanus

banus lib. 1. de Inſtitut. Cleric. cap. 28., ubi præter alia dicit: *Patet, quia quicumque non eſt Chriſti, regni ſui particeps fieri nequit, ideoque neceſſarium eſt, ut ſtatim ſuccurratur baptizato cum chriſmatis unctione, ut Spiritus Sancti participationem accipiens, alienus à Chriſto non exiſtat.* Quibus verbis palam oſtenditur, id præſtari per unctionem à Sacerdote adhibitam in baptiſmate, quod per unctionem confirmationis, ſicut igitur illa Sacramentum non eſt, ita nec iſta. Amplius hoc declaratur, ſi conſideremus, eamdem eſſe materiam eamdemque utriuſque unctionis conſecrationem.

33. Toto tamen cœlo aberrant, qui ita opponunt, ſe noni ſæculi Scriptorum auctoritate ſuffultos eſſe arbitrantes; falſum enim omnino eſt, de utraque unctione æquali modo fuiſſe locutos, cum triplex inter utramque diſcrimen ſemper agnoverint; Primum eſt, quod unctio baptiſmalis fit in vertice, confirmatoria in fronte; ſecundum, quod illa per ſimplicem Sacerdotem, hæc fit per Epiſcopum; Tertium, quod in illa nulla habetur manus impoſitio, habetur vero in iſta, de quibus ſuo loco ſermo continget; Quod autem attinet ad illam Sylveſtri Summi Pontificis inſtitutionem, quæ à pluribus ſuppoſititia exiſtimatur, fateor, unctionem baptiſmalem aliquo pacto ſupplere confirmatoriam, non quia producat illam gratiam, quæ à confirmatoria producitur, ſed quia tantum illam ſpeculative ſignificet; Cœterum neutra ex illis ad ſalutem neceſſaria eſt; ut omnes fatentur. Quod additur, eamdem eſſe materiam, eamdemque conſecrationem, omittimus, ſed ut eadem eſſet unctio, oporteret eamdem etiam eſſe formam, eumdemque Miniſtrum.

Non nulla alia ex dicendis reſolventur. Interim non præteribo quod dicunt, nempe nullum hujuſce Sacramenti in teſtamento veteri reperiri figuram, ſicut è contrario aliorum Sacramentorum reperitur; Verum duplici reſponſione S. Th. occurrit. Primo id negat in 4. diſt. 7. qu. 1. art. 1. quæſtiunc. 1. ad 3., ubi ait, Sacramentum hoc in unctione Pontificum, qua ſignificabatur unctio Chriſti à qua hæc unctio derivatur, adumbratum fuiſſe; Secundo affert diſparitatem 3. p. qu. 72. art. 1. ad 2. quia Sacramentum hoc eſt Sacramentum plenitudinis gratiæ, unde cum lex nihil ad perfectum adduxerit, mirum eſſe non debet, ſi in teſtamento veteri nullam figuram habuerit.

ARTICULUS III.

Quænam ſit hujuſce Sacramenti materia,

34. ADeo in hac re diviſi ſunt Doctores Theologi, ut ex eorum diviſione hoc Sacramentum negandi momentum unum Novatores deſumant; ſed perperam id actum eſt, aliter ſequeretur, quod cum quotidie de continui, aliarumque rerum natura diſputationes inſtituant Philoſophi, illius, iſtarumque exiſtentia foret neganda, & cum ipſi hæretici de baptiſmo & Euchariſtia contendant, etiam hæc duo Sacramenta forent rejicienda, quod tamen ab ipſis non fit.

35. Sicut autem in aliis Sacramentis materiam remotam, proximamque diſtinguimus, ita etiam in confirmatione diſtinguere debemus. De illa primo loco agemus, deinde de iſta.

Omiſſis autem hæreticorum erroribus, qui quod à nobis aſſerendum eſt, vel ab aliis Catholicis aſſeritur, mendaciis, calumniis, horrendiſque blaſphemiis turpiter perſequuntur, ut videri poteſt apud Calvinum lib. 4. inſtit. c. 19. §. 19. Luth. lib. de capt. Babyl. Kemnit. in exam. Concil. Trid. Spalaten. lib. 5. de Republ. Eccleſiaſt. cap. 5. nec non Dallæum lib. 1. cap. ult., non unica fuit etiam Catholicorum doctrina.

36. Docuerunt aliqui, nullam ſenſibi-

ſibilem materiam præter manuum impoſitionem ad hujus Sacramenti ſubſtantiam pertinere; Hanc opinionem fuiſſe communem apud Canoniſtas refert Marſil. in 4. qu.4. art. 1. atque ejuſdem fundamentum deſumitur ex quo exiſtimaverit, Chriſtum immediate hoc Sacramentum non inſtituiſſe, ſed Apoſtolos abſque viſibili Sacramento primis fidelibus Spiritum Sanctum dediſſe, deinde Eccleſiam auctoritate ſibi à Chriſto commiſſa pro materia eſſentiali chriſma inſtituiſſe. Hæc tribuitur etiam Alenſi 4. p. q. 24., Sancto Bonavent. in 4. diſt.7. art.1. qu.1. & 2., eamque præ aliis defendunt Sirmondus è Societate Jeſu, & Sambovius Doctor Sorbonicus contendentes chriſma ſolummodo ad materiam integrantem pertinere.

37. S. Thom. plura docet, ſiquidem 3. p. qu. 72. art. 2. inquit, ſolum chriſma conſtituere adæquatam & eſſentialem materiam confirmationis; quantum vero ſpectat ad Apoſtolos, ait, Chriſtum Dominum poteſtate excellentiæ ipſis contuliſſe die Pentecoſtes effectum Sacramenti conſiſtentem in plenitudine Spiritus Sancti ſine eodem Sacramento, & ſubdit, quod licet non fuerit conſueta materia, nempe Chriſma, non defuerit tamen alia materia ſenſibilis eidem chriſmati æquivalens, nempe ignis, in cujus figura Spiritus Sanctus deſcendit; Ipſi vero Apoſtoli confirmationem aliis contulerunt per ſolam manuum impoſitionem, quoadusque in ſignis ſenſibilibus Spiritus Sanctus ſuper baptizatos deſcendebat, cum vero illa ſigna ceſſarunt, tunc chriſma adhibuerunt.

38. Quod ſub Eccleſiæ primordiis per ſolam manuum impoſitionem Spiritum Sanctum Apoſtoli dederint, affirmavit etiam Doctor Subtilis in 4. diſt. 7. qu. 1. atque idem diſertiſſimis verbis tradidit Synodus Moguntina an.1549. cap. 18., quæ ſunt iſta. *Diligenter etiam populum inſtruant, cur hoc Sacramentum ab initio ſola manuum impoſitione exhibitum, mox ſub ipſis temporibus Apoſtolorum ex eorumdem traditione, adhibita chriſmatis unctione, cœperit conferri. Nam cum initio Spiritus Sanctus ad evidentiorem recentis fidei commendationem, ſigno viſibili influeret confirmatis, externa unctione, quæ illam internam deſignaret, tunc non erat opus. Poſtea vero, adulta Eccleſia, ac ſtabilita fide, cum ſigna externa apparere ceſſaverunt, nec jam amplius Spiritus Sanctus viſibiliter deſcenderet, mox in locum viſibilis ſigni unctio chriſmatis adhiberi cœpit, quæ his, qui confirmarentur, internam ac ſpiritalem unctionem repræſentaret, ut quid intus agatur per gratiam, foris aliquo viſibili ſigno innoteſcat, & verbi fidem externi elementi ſimilitudo confirmet.*

39. Sunt vero alii Theologi, qui docent, nunquam etiam per Apoſtolos collatum fuiſſe Spiritum Sanctum per ſolam manuum impoſitionem, ſed ſemper chriſma fuiſſe materiam eſſentialem confirmationis, imo illam fuiſſe tantummodo materiam integrantem; Verum & illi qui ita de chriſmate ſentiunt, dividuntur in ſtatuendo, per quid hujuſmodi chriſma confici debeat. Aliqui enim aſſerunt, neceſſario conficiendum eſſe ex oleo, & ita ad ſubſtantiam Sacramenti ſpectare, mixtionem vero balſami ſolum requiri neceſſitate præcepti, ſicut requiritur in calice mixtio aquæ, cujus opinionis fundamenta inferius à nobis proponentur. Rem totam per plures aſſertiones exponemus, ac determinabimus.

40. Aſſertio 1. Chriſma eſt materia eſſentialis confirmationis. Hoc modo probabilius exiſtimo dogma fidei; habemus enim duplicem definitionem in duobus Conciliis, primam in decreto Eugenii pro inſtructione Armenorum data in Concilio Florentino, ubi leguntur hæc verba: *Secundum Sacramentum eſt confirmatio, cujus materia eſt chriſma confectum ex oleo, quod nitorem ſignificat*

cat conſcientiæ &c. Secundam in Concil. Trident. ſeſſ.7. can. 2. ubi hæc alia: *Si quis dixerit, injurios eſſe Spiritui Sancto eos, qui ſacro confirmationis chriſmati virtutem aliquam tribuunt, anathema ſit.* Fatemur quidem, hoc ex Scripturis Sanctis oſtendi non poſſe, attamen plura ſunt alia, quæ non niſi ex Apoſtolica traditione habita eſſe non inficiamur, quæve oretenus à Chriſto Domino didicerunt, hoc autem in re noſtra eveniſſe dicendum eſt, quod magis conſtabit ex iis, quæ de materia proxima proferemus.

41. Aſſertio 2. Ut chriſma ſit materia apta, atque eſſentialis confirmationis debet eſſet confectum ex oleo, & balſamo; Etiam hoc nunc exiſtimandum eſt ferme dogma fidei, nam Concilium Florentinum in laudato loco, poſt adducta verba, addit, *& balſamo, quod odorem ſignificat bonæ famæ*: Neque explicari poteſt Concilium de neceſſitate ſolum præcepti quo ad balſamum, non vero de neceſſitate Sacramenti, primo quia in omnibus Sacramentis conſtantibus ex materia compoſita poſſet id in dubium revocari. Secundo quia, ſicut hoc diceretur de balſamo, ita dici poſſet idem de oleo, imo affirmari poſſet non eſſe neceſſarium oleum ex olivis expreſſum, ſed ex aliquo alio fructu: Tertio tandem, quia ubicumque aliquid eſt tantum neceſſarium neceſſitate præcepti, id colligimus vel ex Eccleſiæ inſtitutione, vel ex traditione, ut conſtat de aqua, quæ in calice vino admiſcenda eſt, at balſami mixtionem hoc pacto tantum requiri nullam habemus traditionem, nullam Eccleſiæ explicationem.

42. Si autem aſſertionis noſtræ rationem quæras, aptiſſima illa eſt, quam affert S. Th. hic qu. 72. art. 2., nempe, illa ſtatuenda eſt materia eſſentialis confirmationis, quæ præcipuum ejuſdem effectum repræſentat, videlicet plenitudinem Spiritus Sancti, & robur ſpirituale ætati conveniens perfectæ, hujuſmodi autem eſt chriſma confectum ex oleo, & balſamo, gratia enim Spiritus Sancti per oleum exprimitur, unde de Chriſto Domino, in quo corporaliter dicitur habitaſſe, dictum fuit, unctum eſſe oleo lætitiæ, robur vero ſpirituale, conveniens non homini infanti, qualis conſideratur, cum per baptiſmum regeneratur, ſed homini adulto jam contra diabolum pugnaturo, per balſamum innuitur, ergo:

43. Sed quia præcipuum fundamentum adverſantis opinionis ex eo deſumitur, quod balſami commixtio ab Eccleſiaſtica inſtitutione initium habuerit, ideo operæ pretium eſt oppoſitum demonſtremus. Pro certo autem habeo id à traditione Apoſtolica ad totam Eccleſiam derivaſſe; ut enim docet S. Auguſtinus lib. 4. de Baptiſ. cap. 24. *Quod univerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, nonniſi auctoritate Apoſtolica traditum rectiſſime creditur.* Praxim autem iſtam ex oleo & balſamo chriſma conficiendi acceptam eſſe ab univerſali Eccleſia, nec in aliquo Concilio inſtitutam firmiſſime tenendum eſt, donec Concilium aliquod ab adverſariis afferatur, quod ita ſtatuerit, nullum autem afferri poteſt, ſiquidem ante quodcumque Concilium generale poſt Apoſtolorum tempora celebratum fuit hujuſmodi conſuetudo; ſidemque faciunt teſtes, quibus fidem non adhibere temerarium eſſet ac impium. Primo occurrit Dionyſius, qui p. 2. de Eccleſiaſtica Hierarchia cap. 4. appellat hoc chriſma, *unguentum, quod nos maxime efficit Divinos*, & p. 3. circa finem dicit; *Unguenti, quæ perficiendi vim habet, perfuſio, eum, qui initiatus eſt, ſuavitate odoris fragrantem facit.* Secundus ſit Cyprianus, qui ſerm. de unctione chriſmatis hæc habet: *Hodie ſacrum chriſma conficitur, in quo mixtum oleo balſamum Regiæ, ac Sacerdotalis gloriæ exprimit unitatem, quibus dignitatibus initiandis divinitus eſt unctio inſtituta.* Ex quibus, aliiſque à nobis

bis adducendis, dum de hujuſce Sacramenti inſtitutione diſſeremus, compertum ſit, id ab Apoſtolis traditum eſſe, non tanquam inſtitutoribus, ſed tanquam ab iis, qui id à Chriſto Domino didicerunt.

44. Ex dictis ſequitur, quod ſi quis ſine balſami mixtione oleum tantummodo adhiberet, non ſolum illicite ſe gereret, ſed neque hujus Sacramenti ſubſtantiam conficeret. Unum tantum videtur in contrarium afferri poſſe, videlicet hæc omnia ſervari, neceſſariamque eſſe mixtionem balſami, non quia ſit pars eſſentialis, ſed integralis, eo pacto quo ſatisfactio in Sacramento pœnitentiæ eſt ex inſtitutione præceptoque Chriſti, & tamen ſolummodo pars integralis aſſeritur.

Verum valde diſpar eſt ratio, ſiquidem in Sacramento pœnitentiæ ſatisfactio non concurrit, quando Sacramentum ſubſtantialiter ſit, ſed eſt aliquod conſequens, imo licet nulla injungeretur ſatisfactio, interdum etiam ſine culpa, adhuc verum fieret Sacramentum, at confectio ex balſamo concurrit ſimul ad conficiendum Sacramentum, & Sacramento præſupponitur, proinde, &c. Præterea, illa materia, quæ neceſſario requiritur ad veritatem formæ, non integralis, ſed eſſentialis appellanda eſt, cum veritas formæ ſit hujuſmodi, ſed ad veritatem formæ in Sacramento confirmationis neceſſario requiritur oleum mixtum balſamo, etenim in forma dicitur: *Confirmo te chriſmate ſalutis*, & chriſma juxta ſenſum Patrum, & uſum Eccleſiæ componitur ex oleo & balſamo, ergo.

Aſſertio tamen noſtra argumentorum contra hanc partem ſolutione magis declarabitur; Ideo.

45. Opp. 1. ex Patrum ſententiis, qui per chriſma oleum tantummodo intellexerunt, & dum de confirmationis materia ſermonem habuerunt, olei tantum nomen uſurparunt, & quamvis etiam nomine chriſmatis uſi ſint, attamen ex vi ſuæ ſignificationis nihil aliud ſignificat, niſi unctionem. Afferre autem placet primo loco Baſilium, qui de Spiritu Sancto cap. 27. oleum tantummodo ſanctificatum inter antiquas, & Apoſtolicas traditiones commemoravit; ſecundo loco non omittam Cyprianum, qui epiſt. 70. hæc habet: *Ungi neceſſe eſt eum, qui baptizatus ſit, ut accepto chriſmate, id eſt unctione, unctus Dei, & habere in ſe gratiam Chriſti poſſit; Porro autem Euchariſtia, & , unde baptizati unguntur, oleum in Altari ſanctificatur*. Idem non obſcure indicat S. Auguſt. ſerm. 47. de verbis Domini, ubi perpendens, Chriſtum in montem Oliveti perveniſſe, ſic ait: *In montem fructuoſum, in montem unguenti, in montem chriſmatis; ubi enim decebat docere Chriſtum, niſi in monte Oliveti? Chriſti enim nomen à chriſmate dictum eſt: Chriſma autem Græcè, Latinè unctio nuncupatur, ideo nos unxit, quia luctatores contra Diabolum fecit*. Idem ergo per Auguſtinum ſignificant, Unguentum, Chriſma, Oleum, cum ex Oliveti monte liquor alius præter oleum produci non poſſit; In eadem ſententia fuerunt Cyril. Jeroſolymit. catech. 3. myſtagogica, Proſper in lib. ſentent. in 342. Iſidor. lib. 7. Orig. cap. 2. Juxta hæc Prudentius in Pſycomachia cecinit:

Poſt inſcripta oleo frontis ſignacula: per quæ
Unguentum regale datum eſt per chriſma perenne.

46. Reſp. etiam à nobis Patres adductos eſſe pro ſententia noſtra; nihil autem mirum, ſi ab aliis chriſma tantum olei nomine ſignificatum eſt, etenim cum præcipua ejuſdem pars ſit oleum, modicumque balſamum admiſceatur, ideo à majori parte denominationem ſumpſerunt; Cœterum in Concil. Brachar. 2. cap. 4. totum chriſma balſami conſecrati nomine fuit appellatum.

47. Op. 2. Innocent. III. in cap. 1. de Sacram. non iterandis; Conſultus fuit Pontifex, an confirmatio eſſet iteran-

randa, ſi aliquis per errorem fuerit tantum oleo delinitus, & reſpondet: *Nihil eſſe iterandum, ſed caute ſupplendum id, quod incaute fuerat omiſſum*; quæ reſponſio falſa eſſet, ſi admixtio balſami eſſet neceſſaria neceſſitate Sacramenti. Accedit alius Summus Pontifex, videlicet Paulus III. cujus tempore in regione quadam erat liquor, de quo dubium erat, an eſſet balſamum; Epiſcopus ab eo facultatem petiit, ut in illo liquore oleo commixto confirmare poſſet, Paulus vero ex ſpeciali privilegio illi facultatem conceſſit, hoc autem fieri non potuiſſet, ſi verum balſamum ad eſſentiam Sacramenti pertineret.

48. Reſpondent Paludanus, Durandus, & alii, Pontificem non negare, in eo caſu conferendum eſſe Sacramentum Confirmationis, ſed tantum eſſe iterandum, conficere enim quod confectum non eſt, iteratio appellari non poteſt. Nec certe juxta adverſariorum opinionem Innocentii reſponſio accipi poteſt, etenim nullus ire poteſt inficias, quod ſi contingeret, aliquem ſolo oleo confirmari, iterum fore quoad ſubſtantialia Sacramenti confirmandum, etenim ad minus Sacramentum illud eſſet incertum, & probabilius eſſet nullum, & dum dicit, caute ſupplendum eſſe, quod incaute fuit prætermiſſum, aperte indicat ſupplendam eſſe unctionem ex balſamo, quæ facta non erat, non poteſt autem ſuppleri unctio cum balſamo ſine oleo, primo quia unctio cum ſolo balſamo nunquam fuit adhibenda, ergo prætermiſſa dici non poteſt, ergo neque ſuppleri; ſecundo, quia ſuppleri debet unctio ex balſamo benedicto, balſamum ſeparatum ab oleo nunquam benedicitur, eſt igitur ſupplenda unctio ex balſamo, & oleo, qualis prætermiſſa fuit, ex alia parte non eſt ſupplenda ſine forma, ergo ex mente Innocentii colligitur, ſupplenda eſſe ſubſtantialia; Dum vero dicit, nihil eſſe iterandum, illud nihil referendum eſt ad ritus, & cæremonias, quæ in ſolemni hujus Sacramenti adminiſtratione ſolent adhiberi, ſicut ſi baptiſmus invalide eſſet collatus ſolemniter, non eſſent iterandæ illius ſolemnitates, ſed tantum private conferendus.

49. Quod de Paulo III. refertur, non obſtat; agebatur tunc, utrum in India licitum eſſet cum balſamo illius regionis chriſma conficere, quia dubitabatur, eſſe verum balſamum, annuit Pontifex, ſed tunc non diſpenſavit in hujus Sacramenti materia, ſed ſolum declaravit, balſamum illud eſſe materiam aptam, atque ſufficientem, nec ab alio vero balſamo, niſi modo accidentario, differre, quod exiſtimo etiam ſine Pontificis facultate fieri potuiſſe, quia, loquendo moraliter, illa materia erat ſufficienter certa. Idem dico de alia conceſſione, quæ facta dicitur à Pio IV.

50. Opp. 3. Chriſtus Dominus eas Sacramentorum materias determinavit, quæ facile, ac in toto orbe reperiri poſſent, ſicut Sacramenta pro toto orbe fuerunt inſtituta, at balſamum hujuſmodi non eſt, cum, ut ſcribit Plinius lib. 12. naturalis hiſtoriæ cap. 25. in duobus tantum Judææ hortis haberetur; Rurſus, Sacramentorum materia debet eſſe certa, ita ut nemo dubitare poſſit, at, quodnam ſit verum balſamum, vix decerni poteſt; Tandem, cum naſcentis Eccleſiæ temporibus diſcipuli pauperrimi eſſent, vix credi poteſt ad Sacramenti uſum balſamum habere potuiſſe.

51. Reſp. 1. materiam Sacramenti confirmationis non oportere eſſe adeo facilem, obviam, ac communem, ſicut eſſe debet materia vel baptiſmi, vel pœnitentiæ, vel Euchariſtiæ, ſiquidem illa non eſt Sacramentum tantæ neceſſitatis, quantæ ſunt iſta; 2. ne. min. argumenti, & quod refert Plinius, vel intelligendum eſt de antiquioribus temporibus, vel negandum, cum Joſephus lib. 8. antiquit. cap. 2. narrans, Reginam Saba plantam balſami Salomoni obtuliſſe, ſubdit: *Cujus hodie ferax*

rax eſt noſtra regio , illiuſque Reginæ munificentiæ acceptum ferri oportet. Sanctus vero Hieronym. in illa verba Ezech. 27. *Juda , & Iſrael balſamum , mel , & oleum , & reſinam propoſuerunt in nundinis ſuis*. Paleſtinam hiſce rebus refertam eſſe teſtatur , aſſeritque balſamum naſci in vineis Engaddi , quod etiam animadvertit Gregor. Magnus explicans illud Cantic. 1. *Botrus Cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi* , & dicens : *In Engaddi balſamum gignitur , quod cum oleo Pontificali benedictione chriſma efficitur , quo dona Sancti Spiritus exprimuntur*. Ex his habes , quo pacto etiam tempore Apoſtolorum , licet pauperes eſſent , haberi potuerit balſamum , præſertim quod fieri non debet mixtio , niſi in modica quantitate ; ſed ulterius advertas , rem non eſſe adeo ſcrupuloſe agendam , ut quodnam ſit balſamum , & qualis virtutis in examen debeat revocari , ſatis enim eſt , dummodo ſit balſamum uſuale , ſicut pro materia Euchariſtiæ de vino concluditur ; Hujuſmodi autem balſamum adeo carum non eſt , cum magnam copiam etiam India ſuppeditet , per quod refellitur , quod ſecundo loco reponebatur.

52. Dices poſtremo. Si res ita eſt , ut modica balſami pars admiſceri debeat , fiet , ut nec omnibus partibus olei admiſeri poſſit , nec diu in balſami natura conſervari , ſed evadet oleum , igitur tantum oleum erit materia eſſentialis.

Sed contra ; neceſſe non eſt omnes olei partes balſami admixtio pervadat , ſed ſatis eſt , ſi habeatur unguentum compoſitum , & mixtum , & tota materia fragrantiam habeat , per quam præcipuus confirmationis effectus exprimatur , ut dictum fuit num. 42. Hoc idem dicas de balſami conſervatione .

Nonnulla alia expendemus , dum de materia proxima ſermo continget .

53. Quæri autem poteſt , utrum oleum ex nucibus , vel amigdalis eſſet materia apta .

Reſponſio eſt negativa cum S. Th. 3. par. quæſt. 72. art. 2. ad 3. & ita ſentiunt alii Doctores .

Ratio eſt , quia pro oleo ſine aliquo addito ſignificatur oleum ex olivis , unde cum materia hujus Sacramenti ſit oleum ſine addito , oleum tantum ex olivis eſſe poteſt ejuſdem materia , quemadmodum quia pro Euchariſtia inſtitutus eſt tanquam materia panis ſimpliciter , & iſte eſt panis triticeus , tantum panis triticeus eſt materia Euchariſtiæ , ut dicitur in proprio tractatu. Aliam etiam rationem affert Angelicus Doctor loco laudato , quia videlicet , proprietates olei , quibus ſignificatur Spiritus Sanctus , magis inveniuntur in oleo olivarum , quam in quovis alio , unde ipſa oliva ſemper frondibus virens , virorem , & miſericordiam Spiritus Sancti ſignificat , internamque animi pacem , quam Spiritus Sanctus affert , aptiſſime exprimit , ſicut columba , ut pacem inter Deum , & homines indicaret , ramum olivarum ad arcam tulit .

ARTICULUS IV.

Utrum ad ſubſtantiam prædictæ materiæ neceſſario requiratur benedictio , ſeu conſecratio ab Epiſcopo facta .

54. Neceſſariam eſſe hujuſmodi benedictionem , ſeu conſecrationem nullus ex Doctoribus negat , ſed tantum in ſtatuendo gradu neceſſitatis dividuntur . Quidam enim arbitrati ſunt , eſſe tantummodo neceſſariam neceſſitate præcepti , ut Capreol. Cajetan. Sot. Palat. Valentia , & noviſſime Honoratus Tournely . Alii vero aſſerunt , benedictionem neceſſariam eſſe etiam neceſſitate Sacramenti , ut Scotiſtæ omnes , & communiſſime Recentiores cum Thomiſtis , & S. Th. hic artic. 3. Dixi *benedictionem* ſine aliquo addito , etenim utrum indiſpenſabiliter fieri poſſit à ſimplici Sacerdote eſt aliud punctum , quod 2. loco reſolvemus .

Exi-

55. Exiſtimo, benedictionem chriſmatis neceſſariam eſſe neceſſitate Sacramenti.

Hoc ex uſu Eccleſiæ perpetuo, necnon Patrum traditione ſatis firme colligitur; Cyprianus de chriſmatis unctione ait: *Sanctificatis elementis, jam non proprie natura præbet effectum, ſed virtus divina potentius operatur, ſed adeſt veritas ſigno, & Spiritus Sacramento*. Epiſt. vero 70. inquit: *Oleum in Altari ſanctificari*. Unde etiam prius Tertullianus lib. de baptiſmo unctionem appellat *benedictam*. Cyrillus Jeroſolymit. tam alte de chriſmatis conſecratione ſenſit, ut iſtam Euchariſtiæ conſecrationi comparare videatur, in qua tamen comparatione ſimilitudo tantum & proportio, non æqualitas accipienda eſt; ſic autem loquitur: *Vide, ne illud eſſe putes unguentum tantum: quemadmodum enim panis Euchariſtiæ poſt Sancti Spiritus invocationem non amplius eſt panis communis, ſed eſt Corpus Chriſti, ſic & ſanctum hoc unguentum non amplius eſt unguentum nudum, neque, ſi quis ita appellare malit, commune, ſed eſt chriſma Chriſti, quod adventu Spiritus Sancti per ipſius divinitatem, energiam habet*. Denique, ne omnium Patrum nomina proferam, illud adnoto dumtaxat, quod ubicumque Patres de chriſmate ſermonem habent, illud appellant *ſacrum*, *ſacratiſſimum*, *ſanctum*, quod de ſola mixtione olei ac balſami ſine benedictione affirmari non poſſet.

56. Sed rem noſtram validius declarabit Conciliorum doctrina. Nunquid in Concilio Nicæno ex Arabico Codice in latinum converſo non fit can. 69. expreſſa mentio triplicis benedictionis, ſeu conſecrationis, nempe olei catechumenorum, infirmorum, & chriſmatis? Nunquid in Concilio Laodiceno can. 8. hoc chriſma non dicitur *ſacrum*, *ac ſuper cæleſte*? Nunquid in Concilio Romano ſub Sylveſtro can. 5. non prohibetur, Presbyteros chriſma facere, quia hoc munus Epiſcoporum eſt? Hoc deinde ſtatutum fuit in Conciliis Carthagin. 2. can. 3. Carthagin. 3. can. 36. Carthagin. 4. can. 36., ubi jubentur Parochi, ut omni anno à proprio Epiſcopo chriſma recipiant, & non per Clericos juniores, ſed per ſemetipſos, aut ſaltem per eos, qui Sacrario præſunt; quod & ſtatutum eſt à Concilio Vaſenſi can. 3. Omitto Toletanum 1. can. 20. Hiſpalenſe 2. can. 7. Bracharenſe 1. can. 37. Wormat. can. 2. & 8. & mihi ſatis eſſe poſſet Concilium Florentinum in inſtructione Armenorum, ubi pro confirmationis materia aſſertur chriſma ex oleo & balſamo per Epiſcopum benedictum; Verum Catechiſmi Romani verba omittere nequaquam poſſum, ſunt autem iſta. *Hæc*, ideſt materia, *chriſma appellatur, quod ex oleo & balſamo, ſolemni Epiſcopi conſecratione conficitur... Quod autem ea ſit hujus Sacramenti materia, cum Sancta Eccleſia & Concilia perpetuo docuerunt, tum à Sancto Dionyſio, & compluribus aliis graviſſimis Patribus traditum eſt, inprimiſque à Fabiano Pontifice, qui Apoſtolos chriſmatis confectionem à Domino accepiſſe, nobiſque reliquiſſe teſtatus eſt.* Vide, quanti habeatur Fabiani auctoritas, cujus tamen dictum apocryphum eſſe nonnulli recentiores affirmare non trepidant; Pergit inde Catechiſmus dicens: *Conſecratur autem chriſma ſolemnibus cæremoniis ab Epiſcopo, ita enim Salvatorem noſtram docuiſſe in extrema cœna, cum chriſmatis conficiendi rationem Apoſtolis commendaret, Fabianus Pontifex ſanctitate, & martyrii gloria clariſſimus, tradidit; Quanquam cur ita fieri debuerit, ratione etiam oſtendi poteſt; etenim in pleriſque aliis Sacramentis Chriſtus ita eorum materiam inſtituit, ut ſanctitatem quoque illi tribuerit, non ſolum enim aquam elementum baptiſmi eſſe voluit, cum inquit: Niſi quis renatus fuerit ex aqua &c. ſed cum ipſe baptizatus eſt, effecit, ut ea deinceps vi ſanctificandi prædita eſſet, quare dictum*

à San-

Digitized by Google

à Sancto Chryſoſtomo : Aqua baptiſmi purgare peccata credentium non poſſet, niſi tactu Dominici Corporis ſanctificata fuiſſet. Quoniam igitur Dominus hanc confirmationis materiam uſu ipſo, & tractatione non ſacravit, neceſſarium eſt, ut ſanctis ac religioſis precationibus conſecretur &c. Hæc porro omnia cum antecedentibus per ſolam neceſſitatem præcepti ſervari non poſſunt, cum inter eſſentialia, & ſimpliciter neceſſaria ex parte materiæ hæc benedictio, tanquam conditio numeretur.

57. Laudata Catechiſmi Romani doctrina deſumpta eſt ex ratione illa, quam afferunt S. Th. hic, nec non Scotus in 4. diſ.6. quæſt.1. videlicet, quod, cum Chriſtus Dominus contactu ſuo materiam confirmationis non conſecraverit, neceſſe eſt, alio modo conſecretur, nec alio modo niſi benedictione, ac Spiritus Chriſti invocatione. Quænam contra momentum hoc dici poſſint, inferius afferam.

58. Interim producam ea, quæ directe in oppoſitum militare videntur. Primo. Benedictio chriſmatis eſt quodam ſacramentale ab Eccleſia inſtitutum, quod ejuſdem auctoritate mutari, ſeu variari poteſt, non igitur erit eſſentialis, cum in iis, quæ ad ſubſtantiam Sacramentorum pertinent, nihil inſtituere, aut mutare poſſit Eccleſia. Secundo. Quidquid ex Chriſti inſtitutione neceſſarium eſt ad Sacramenti ſubſtantiam, certam formam habet ab ipſo Chriſto, ſed nulla eſt certa, ac determinata benedictio chriſmatis, ergo. Tertio; ex traditione nihil concludi poteſt; etenim ex uſu & traditione Eccleſiæ aqua in calice euchariſtico miſcenda eſt, nec tamen miſcetur, niſi neceſſitate præcepti: Ultimo; Ut aqua ſit materia ſufficiens pro baptiſmo neceſſario non benedicitur neceſſitate Sacramenti, ergo neque, ut chriſma ſit materia ſufficiens pro confirmatione.

59. Reſpondet primo argumento Paludanus in 4. diſ.7. quæſt. 1. num.19. & alibi, Chriſtum disjunctim inſtituiſſe, ut confirmatio fieret ex chriſmate conſecrato; vel non conſecrato, prout Eccleſia id præſcriberet, ſic tamen ut illud eſſet neceſſarium, ac eſſentiale, quod Eccleſia præſcriberet; Reſponſionem hanc, quæ eſt etiam Capreoli nullo pacto approbare poſſum; atque in terminis repugnat, ſi attendamus, Chriſtum Dominum in ijs Sacramentis, in quibus ipſe materiam determinavit, nihil Eccleſiæ arbitrio, ac poteſtati reliquiſſe; Sed quidquid ſit; dico; benedictionem chriſmatis conſiderari poſſe juxta verba, quibus componitur, & juxta Spiritus Sancti invocationem, quæ in ipſa continetur, ſi priori modo, eſt quodam ſacramentale ab Eccleſia inſtitutum, nec omni tempore, & loco idem ſervatum, in poſteriori vero eſt pars Sacramenti à Chriſto Domino præſcripta; juxta hæc dixit Concil. Braccharen. 2. cap. 4. *Balſamum benedictum, quod pro ſalute animarum per Spiritus Sancti invocationem conſecratur.* Hinc brevius dici poteſt, conſecrationem, ſeu benedictionem eſſe de eſſentia nec ab Eccleſiæ poteſtate, arbitrioque pendere, modum vero benedictionis ad eſſentiam non ſpectare, atque ab Eccleſia poſſe variari; Ex hoc patet, quid ſecundo argumento reſpondendum ſit, habet enim chriſma determinatam formam quoad Spiritus Sancti invocationem, ſed non quoad modum invocationis. Ad tertium. Perperam ex uno Sacramento ad aliud Sacramentum illatio deducitur; ſecus dici poſſet, invocatio Trinitatis non eſt de eſſentia aliorum Sacramentorum, ergo neque baptiſmi; in re noſtra eſt diſparitas, quia ex eodem uſu & traditione Eccleſiæ, ex qua colligitur, aquam in calice miſcendam eſſe, colligitur etiam non eſſe miſcendam neceſſitate Sacramenti, hoc autem non contingit, dum de chriſmatis benedictione ſermonem habemus. Hæc reſponſio ſolvit etiam poſtremum; ſed pro hoc ſatis etiam dictum eſt num.56. & 57.

Vi-

60. Videtur tamen doctrina ibi tradita juxta Catechiſmum Romanum, S.Thom.& Scotum parum firma & concludens. Etenim Chriſtus Dominus non adhibuit materiam pœnitentiæ, vel ordinis, vel matrimonii, nec tamen hujuſmodi materiæ prævie benedicuntur, vel conſecrantur, ergo quamvis Chriſtus uſus non ſit materia chriſmatis, inferri non poteſt, eam eſſe benedicendam. Præterea. Dum dicimus, aquam per Chriſti contactum conſecratam eſſe, quia baptiſmum ſuſcepit, vel ſermo eſt de Sacramento baptiſmi, vel de ſola aquæ ablutione, ſi de primo, hoc falſum eſt, quia baptiſmus Joannis Sacramentum non fuit; ſi de ſecunda; pari modo etiam unctione non caruit, & quando vivens à Magdalena fuit unctus, & quando mortuus à Nicodemo. Potius igitur dicendum eſt, non eſſe neceſſariam aquæ benedictionem in baptiſmo, quia eſt Sacramentum ſummæ neceſſitatis, & ſicut non requiritur determinatus, ſeu ſanctificatus miniſter, ita neque benedicta, vel ſanctificata materia.

61. Non inficiamur, etiam alias rationes afferri poſſe, ob quas neceſſaria non ſit benedictio aquæ, ſit vero neceſſaria benedictio chriſmatis, & ita argumentantes jam ipſi attulerunt aliam diſparitatem, atque idem dico etiam de pane pro Euchariſtia, nempe dici poſſe, neceſſariam non eſſe præviam benedictionem, non quia Chriſtus illo ſit uſus, ſed quia Euchariſticum Sacramentum eſt tale, quod per ipſius materiæ conſecrationem conficitur, & materia conſecrata ſit ipſum Sacramentum, uſus vero quid poſterius Sacramento; Attamen etiam ratio à nobis adducta valida eſt, ac ſubſiſtit; neque paritas de tribus illis Sacramentis aliquid in oppoſitum probat. Primo enim ejuſdem antecedens negari poteſt; ſiquidem, ſi loquamur de materia pœnitentiæ, hæc eſt peccatorum confeſſio, quæ dici poteſt quodammodo ſanctificari ex contritione, ſeu attritione, à qua procedat, neceſſe eſt; ſi de materia ordinis, vel eſt manuum impoſitio, & manus ſunt Epiſcopales, & conſecratæ, vel eſt alicujus inſtrumenti exhibitio, & illud inſtrumentum eſt aliquo modo ſacrum, ut calix, patena, liber Evangeliorum &c. ſi de materia Matrimonii, hæc eſt externa corporum traditio, quæ ſanctificatur per intentionem honeſte procreandi filios per ordinem ad vitam æternam; Secundo; dato antecedente ratio diſpar non deeſt, nempe chriſma eſſe materiam ſenſibilem, ac permanentem; materiam vero illorum Sacramentorum, quæ adducta ſunt, conſiſtere in actionibus humanis, aut verbis tranſeuntibus, quæ benedictionis, ſeu conſecrationis capaces non ſunt; Talis eſt in Sacramento pœnitentiæ confeſſio peccatorum, in Sacramento ordinis aliquis contactus, in Sacramento matrimonii expreſſio conſenſus, & mutuæ corporum traditionis.

ARTICULUS V.

Utrum hujuſmodi benedictio indiſpenſabiliter debeat eſſe ab Epiſcopo.

62. Nunc reſolvendum eſt ſecundum punctum, de quo n. 54. In hac re Cajetanus hic art. 3. tanquam rationi magis conſentaneum exiſtimat, confirmationem factam cum chriſmate à ſimplici Sacerdote conſecrato eſſe verum Sacramentum, ſi enim, inquit, ſimplici Sacerdoti ex vi ſuæ ordinationis convenit maxima conſecratio, qualis eſt illa Euchariſtiæ, potiori jure conveniet minor, ita ut valida ſit, quamvis non licita propter prohibitionem.

63. Contra hanc opinionem admodum ſingularem ſunt omnes alii Doctores juxta doctrinam Concilii Florentini aſſerentis, materiam confirmationis eſſe oleum & balſamum ab Epiſcopo benedictum, ut ſuperius diximus, nec non Concilii Tridentini, quod ſeſſ.7. can.3. de Sacram. confirmationis anathema dixit illis, qui aſſerunt, confirmationis mi-

miniſtrum non eſſe ſolum Epiſcopum, ſed quemlibet ſimplicem Sacerdotem; Ratio etiam proponitur, quia chriſma conficere, ſeu conſecrare pertinet ad poteſtatem ordinis, quæ juxta praxim Eccleſiæ ſimplicibus Sacerdotibus nec quo ad ſe, nec quoad exercitium nunquam conceditur, & revera in ipſorum ordinatione confertur ſolum poteſtas conficiendi corpus & ſanguinem Jeſu Chriſti, nec non remittendi peccata. Hæc tamen omnia magis ex dicendis conſtabunt.

64. Illud autem Cajetani momentum nullum eſt, eo etenim dato, quis non videt, ſimplicibus Sacerdotibus etiam convenire ex vi ordinationis Altarium & Templorum conſecrationes, imo quæcumque alia, quæ in Eccleſia fiunt, & procul dubio minora ſunt Euchariſtiæ conſecratione? Non igitur perpendendum eſt quod majus vel minus eſt, ſed quod propriæ ac ſpeciali convenit poteſtati; Ratio à priori eſt, quia, dum agitur de cauſis limitatis, argumentum nullum eſt à majori ad minorem effectum, quando minor effectus in majore non includitur, nec majori ſubordinatur, ſic homo poteſt producere hominem, qui perfectior eſt formica, nec tamen poteſt producere formicam, nec tunc illatio dici poteſt à majori ad minus, ſed dici debet aut à diſparatis, aut à parte ad totum, quia plus eſt utrumque poſſe, quàm unum tantùm.

65. Alias igitur ſententias in dubii propoſiti reſolutione examinemus; atque omittendo illam Paludani, qui ſicuti dixit, potuiſſe Eccleſiam præſcribere, ut huic Sacramento chriſma non benedictum ſufficeret, ita etiam aſſeruit, poſſe nunc præſcribere, ſufficere chriſma à ſolo Sacerdote benedictum; eſt quorumdam opinio affirmans, à ſimplici Sacerdote poſſe hoc chriſma conſecrari, dummodo accedat diſpenſatio, vel delegatio facta etiam ab Epiſcopo. Ita præ cœteris Ledeſma hic art.3. Præcipuum, quod affert fundamentum, deſumitur ex Concil. Toletano 1. can.20., ubi leguntur hæc verba: *Quamvis pene ubique cuſtodiatur, ut abſque Epiſcopo nemo chriſma conficiat, tamen, quia in aliquibus locis, vel Provinciis Presbyteri dicuntur chriſma conficere, placuit, ex hac die nullum alium, niſi Epiſcopum, chriſma conficere*. Hiſce verbis non innuitur, illud chriſma factum à Presbyteris nullum fuiſſe, & inane, ſed ſolum prohibetur in poſterum fieri, & dum dicitur: *Placuit ex hac die* Eccleſiaſtica indicatur prohibitio.

66. His addi poteſt Concil. Braccarenſe 1. can. 37. ubi habetur, per veteres Canones vetitum eſſe, Presbyteros chriſma benedicere audere, alioqui deponantur, & ſubditur, *ſine conſcientia Epiſcopi, nihil Presbyteri agere præſumant*. Igitur infertur, ex facultate Epiſcopi agere poſſe.

67. Hæc tamen opinio tanquam omnino falſa rejicienda eſt propter momenta à nobis ſuperius producta, ſi enim chriſma conficere pertinet ad poteſtatem ordinis, & ſimplex Sacerdos hanc non habet, eam Epiſcopus per diſpenſationem, ſeu delegationem conferre non poteſt; Ad Epiſcopos pertinet quidem poteſtatem juriſdictionis concedere, non tamen poſſunt extendere poteſtatem ordinis ad actus, ad quos character de ſe eſt inſufficiens.

68. Nec quidpiam ex oppoſitis textibus evinci poteſt; ſiquidem ex Concilio Toletano tantùm infertur, aliquibus in locis id à Presbyteris ex ignorantia, vel prava conſuetudine factum eſſe, & ideo ad auferendam vel ignorantiam, vel pravam conſuetudinem illud ſtatutum fuit, neque ita ſtatutum, ut tunc prohibitio inciperet, ſed tantum ad declarandum prohibitum id, quod ex ſe fuit ſemper prohibitum, ſed ut tale non exiſtimatum; & quamvis non dicatur expreſſe illud chriſma nullum, ac inane fuiſſe, tamen neque affirmatur, fuiſſe ratum. Eodem modo intelligendum eſt Concilium Braccaren., nempe, per ve-

veteres canones prohibitum eſſe, non ita, ut prohibitio à lege canonica ortum duceret, ſed ut per canones prohibitio declararetur; & dum dicitur, ſine conſcientia Epiſcopi nihil à Presbyteris agendum eſſe, inferri non poteſt, ergo accedente ſcientia, & conſenſu Epiſcopi omnia ab ipſis fieri poſſe, ut manifeſtum eſt, ſed tantum evinci debet, quod Presbyteri etiam in iis, quæ ſibi conceſſa ſunt, à ſui Epiſcopi facultate dependerent.

69. Quanquam prædictum argumentum alio etiam modo refelli poſſe, non ambigo. Sciendum namque eſt, duplex chriſma haberi poſſe, unum, quo baptizatus ungatur in vertice, alterum, quo Sacramentum confirmationis conferatur. Primum ex diſpenſatione confici etiam poteſt à ſimplici Sacerdote, quia ſicut illa unctio eſt ſolum cœremonia ab Eccleſia inſtituta, ita etiam illius unctionis materia, & de hoc chriſmate ſermo eſt in textibus laudatis, non autem de illo, cujus uſus eſt pro confirmatione, cum veriſimile non ſit, hoc in aliquibus Eccleſiis Catholicis fuiſſe aliquando permiſſum, nec tantam fuiſſe Epiſcoporum ignorantiam, ut chriſmate à Presbyteris benedicto ad confirmandum uterentur.

70. Quid tamen dicendum eſt, ſi de Summi Pontificis auctoritate inquiramus? De hoc major eſt difficultas inter Doctores. Negativam partem ſuſtinent Coninch., Barboſa, Baldius, Suarez, Averſa, Roſignolus, atque dicunt, probabilius eſſe, Summum Pontificem diſpenſare non poſſe. Oppoſitum vero docent Victoria, Sotus, Valentia, aliique ex Recentioribus, ex Scotiſtis vero omnes celebriores præter Pontium, hancque affirmant, eſſe Doctoris ſubtilis mentem, quamvis Suarez dicat, Scotum non agere de chriſmatis confectione, ſed ſolum de confirmationis miniſterio. Ego autem ita me geram, ut utriuſque partis fundamenta exponam, deinde, quod magis conſentaneum videtur, eligat lector, præſertim quod etiam utriuſque partis fundamenta diſſolvam.

71. Pro parte negativa hæc eſſe poſſunt. 1. Benedictionem chriſmatis ab Epiſcopo factam ad hujus Sacramenti eſſentiam ſpectare, & hanc poteſtatem de jure Divino ſolis Epiſcopis datam eſſe, ut colligitur ex Conciliis paſſim ſuperius adductis, & Fabiano Papa dicente: *Chriſtum in ultima cœna Apoſtolos chriſma conficere docuiſſe*, ſoli autem Epiſcopi ſunt Apoſtolorum ſucceſſores; & in Catechiſ. Romano habetur: *Neque ad alium ea confectio, niſi ad Epiſcopum pertinere poteſt*. Quod multo ante in Concil. Vormatien. can. 2. decretum fuerat hiſce verbis: *Chriſma conficere nullus præter Epiſcopum præſumat, nam illi ſoli hæc dignitas conceſſa eſt*. 3. Concilium Florentinum differens de hujuſce Sacramenti Miniſtro inquit, aliquando diſpenſatum eſſe circa Miniſtrum, ita ut ex urgente rationabili cauſa ſimplex Sacerdos Sacramentum confirmationis contulerit, non tamen chriſma confecerit, ſed chriſmate per Epiſcopum confecto contulerit; Unde & legimus Gregorium XIII. conceſſiſſe poteſtatem confirmandi in India ſimplici Sacerdoti, hac tamen lege, ut chriſma ab Epiſcopo conſecratum adhiberet, quæ conditio inepte fuiſſet appoſita, ſi conſecrandi chriſma ipſi facultatem concedere potuiſſet.

72. Hiſce argumentis reſpondere quis poſſet, id, quod primo loco repoſitum eſt, probare de poteſtate ordinaria, non ſic accedente diſpenſatione, ac delegatione, ſicut, cum dicitur in Patribus, & Conciliorum decretis Epiſcopus confirmationis Miniſter, ſolum de miniſterio ordinario debet intelligi, & certe Catechiſmus Romanus ita loqui videtur de confectione, ſicut de miniſterio; ait enim: *Neque ad alium ea confectio, niſi ad Epiſcopum pertinere poteſt, qui ejuſdem Sacramenti ordinarius Miniſter inſtitutus eſt*. Pariter ex Con-

Concilio Florentino nihil concludi poſſe videtur, quod enim nulli conceſſa fuerit facultas conficiendi chriſma, nequaquam probat non poſſe concedi, ſed ſolum, nunquam fuiſſe urgentem neceſſitatem, quæ poſtularet hujuſmodi conceſſionem, longe enim major difficultas eſt in habendo Epiſcopo, qui miniſtret, quam in habendo chriſmate ab Epiſcopo confecto, quod de una in aliam regionem etiam remotam deferri poteſt, & propter hoc ita etiam ſe geſſit Gregorius XIII. in præfata conceſſione, quam multo prius factam eſſe à Sancto Gregorio Papa Presbyteris Sardiniæ nonnulli fatentur.

73. Reſponſio ſuperior iis momentis innititur, quibus pars affirmativa munitur; Præcipuum autem illud eſt, quod ſicuti per Summi Pontificis diſpenſationem poteſt ſimplex Sacerdos miniſtrare Sacramentum confirmationis, ut patet ex Florentino, ita etiam per eamdem diſpenſationem poterit ſimplex Sacerdos materiam ejuſdem Sacramenti conficere, illud ſiquidem amplius eſt iſto, illud ſe habet ut finis, iſtud ut medium, qui autem poteſtatem habere poteſt ad finem, cur etiam ad media habere non poterit? His accedit Concilium Toletanum 8., quod can. 7. ait, Divinam auctoritatem Epiſcopali eminentiæ conceſſiſſe, quod cœteris Sacerdotibus exercenda prohibuit, ideſt templorum Dei conſecrationem, chriſmatis benedictionem, &c. ergo ſicuti ſimplex Sacerdos ex Summi Pontificis commiſſione poteſt templa conſecrare, ita etiam poterit chriſma benedicere.

74. Propter primum argumentum ipſi contrarii Doctores affirmativam opinionem probabilem eſſe, nihilotamen minus propriam probabiliorem eſſe contendentes, illud conantur rejicere dicendo, datam quidem fuiſſe conceſſionem ſimplici Sacerdoti confirmationis Sacramentum miniſtrare, ſed per chriſma ab Epiſcopo confectum, quod indicat, nunquam factum eſſe, nec fieri poſſe, ut hoc Sacramentum detur alio chriſmate pręterquam ab Epiſcopo conſecrato, atque hujuſce rei rationem addunt, quia cum per ſe hoc Sacramentum ad Epiſcopum pertineat, ſi aliquando ex diſpenſatione alteri committitur, expedit, ut ſaltem in ipſa materia Epiſcopalis auctoritas appareat, ac interveniat; Præterea ſubdunt, materiam ſubſtantialem Sacramentorum quantum ad omnes ſui conditiones invariabilem eſſe debere, cum igitur Epiſcopalis benedictio ſit ſubſtantialis hujuſce materiæ conditio, ſequitur hanc ſemper eamdem eſſe oportere.

75. Quanti valeat hujuſmodi reſponſio, unuſquiſque perpendat, hoc verum eſſe de poteſtate ordinaria, non delegata, repetunt alii, atque Doctores illos principium petere, & reſpondere per id, quod eſt in quæſtione merito reponere poſſunt; ſemperque redit argumentum, quod etiam miniſterium confirmationis eſt Epiſcopale, nec tamen inferri poteſt, ſimplici Sacerdoti non poſſe committi, neque ex aliquo non facto deduci poteſt impotentia faciendi, ſicut ab oppoſito ab aliquo facto faciendi potentia recte colligitur.

76. Potius exiſtimo, aliud argumentum nullam vim habere, etenim Concil. Toletanum ibi enumerat etiam ordinum inſtitutionem, & tamen certum eſt, ſimplicem Sacerdotem ordines ſaltem ſacros conferre non poſſe; Quod igitur de calicum, templorumque conſecratione id concedatur, valde diſpar eſt ratio, quia nempe eſt tantum Eccleſiæ Sacramentale ab Eccleſia inſtitutum.

ARTICULUS VI.

Quænam ſit materia proxima Confirmationis.

77. CUM probatum ſit, chriſma eſſe materiam remotam hujus Sacramenti, in quonam conſiſtat materia proxima jam ſatis compertum

factum eſt, omnibus enim conſtat, quod in Sacramentis in uſu conſiſtentibus, ut eſt confirmatio, materia proxima eſt ejuſdem materiæ applicatio, proinde in re noſtra erit chriſmatis unctio; Quia tamen in hoc Conciliorum, Sanctorumque Patrum doctrina non mediocriter apparet, & quia ſi probaretur, unctionem chriſmatis non eſſe materiam proximam, etiam inferetur, chriſma materiam remotam non eſſe, ideo ſtudioſe pertractandum eſt, eo vel maxime, quod agendum eſt etiam de manuum impoſitione, de qua inquiramus oportet, utrum ad materiam proximam debeat pertinere, quod ſequenti articulo reſolvetur. Interim quid de chriſmatis unctione ſenſerint alii, dictum fuit art. 3.

78. Aſſertio noſtra eſt, materiam proximam confirmationis eſſe chriſmatis unctionem.

Id aptius ſuadere non poſſumus, quam ex perenni traditione utriuſque Eccleſiæ latinæ, ac græcæ. Plura quidem teſtimonia jam protulimus art. 1. num. 13. & 14., quæ, ne eadem bis dicamus, hic à te ibi legenda relinquimus. Invenies Dionyſium Areopagitam, Origenem, Cyril. Jeroſolymit. Invenies Tertullianum, Pacianum, Ambroſium, Auguſtinum, Hieronymum; Hic autem ad ampliorem veritatis confirmationem ſequentia ſubdemus. Juſtinus qu. 137. ſcribit, peractis myſteriis baptiſmi conſignari fideles ſacro unguento. Gregor. Nazianz. oratione in ſanctum lavacrum ait: *At ſi tu per baptiſmum te ipſum obfirmaveris, ac præclariſſimo, & firmiſſimo auxilio tibi in futurum caveris, animum ſcilicet, & corpus unctione & ſpiritu conſignans, quemadmodum olim Iſrael nocturno illo, primigenoſque tuente cruore; quid tibi accidet? & quid tibi præſidium comparatum erit? Audi Salomonis parænias; Si ſederis, ait intrepidus eris, ſi dormieris, ſuavis erit ſomnus tuus.* Theodoret. in cap. 1. Cantic. *Qui initiantur baptiſmo poſt Satanæ abnegationem, & confeſſionem fidei veluti ſigno, ac nota regia ſpiritualis unguenti chriſmate inuncti, ſub ea viſibili unguenti ſpecie inviſibilem Sanctiſſimi Spiritus gratiam percipiunt.* Joan. Damaſcenus lib. de Fide cap. 10. aſſerit, Spiritum Sanctum per ignem datum eſſe Apoſtolis, nobis autem dari per oleum. Ubi de oleo confirmationis ſermonem haberi, dubitandi locus non relinquitur. Adde Concilium Nicænum, de quo num. 11. nec non Laodicenum, quod can. 48. habet hæc verba. *Oportet eos, qui illuminantur, poſt baptiſmum inungi ſupercæleſti chriſmate.* Et ſimul adverte, utrumque Concilium contra Novatianos rem peregiſſe, ut inde intelligas, Patres de confirmationis Sacramento, quod Novatiani non dabant, locutos fuiſſe.

79. Ex latinis addo Cyprianum lib. 1. epiſt. ultima dicentem: *Ungi quoque neceſſe eſt eum, qui baptizatus ſit, ut accepto chriſmate eſſe unctus Dei, & habere in ſe Chriſti gratiam poſſit.* Et lib. 2. epiſt. 1. *Tunc demum plene ſanctificari, & eſſe Filii Dei poſſunt, ſi Sacramento utroque naſcantur.* Alia Cypriani verba ſerm. de unctione chriſmatis protulimus num. 43. in fine, & quamvis illius ſermonis auctor Cyprianus non eſſet, attamen inter opera Cypriani habetur, atque ab antiquo & docto viro compoſitum eſſe, pro certo tenendum eſt. Theodulphum Aurelianenſem in lib. de ordine Baptiſmi ad Magnum Senonenſem Epiſcopum cap. 16. hæc habentem: *Quibus*, nempe baptizatis, *ſeptiformis gratiæ ſpiritus per chriſmatis unctionem conceditur.* Ampliora dicemus in argumentorum ſolutione.

80. Opp. 1. In Scripturis Sanctis, ubi ſermo eſt de Sacramento confirmationis, nulla fit mentio unctionis ex chriſmate. Act. enim 8. legitur tantum: *Imponebant manum ſuper illos, & accipiebant Spiritum Sanctum.* Ergo tunc unctio non erat materia confirmationis, ſed quod Apoſtolorum tempore non fuit, nec poſterioribus temporibus eſſe

po-

potuit, quia ſicuti Sacramentum ſemper fuit idem, ita etiam materia ſemper eadem, ergo.

81. Reſpondent huic argumento multifariam Doctores, ut nos diximus num. 37. & 38. quam reſponſionem ſi admittamus, directe dicimus, ergo tunc unctio non erat materia confirmationis, erat tamen aliquid æquivalens unctioni, conc. ſecus nego; & adhuc Sacramentum erat idem, ſicut idem eſt effectus, ſive habeatur per hanc cauſam, ſive per aliam huic æquivalentem.

Revera tamen cenſeo, etiam Apoſtolos chriſmatis unctionem adhibuiſſe, quod enim unius fiat mentio, alterum vero prætermittatur, non inde ſequitur excludi, præſertim cum pro eo, de quo Scriptura ſilet, perpetua in Eccleſia traditio non deeſt, ut de unctione, ac chriſmate nos declaravimus, multa certe fecit Chriſtus, fecerunt Apoſtoli, quæ tamen ſcripta non ſunt, multa Eccleſia in Sacramentorum adminiſtratione credit & ſervat, quorum tamen in Scripturis nullum expreſſum veſtigium. Ubi in Scriptura legis, infantes eſſe baptizandos, aut ratum eſſe baptiſma ab hæreticis collatum? & tamen utrumque fateris. Scias tamen, cum Lucas in actis Apoſtolorum manus impoſitionem deſcribit, unctionem etiam deſcripſiſſe, etenim qui ungit, manum etiam imponit, & ſi ſecus eſſet, hujuſce unctionis non meminiſſent antiquiſſimi Patres, qui à nobis fuerunt adducti; Iſti enim aliquando de ſola impoſitione manuum loquuntur, aliquando de ſola unctione, aliquando de utraque ſimul. Ita ſe geſſit Tertullianus, qui in libro de reſurrectione carnis loco à nobis alibi laudato ait, carnem ungi, ſignari, & manus impoſitione obumbrari, in lib. de præſcrip. ſolum exprimit ſignari in fronte, lib. 1. contra Marcionem ſolum loquitur de unctione, in lib. de baptiſmo, de unctione, & impoſitione. Ita etiam alii. In Concil. Arelaten. 1. can. 8. tantum de manus impoſitione ſit ſermo, in Concilio vero Arelatenſi 2. agente de eadem re chriſmatis unctio nominatur. Certe Lucas ritum illum, quo Apoſtoli confirmabant compendio perſtrinxit, & plura, quàm dixerat voluit intelligi; etiam loquens de baptiſmo act. 8. & 19. ait, Apoſtolos baptizaſſe in nomine Chriſti, & tamen, ut ſuo loco declaravimus, baptizabant in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; etiam baptiſmus Eunuchi collatus dicitur à Philippo, poſtquam profeſſus fuit, ſe credere Jeſum Chriſtum eſſe Filium Dei, & tamen exiſtimandum eſt, de pluribus aliis fuiſſe à Philippo Eunuchum interrogatum, multaſque alias cœremonias, quæ omittuntur in textu, adhibitas fuiſſe; Unde ait S. Auguſt. lib. de Fide, & operibus cap. 9. *In eo, quod ait, baptizavit eum Philippus, intelligi voluit impleta omnia, quæ licet taceantur in Scripturis gratia brevitatis, tamen ſerie traditionis ſcimus implenda*. Ita ſe habet res in noſtro caſu, dum tantum Lucas manus impoſitionem deſcriptam nobis demandavit.

82. Si tamen dicerem, etiam in Sanctis Scripturis hujuſcemodi unctionis omnino ſilentium non fieri, inconſulto non dicerem. In epiſt. 2. ad Corint. cap. 1. ſic legitur: *Qui confirmat nos Deus, & unxit nos, & ſignavit, & dedit pignus Spiritus in cordibus noſtris*. Textum hunc de Sacramento confirmationis explicarunt S. Ambroſius in lib. de his, qui initiantur, cap. 7. Sanctus Auguſt. in eum locum, Chryſt., Theodoret., nec non Cyrillus Jeroſolymit. catech. myſtagog. 3. Quare non eſt, cur pro uniuſcujuſque arbitrio in alium ſenſum detorqueatur, & de ſola unctione interna, & inviſibili per gratiam ſanctificantem habita intelligatur.

83. Dices, ſi ita res eſt, ſicut in probatione noſtra, & ſuperiori reſponſione dictum eſt, jam fide tenendum erit, unctionem confirmatoriam eſſe materiam eſſentialem confirmationis, at profecto hoc concedi non poteſt, cum plures gravis

vis potæ Theologi id in controverſiam vocaverint, ac negaverint, ut diximus art. 3.

84. Reſp. admittendo, id tanquam fidei dogma tenendum eſſe poſt doctrinam Concilii Florentini. Porro ex Doctoribus oppoſitum ſuſtinentibus alii fuerunt, qui dicerent nullam ſenſibilem materiam adhibendam neceſſario eſſe præter manuum impoſitionem, exiſtimantes Sacramentum hoc non fuiſſe à Chriſto Domino inſtitutum, quod fundamentum quàm falſum ſit, conſtat ex Concilio Florentino ſtatuente, omnium novæ legis Sacramentorum Chriſtum fuiſſe inſtitutorem, alii vero, qui dicerent, eſſe materiam ſolum integralem, quod ſine aliquo vel ſcripturæ, vel traditionis momento affirmatur, atque ea, quæ dicta ſunt ad excludendam tantum neceſſitatem præcepti, probant etiam, non eſſe tantum materiam integralem, unde quidquid affirmatum eſt de materia remota, aſſerendum eſt de uſu ejuſdem materiæ, ſeu unctione, tanquam materia proxima.

85. Opp. 2. Quod eſt eſſentialis materia alicujus Sacramenti, id ſervari debet in utraque Eccleſia Orientali, atque Occidentali, ſed unctio non eſt hujuſmodi, etenim chriſma, quo utuntur Græci, ex 35. aromatum, ſeu herbarum fragrantium ſpeciebus cum oleo, & vino ſimul concoctis conficitur, illud vero quo utuntur latini, ex oleo & balſamo, hiſque non concoctis, componitur, ergo.

Reſpondemus. Eamdem in ſpecie eſſe materiam tam apud græcos, quam apud latinos, illa enim herbarum admixtio olei, balſamique naturam non immutat, neque ad materiam eſſentialem ſpectat, ſed tantum ad ritum ejuſdemque Eccleſiæ diſciplinam.

86. Opp. 3., magiſque confirmant quod in prima objectione reponebant, quemdam canonem primi Concil. Arauſicani, nec non Concilium Moguntinum, cujus verba à nobis adducta ſunt art. 3. num. 38. Porro in Arauſicano canon. 1. hæc leguntur: *Nullum miniſtrorum, qui baptizandi recipit officium, ſine chriſmate uſquam debere progredi, quia inter nos placuit ſemel chriſmari; De eo autem, qui in baptiſmate, quacumque neceſſitate faciente, non chriſmatus fuerit, in confirmatione Sacerdos commonebitur; Nam inter quoslibet chriſmatis ipſius non niſi una benedictio eſt; Non ut præjudicans quicquam, ſed ut non neceſſaria habeatur repetita chriſmatio.* Ex iſtis infertur, unicam tantum in baptiſmate tunc chriſmationem adhibitam eſſe, atque ideo miniſter baptizaturus ſine chriſmate progredi non debebat; admonendum eſſe Epiſcopum, ſi ex aliqua neceſſitate baptizatus unctus non fuiſſet, ut ab Epiſcopo ungeretur, & ideo, quia chriſmatis eſt una benedictio, ſi chriſmatus in baptiſmo fuerat, neceſſe non erat, iterum ab Epiſcopo chriſmari, & hoc abſque aliquo baptizati præjudicio, *quia neceſſaria non habetur repetita chriſmatio*. Videlicet, ſatis erit, ſi tantum manus impoſitio ab Epiſcopo adhibeatur.

87. Hoc eſt argumentum Sirmondi, in quo plura ſupponuntur, quæ placet præterire, cum alia nobis reſponſio non deſit, licet illa falſa eſſe, non demonſtremus. Atque in primis, canonem illum non eſſe ita legendum, contendit Aurelius dicens, in eo non reperiri particulam illam *non* ſed legi, *non præjudicans quicquam, ſed ut neceſſaria habeatur repetita chriſmatio*. Qua lectione data, corruit totum argumentum.

88. Quænam autem lectio admittenda ſit, facili negotio judicari non poteſt. Sirmondus pro lectionis ſuæ fundamento affert in Antirrhetico plures codices, videlicet, Tilianum, Lugdunenſem, Rhemenſem, Victorinum, necnon editionem veterem Colonienſem cum antiquis Iſidori exemplaribus. Aurelius vero adverſus eum reponit in Vindiciis cenſuræ facultatis Pariſienſis vulgatas omnes ac antiquas Conciliorum editiones, ſcilicet tres Merlinianas,

nas, duas Binianas, Surianam, Crabbinianam, nec non Gratianum de Conſecrat. diſ. 4. cap. *Nullus*. Non eſt autem ambigendum harum editionum auctores ſuas editiones habuiſſe, ac contuliſſe.

89. Ego vero in hac re nihil definiens, dico, etiam admiſſa Sirmondi lectione, nihil in noſtram aſſertionem evinci. Senſus enim Concilii Arauſicani iſte eſt; ut quilibet Miniſter baptiſmi ſine chriſmate non progrediatur, quia in baptiſmate verticalis chriſmatio adhibenda eſt, tanquam cœremonia ab Eccleſia præſcripta, ac ſemper ſervata, ſi autem contigerit, chriſmationem illam omiſſam eſſe, debet admoneri Epiſcopus, antequam Neophytum ungat in fronte, ipſique manum imponat, ut illam ſuppleat, fuit ſiquidem ſemper Eccleſiæ diſciplina, ut prætermiſſas baptiſmi cœremonias adderet; ideo à Cornelio Summo Pontifice in epiſt. ad Fabium Antiochenum reprehenſus fuit Novatianus, quia liberatus à morbo, propter quem in lecto fuerat baptizatus, reliqua non perceperat, quæ juxta Eccleſiaſticam regulam percipi debent, nec fuerat ab Epiſcopis conſignatus; Hæc autem verticalis in baptiſmate chriſmatio quiquam non præjudicabat, quia etiamſi ſuppleta non fuiſſet, adhuc manus impoſitio, & chriſmatio in fronte facta per Epiſcopum ſuum obtinebat effectum, & ſic intellige poſteriora verba, in quibus tota vis argumenti eſt, *non præjudicans quicquam, ſed ut non neceſſaria habeatur repetita chriſmatio.* Porro de hac chriſmatione in fronte tanquam diſtincta ab illa, quam baptiſmi miniſtri adhibebant, aperte inter cœteros loquitur Innocentius I., qui ante Concilium Arauſicanum decrevit, *ut Presbyteri chriſmate baptizatos ungere poſſint, ſed quod ab Epiſcopo fuerit conſecratum, non tamen frontem ex eodem oleo ſignare, quod ſolis debetur Epiſcopis, cum tradunt Spiritum Sanctum*, ideſt, dum confirmant.

90. Quod juxta Concilium Moguntinum affertur, non probat unctionem non eſſe materiam confirmationis, ſed illam ſubſtitutam eſſe manus impoſitioni, & ideo ſicut ab initio manus impoſitio erat de eſſentia hujus Sacramenti, ita poſt erit unctio. Si autem ex illo vellent ſic argumentum conficere; ſola manus impoſitione fuit ab initio hoc Sacramentum collatum, ergo quicquid adjunctum fuit, ad materiam integralem, non eſſentialem pertinet; jam antecedentis falſitas à nobis ſuperius demonſtrata fuit, & pro Concilio dicimus, hoc ibi non definiiſſe, ſed plus æquo eorum Theologorum opinionem ſecutum fuiſſe, qui Apoſtolos, ex ſpeciali diſpenſatione confirmationem per ſolam impoſitionem manus adminiſtraſſe exiſtimarunt.

91. Opp. 4. Non niſi deſinente ſæculo ſexto chriſmatis unctio apud occidentales habita fuit tanquam confirmationis materia, ergo quia non eſt cenſenda materia eſſentialis; antec. oſtenditur ex eo, quod ſcribit S. Gregorius Magnus epiſ. 61. ad Quirinum, & alios Iberiæ Epiſcopos, videlicet: *Arianos per impoſitionem manus occidens, per unctionem vero ſancti chriſmatis oriens reformat.*

92. Reſp. negando antec. idem enim ritus recipiendi Arianos fuit in utraque Eccleſia, neque manuum impoſitio chriſmationem excludit, neque chriſmatio manuum impoſitionem, ſed aliquando Sacramentum hoc appellatur ſine aliquo addito manus impoſitio, aliquando chriſmatio, unde quod intelligitur per manus impoſitionem intelligitur per chriſmationem, & quod per iſtam etiam per illam; & in hoc ſenſu loquitur Gregorius. Cœterum in Occidentalibus Eccleſiis per chriſmationem receptos fuiſſe Arianos, non levia & antiqua monumenta ſuadent. In Concilio primo Arauſicano can. 2. hæc habentur: *Hæreticos in mortis diſcrimine poſitos, ſi Catholici eſſe deſiderant, ſi deſit Epiſcopus,*

pus, à Preſbyteris cum chriſmate & benedictione conſignare placet. In Arelaten. can. 17. hæc alia: *Bonoſiacos, quos ſicut Arianos baptizari in Trinitate manifeſtum eſt, cum chriſmate, & manus impoſitione in Eccleſia recipi ſufficit.* Hoc inſuper aliquot oſtendunt exempla. Hæreſim Arianam ejeraverat Clodovæi ſoror Lauthildes, & de ea Gregor. Turonen. lib. 2. hiſt. Franc. cap. 13. ita ſcribit: *Confeſſa æqualem Filium Patri, & Spiritum Sanctum, chriſmata eſt*; & de Gundebaldo Burgundionum Rege ſic refert cap. 34. *Cum autem cognoviſſet, aſſertiones Hæreticorum nihil eſſe ..... clam, ut chriſmaretur, expetiit.* Idem factum eſſe cum Rechared o Rege, ac gente ſibi ſubjecta, legitur in Concilio tertio Toletano.

Reſpondent alii brevius, dicendo, Arianos receptos eſſe per manus impoſitionem non confirmatoriam, ſed reconciliatoriam, ideſt per pœnitentiæ Sacramentum, unde argumentum illud non eſt ad rem, de qua modo ſermo noſter.

93. Uſque modo ea propoſita ſunt, quæ etiam à Catholicis viris opponi poterant, nunc Hæreticorum argumenta non ſunt prætereunda.

Primo argumentatur Kemnitius aliquas Patrum ſententias proferendo, quibus probari videtur, vel unctionem iſtam exordium deduxiſſe ex Teſtamento veteri, nequaquam à Chriſto fuiſſe inſtitutam, & hoc ex Tertull. in lib. de baptiſmo, vel recenſendam eſſe inter puras cœremonias ab hominibus derivatas, uti ſe habet pedum ablutio, & hoc ex Cypriano in ſerm. de pedum ablutione, vel nullum extare de chriſmatis unctione monumentum, & hoc ex Baſilio.

94. Quantum ad hoc ultimum, in verbo Dei ſcripto nullum reperiri monumentum, fatemur, ſed traditio nobis ſufficit, nec unquam Baſilius oppoſitum docuit, ſed noſtram docuit veritatem, ut apparet in lib. de Spiritu Sancto cap. 22. Quantum verò ſpectat ad Tertullianum, & Cyprianum, quam falſum ſit, conſtat ex iis, quæ juxta hoſce Patres à nobis producta ſunt; dixerunt quidem ambo in veteri teſtamento fuiſſe confirmationis figuras, ſed nunquid in eo non fuerunt figuræ baptiſmi & Euchariſtiæ? Quin tamen plura dicamus, totum corruet, cum à Chriſto inſtitutam fuiſſe declarabimus.

95. Secundo argumentatur Brentius dicens: Chriſmatis ritum ab Ethnicis derivaſſe, iſti enim athletas ungebant, tum etiam ex lege Moſaica deſumptum eſſe, hocque oſtendit Dionyſius Areopagita; at ſi res ita eſt, omnino evitandus, legitur enim Deuter. 12. *Cave, ne imiteris gentes, & requiras cæremonias earum.* Præterea. Chriſmatis uſus ad hujus mundi pertinet elementa, ac Judaicarum cœremoniarum imitatio eſt; quo pacto igitur ſervatur illud præceptum Pauli ad Coloſs. 2. *Si mortui eſtis cum Chriſto, ab elementis hujus mundi, quid adhuc his detinemini?*

96. Hæc, & alia Hæreticorum ſimilia, inania ſunt ac ridicula; Quid, Dionyſium proferunt, cum de chriſmatis unctione tam alte ſenſerit, ſicut à nobis dictum fuit? habuerunt quidem Hebræi hujus figuram, non tamen veritatem, atque ab athletis, qui ungebantur, non cultus deſumptus eſt, non cœremonia, ſed tantum quædam ſimilitudo ad Sacramenti effectum ſignificandum; Quemadmodum enim olim ungebantur athletæ, ut in corporali certamine robur acquirerent, ac victores remanerent, ita unguntur Chriſtiani, ut in ſpirituali lucta virtutem comparent, & adverſus Diaboli aliorumque hoſtium inſidias, & impulſus fortiter ſtrenueque contendant; quo dicendi modo Sancti Patres frequenter utuntur.

AR-

ARTICULUS VII.

Utrum præter chriſmatis unctionem etiam manus impoſitio ſit materia proxima Confirmationis.

97. SEntiendum eſt affirmative. Prob. Manus impoſitio cenſenda eſt materia proxima confirmationis, ſi abſque manuum impoſitione nunquam collata eſt confirmatio, ſed abſque manuum impoſitione nunquam collata eſt confirmatio; ergo. Ut omnibus compertum eſt, argumentum hoc poſtulat, ut omnia Eccleſiæ ſæcula percurramus.

Et primo naſcente Eccleſia quo pacto confirmationis Sacramentum perfecerint Apoſtoli, ſatis expreſſum legimus in actis Apoſtolorum cap. 8. *Tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum Sanctum*; & cap. 19. *Cum impoſuiſſet illis manus Paulus, venit Spiritus Sanctus*. In hoc loco ſermonem eſſe de vero Sacramento, & non ſolum de re Sacramenti aſſerendum eſt, aliter per Apoſtolos Sacramentum confirmationis collatum eſſe, nullo modo ex ſcriptura poterit oſtendi, & Theologi Catholici oppoſitum opinantes adverſus Novatores rem noſtram non mediocriter infirmant, imo & Patrum locutionibus adverſantur, qui ab Apoſtolis confirmationem per impoſitionem manus diſpenſatam eſſe unanimi calamo ad nos demandarunt; ut ex dicendis ſtatim conſtabit.

98. Pro ſecundo ſeculo habemus Irenæum lib. 4. adverſus hæreſ. cap. 38. dicentem: *Apoſtolos per manus impoſitionem dediſſe Spiritum Sanctum*. Tertullianum alibi laudatum lib. de Reſurrect. carnis cap. 8. *Caro manus impoſitione adumbratur, ut & anima ſpiritu illuminetur*. Pro tertio occurrit S. Cyprian. epiſt. 73. ad Jubajan. qui ritum, quo ſuo tempore conferebatur confirmatio, comparat ritui, quo conferebatur ab Apoſtolis, dicens: *Tantummodo quod deerat id à Petro & Joanne factum eſt, ut oratione pro eis habita, & manu impoſita, invocaretur & infunderetur ſuper eos Spiritus Sanctus; Quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Eccleſia baptizantur, Præpoſitis Eccleſiæ offerantur, & per noſtram orationem, ac manus impoſitionem Spiritum Sanctum conſequantur, ac ſignaculo Dominico conſummentur*. Pro quarto ſæculo non deeſt Concilium Eliberitanum, quod can. 38. ſtatuit, baptizatum in caſu neceſſitatis: *Si ſupervixerit, ad Epiſcopum perducendum eſſe, ut per manus impoſitionem perfici poſſit*. Pro quinto ſufficiant Hieronymus & Auguſtinus. Primus in dialogo adverſus Luciferianos inquit: *Hæc eſt conſuetudo Eccleſiarum, ut ad eos, qui longe in minoribus urbibus per Presbyteros, & Diaconos baptizati ſunt, Epiſcopus ad invocationem Spiritus Sancti manum impoſiturus excurrat*. Secundus vero pariter de tempore Apoſtolorum ac ſuo loquens lib. 15. de Trinit. ait: *Neque enim aliquis diſcipulorum ejus dedit Spiritum Sanctum, orabant quippe ut veniret in eos, quibus manum imponebant, non ipſi eum dabant; Quem morem in ſuis Præpoſitis etiam nunc ſervat Eccleſia*. Pro aliis ſæculis lege Gregorium Magnum in Sacramentario ita ſcribentem de Epiſcopo: *Levata manu ſuper capita omnium dicit*: *Omnipotens & ſempiterne Deus .... emitte in eis ſeptiformem Spiritum Sanctum, &c.* Concilium Hiſpalenſe lib. 2. de officiis hæc habens cap. 26. *Poſt baptiſmum per Epiſcopos datur Spiritus Sanctus cum manuum impoſitione*. Walafridum Strabonem lib. de rebus Eccleſiaſticis, Rabanum Maurum lib. de inſtitutione Cleric. Alcuinum lib. de Eccleſiaſt. officiis, omnes denique uſque ad hæc noſtra tempora.

99. Hi omnes Latini ſunt; ſed nunquid Græci deeſſent? Minime quidem, cum & in promptu ſint Firmilianus, Chryſoſt. Theodoret. Gennadius, alii cen-

centnm, quamvis pro omnibus ſufficere poſſet Concilium Nicænum primum can. 8. alibi à nobis laudatum; Porro Firmilianus in epiſt. 75. inter illas Cypriani ait: *Quando omnis poteſtas à gratia in Eccleſia conſtituta ſit, ubi præſident majores natu, qui & baptizandi, & manum imponendi, & ordinandi poſſident poteſtatem, &c.* Chyſoſt. in cap. 8. Act. Apoſt. dicit: *Hoc nunc facere Epiſcopos, quod Apoſtoli manuum impoſitione & oratione ſuper Neophytos faciebant.* Theodoret. in cap. 6. epiſt. ad Hebr. ſcribit: *Baptizatos per manum ſacerdotalem accipere Spiritum Sanctum.* Gennadius denique poſt recenſitam pœnitentiam, fidem, ac per baptiſmum ablutionem, inquit: *Baptizati ſeipſos ſubiiciant impoſitioni manuum ad participationem Spiritus.*

100. Hæc pauca diximus, ut occurreremus illis, qui in nos ſic argumentantur. Quod eſt pars eſſentialis Sacramenti adhiberi debet tam in Eccleſia Græca, quam in Latina, atqui in Eccleſia Græca confirmatio traditur ſine manus impoſitione, ut patet ex antiquiſſimis, & hodiernis Græcorum Euchologiis, in quibus deſcribitur ritus confirmationis, & chriſmationis tantum fit mentio, ergo. Etenim abſolute negamus minorem, & ſi ad Euchologia mentem vertamus unum extat teſte Juvenin in Francorum Regis Bibliotheca, alterum vero dictum Barberinum, quod commemorat Morinus lib. 9. de adminiſtratione Sacramenti pœnitentiæ c. 9. & in utroque deſcribitur ritus Græcorum, & manus impoſitio non prætermittitur. Ad ſummum aliquibus Theologis viſum eſt, Græcos poſterioribus ſæculis non ſeparare manus impoſitionem ab actione, qua ungitur confirmandus, in quo inter Græcos & Latinos accidentaria tantum diverſitas admitteretur, proinde contra aſſertionem noſtram nihil concluditur, non enim dicimus manus impoſitionem ſeparatam eſſentialem eſſe, ſed abſolute loquimur de manus impoſitione ſive hoc, ſive alio modo contingat.

101. Validius videtur proponi argumentum, ſi ſequentia perpendamus. 1. Innocentium III. cap. *Cum veniſſet. De ſacra unctione* dicere: *Per frontis chriſmationem deſignari manus Apoſtolorum impoſitionem*, ex quo ſequi videtur, quod Apoſtolorum tempore manus impoſitio adhibebatur, nunc vero chriſmatio. 2. Eugenium IV. inſtructione Armenis data ſic loqui: *Loco autem illius manus impoſitionis datur in Eccleſia confirmatio*; ergò manus impoſitio non eſt modo eſſentialis. 3. Synodum Moguntinam cap. 18. aſſerentem: *Hoc Sacramentum ab initio ſola manuum impoſitione exhibitum, mox ſub ipſis temporibus Apoſtolorum ex eorumdem traditione adhibita chriſmatis unctione cœpiſſe conferri.* 4. Orthodoxam confeſſionem Eccleſiæ Orientalis anni 1662. in qua hæc leguntur. Hæc vero unguenti inunctio, aut potius hæc unctionis ejus efficacia, ævo Apoſtolorum per impoſitionem manuum fiebat; Poſtmodum in unctione unguenti fieri cœpit.

102. Prima tamen duo nihil probant, non enim illa ſic dicta ſunt, ut manus impoſitio ſit excludenda, ac deſierit, ſed tantum innuitur, Sacramentum illud, quod Apoſtolorum tempore appellabatur nomine impoſitionis manus, poſtea dictum eſſe frontis chriſmationem, ut dicit Innocentius, & confirmationem, ut loquitur Eugenius; Unde merito inquit Bellarmiuus lib. 2. de Sacram. confirm. cap. 9. diſtingui in illis locis non ritum à ritu, ſed modum loquendi à modo loquendi, & Concilium Senonen. in Decreto de Sacram. confirmationis ait: *Nunc impoſitionis manuum, nunc confirmationis appellatum eſt Sacramentum.* Synodo Moguntinæ jam data reſponſio eſt in anteced. num. 90. Cœterum in Moguntina celebrata an. 1569. leguntur hæc verba: *Ea vero, ut erant à Chriſto promiſſa ipſis Apoſtolis in die Pentecoſtes exhibita, & ab*

ab eiſdem per manus impoſitionem in alios transfundi cœpta, actus ipſorum ſatis teſtantur. Unde Eccleſia Catholica Spiritum Sanctum per manus Epiſcoporum fidelibus tradendi normam accepit. Non ſentit igitur manuum impoſitionem deſiiſſe; & in Concilio Rhemenſi an. 1583. habetur: *Quamvis quiſque per baptiſmum cathalogo fidelium ſit adſcriptus; ad Diaboli tamen, carnis, mundique tentationes perferendas ac ſuperandas nonniſi per impoſitionem manuum Epiſcopi plus valoris, de gratiæ recipit*.

103. Quantum ſpectat ad illam Orientalis Eccleſiæ fidei confeſſionem, per unguenti unctionem non excluditur manus impoſitio, ſaltem illa, de qua à nobis dictum eſt num. 100.

Cum vero in Eccleſia Latina Epiſcopus bis manum imponat confirmando, prius quidem cum extenſis verſus eum manibus, precibus ſuis invocat Spiritum Sanctum, poſtea vero cum illius frontem chriſmate delinit, inquiri poteſt, quænam hujuſmodi impoſitio ſit de eſſentia Sacramenti. Reſpondeo eſſe hanc poſteriorem, ſic enim in Eccleſia Græca ac Latina magis eadem materia ſervatur. Dici tamen poteſt, eſſe de eſſentia unam vel alteram, cum ſic ſatis inſtitutio Chriſti, & Apoſtolorum traditio ſervetur.

104. Videtur quidem ridiculum Sirmondo, unctionem chriſmatis, quia fit per manum, appellari manus impoſitionem; At perpendat quod ait Rupertus lib. 5. de Divinis Officiis cap. 16. ubi aſſerit, Sylveſtrum Papam conſtituiſſe, ut baptizatum liniat Presbyter chriſmate propter occaſionem tranſitus mortis, ne ſine manus impoſitione migret; necnon quod Hugo Victor. lib. 2. de Sacram. p. 7. cap. 3. ſcribit, ſcilicet, ut baptizatum Presbyter in vertice chriſmate liniat, ne ſine manus impoſitione ab hac vita ipſum migrare contingat, & ſtatim percipiet, quod ſicut unctio verticalis in baptiſmo manus impoſitio dicitur, ita & unctio in fronte in confirmatione manus impoſitio poteſt appellari.

105. Quæri præterea poteſt, an ſit neceſſaria utriuſque manus impoſitio, vel una tantum ſufficiat.

Reſpondeo, unius tantum manus impoſitionem ſufficere. Ratio eſt, quia apud Concilia & Patres modo dicitur manuum, modo manus impoſitio, ut patet ex eorum ſententiis à nobis relatis.

ARTICULUS VIII.

Qualis & quanta eſſe debeat unctio, ut ſit materia proxima.

106. Ad unctionem ex chriſmate revertimur, ut omnia, quæ ad materiam proximam pertinent, exponamus.

Dico primo unctionem hanc in fronte faciendam eſſe.

Hujus aſſertionis momenta deſumuntur ex iis, quæ frequenter in antecedentibus attulimus, prohibentur enim ſimplices Sacerdotes ab illa unctione, quæ in fronte fit, & dicitur ſolis Epiſcopis convenire, ſignificatur igitur unctionem confirmatoriam in fronte eſſe faciendam, & quamvis aliquis reponere poſſet, ex hoc probari neceſſitatem præcepti, non Sacramenti, cum Patres hoc expreſſe non dixerint, attamen nonniſi temere id reponeret, cum licet Patres uſi non ſint hoc termino de eſſentia, attamen ex æquali ipſorum locutione, & ex perpetua praxi liniendi in fronte confirmandos, ſatis apte infertur, talem unctionem eſſe unam ex conditionibus eſſentialibus. Cur autem in fronte fieri debeat, rationem affert Concilium Florentinum dicens: *Ideo in fronte, ubi verecundiæ ſedes eſt, confirmandus inungitur, ne Chriſti nomen confiteri erubeſcat, & præcipue Crucem ejus, quæ Judæis eſt ſcandalum, gentibus autem ſtultitia, &c.* quod multo antea tradiderat Auguſtinus in Pſalm. 141. inquiens: *Quæ-*

Digitized by Google

Quædam Sacramenta aliter, atque aliter accipimus, quædam ore, quædam per totum corpus; quia vero in fronte erubeſcitur, qui dixit: Qui erubuerit me coram hominibus, erubeſcam & ego eum coram Patre meo, &c. quibus verbis ſignificat, aliquod eſſe Sacramentum, quod datur in fronte, & hoc aliud eſſe nequit, quam Sacramentum confirmationis.

107. Neque dicas, ex hoc nequaquam probari id ad ſubſtantiam Sacramenti ſpectare, ſiquidem apud orientales non ſolum frons ungebatur, ſed etiam aures, oculi, nares, ac reliquæ corporis partes, quod deſcribitur in euchologio, quo multis ab hinc ſæculis utuntur græci, hiſce verbis. *Hac recitata oratione ungit baptizatum ſancto unguento, Signum Crucis faciens in fronte, oculis, naribus, ore, auribus, pectore, manibus, & pedibus dicens, ſignaculum doni Spiritus Sancti. Amen*; & dictum etiam fuit à Cyrillo Jeroſolymit. catech. 3. ſic ſcribente; *Et primum quidem fronti illinitur, ut eum abſtergat à vobis pudorem, quem primus homo tranſgreſſor perpetuo circumferebat, ſimulque efficiat, ut poſſitis vultu non velato gloriam Domini intueri, deinde vero aures unguntur, poſtea nares &c.* nec tamen concludi poteſt, unctionem hoc modo peractam eſſe de ſubſtantia Sacramenti, ergo à pari.

108. Ne inquam hoc dicas; etenim unctio in fronte ſervata ſemper fuit tam in Eccleſia græca quam in latina, in qua unctio aliarum partium ſervata non fuit, quod unum ſufficit, ut dicamus, illam tantum eſſentialem eſſe, nequaquam iſtam, ſed tantummodo ſpectaſſe ad cœremoniam illius Eccleſiæ, ita ut illa in fronte primaria ſit, ac ſubſtantialis, reliquæ vero ſecundariæ, acceſſoriæ, atque accidentariæ; ſicut etiam in Sacramento extremæ unctionis plures unctiones adhibentur, nec tamen omnes ſunt eſſentiales, aliqua tamen eſſentialis eſt, ideo &c.

109. Dico ſecundo unctionem in fronte faciendam eſſe in crucis figura.

Hoc ſuadetur in primis ex ratione poſita num. 105. ideſt, Presbyteris prohiberi Neophytos in fronte ſignare, quod ſignum crucis fuiſſe, in dubium revocari non poteſt. Præter vero ibi dicta nonnulla alia ſubdemus. Unum illud eſt, quod ait Stephanus Papa in cap. *Numquid* de Conſecr. diſ. 5. nempe, *Omnia chriſmata Sacerdotalis Miniſterii crucis figura perficiuntur*. Alterum, quod Conſtantinus Imperator ſignificans modum, quo fuit in fide confirmatus, ait in ſuo edicto. *Septiformis gratiæ Sancti Spiritus conſignationem adhibuit beati chriſmatis unctione, & vexillum Sanctæ Crucis in mea fronte linivit*. Sed præcipuum argumentum pro hac re deſumitur ex verbis formæ, quæ ſunt iſta, *ſigno te ſigno crucis, & confirmo te chriſmate ſalutis*, quæ vera non eſſent, niſi unctio in crucis figura eſſet peragenda. Et ſi dicas, ablutio in baptiſmate neceſſario fieri non debet adinſtar crucis, ergo neque unctio in confirmatione, ſcias primo in hiſce rebus paritates nequaquam valere: Secundo diſparitatem colligi, quia in forma baptiſmi nulla fit crucis mentio, fit autem in forma confirmationis. Tertio quia crucis ſignaculum datur ijs, qui apti ſunt ad militiam, & pugnandum pro Chriſto, non vero parvulis, qui per baptiſmum conſtituuntur Chriſti Servi, non adhuc milites.

110. Dico tertio. Hanc unctionem in ea chriſmatis quantitate eſſe peragendam, quæ ſatis eſt ad crucis ſignum imprimendum. Aſſertio manifeſta eſt, quia hoc pacto vera fiunt verba formæ; quare ſicut modica aqua, quæ defluit ſufficit ad baptiſmum, ita modicum chriſma ſufficit ad confirmationem. Brevius; ea quantitas requiritur, quæ denominare poteſt hominem unctum, ſicut illa quantitas aquæ in baptiſmo requiritur, quæ denominare poteſt hominem in ſui parte ablutum.

Quæ-

111. Quæres poſtremo. An unctio fieri debeat immediate per manum Epiſcopi, & quidem dexteræ pollice.

Quantum ad primum; certum eſt neceſſitate præcepti faciendam eſſe immediate, cum agatur de re gravi, & ita ab Eccleſia in ritu, quem ſemper ſervavit, tradendi hoc Sacramentum, præſcriptum ſit. Apparet tamen, non eſſe neceſſitatem Sacramenti; nam adhuc eſſet eadem materia, adhuc idem miniſter, ſicut enim vere ſcribit, qui per calamum ſcribit, ita vere ungit, qui per aliquod Inſtrumentum ungit; & ſi dicas ulterius requiri manuum impoſitionem, hæc mediate non deeſſet, probandum autem eſt neceſſariam eſſe immediatam; Sicut autem dicitur quis violentas manus admovere in clericum, ſi admoveantur medio baculo, ut habetur in Canone; *Si quis ſuadente &c.* ita dicitur Epiſcopus manus imponere confirmando, ſi medio aliquo inſtrumento, imponat: Hoc alia poteſt oſtendi paritate; Extrema unctio valide conferri poteſt medio aliquo inſtrumento, & tempore peſtis eam licitam exiſtimant Chapeaville de Sacram. Extremæ Unctionis quæſt.34. Silvius in 3.par.qu.32. art.3., Diana par.3. tract.4. de Sacram. reſolut.167. ergo à pari confirmatio &c.

112. Probabilior tamen, & communior ſententia, quam tradunt Suarez, Laiman, Reginal., Filliut., Nugnes, aſſerit, faciendam eſſe immediate per manum Epiſcopi, & ratio deſumitur ex neceſſaria ac eſſentiali manuum impoſitione, quæ cum pertineat ad eſſentiam, eſſe debet immediate ac formaliter, nec ſufficit, ſi fiat per aliquod mediatum, & æquivalens: Immediate ac formaliter facta fuit ab Apoſtolis, de quibus ſcriptum eſt, *imponebant illis manus, & accipiebant Spiritum Sanctum*. Ergo & immediate fieri debet ab Epiſcopis Apoſtolorum Succeſſoribus.

113. Neque ſuffragantur ea, quæ in oppoſitum allata ſunt. Non primum; nam ille Canon, *Si quis ſuadente &c.* conditus fuit, ad removendum contemptum, & injuriam à ſtatu clericali, contemptus autem & injuria fit, ſive immediate fiat per manus, ſive mediate, imo major, ſi hoc poſteriori modo; facta fuit autem expreſſa mentio manuum violentarum injectionis, quia plerumque per manus fieri ſolet: Quis tamen ambiget, in illius canonis pœnas incidere, etiam ſi quis pedibus percuteret clericum? Hoc non valet in re noſtra. Non ſecundum; nam pro Sacramento extremæ unctionis dictum tantummodo fuit, *inducant Presbyteros ungentes eos*. unctio autem fit, quamvis mediate fiat, e contrario pro Sacramento confirmationis manus impoſitio tanquam eſſentia ſtatuta eſt; proinde &c.

114. Quantum ad ſecundum, quod inquirebatur.

Dico primo; validum futurum Saeramentum Confirmationis, ſi fieret alio digito vel manus dexteræ, vel ſiniſtræ. Ratio eſt, quia, licet hoc modo fieret, adhuc ſervarentur omnia eſſentialia, materia ſcilicet, forma, miniſter, ac manus impoſitio; nec ullum documentum afferri poteſt quo neceſſario requiratur unctio per manus dexteræ pollicem. Si autem in Pontificali Romano præſcriptum legimus, adhibendum eſſe pollicem manus dexteræ, hoc factum eſt ad majorem decentiam, & commoditatem Epiſcopi, non autem ad neceſſitatem, & idem dico de conſecratione pollicis, quæ fit Epiſcopo, quam ad hunc finem fieri, affirmat Durandus lib.6. *Rationalis* cap.84.

115. Dico ſecundo: Si Epiſcopus abſque aliqua urgente cauſa, & neceſſitate abhiberet alium digitum, quàm pollicem manus dexteræ, peccaret lethaliter, propter rationem adductam ſuperius. *Quantum ad primum*.

QUÆ-

QUÆSTIO II.

De Forma Sacramenti Confirmationis.

116. DEveniendum nunc eſt ad aliud, & præcipuum conſtitutivum intrinſecum hujus Sacramenti, quale eſt forma, de qua nonnulla inveſtigabimus ac reſolvemus; & quia omnes conſentiunt, Sacramentorum formas conſiſtere in verbis juxta illud tritum Auguſtini; *Accedit Verbum ad elementum, & fit Sacramentum*. Ideo primum ſit.

ARTICULUS I.

In quibus verbis conſiſtat forma eſſentialis Confirmationis.

117. QUemadmodum in ſtatuenda confirmationis materia non una fuit Catholicorum opinio, ita etiam in decernenda ejuſdem forma mens una non fuit.

Doctores aſſerentes, materiam proximam partialem eſſe manuum impoſitionem, quæ prævie & ſeparatè fit ab Epiſcopo, inquiunt, etiam orationem, quæ tunc ab Epiſcopo profertur, ad formam eſſentialem pertinere. Porro oratio apud Græcos ex Goario in Euchologio eſt iſta. Dominum precamur. *Benedictus es Domine Deus omnipotens, qui & nunc recens illuminatum ſervum tuum per aquam, & Spiritum Sanctum, peccatorum ſponte atque etiam indeliberate commiſſorum remiſſione ei conceſſa regenerare voluiſti: ipſe, Dominus Rex omnium benigne, ſignaculum doni ſancti, & omnipotentis, & adorandi tui Spiritus, & Sancti Corporis, & pretioſi ſanguinis Chriſti tui communionem ei largire: In ſanctitate tua cuſtodi illum, in vera fide confirma, à maligno & omnibus ejus aſtutiis erue &c.* Apud latinos vero hiſce verbis in Pontificali Romano refertur. *Omnipotens ſempiterne Deus, qui regenerare dignatus es hos famulos tuos ex aqua & Spiritu Sancto, quique dediſti eis remiſſionem omnium peccatorum, emitte in eos ſeptiformem Spiritum tuum Sanctum paraclitum de cœlis*: In ordine autem Romano, nec non in Sancti Gregorii Sacramentario hæc adduntur: *Spiritum ſapientiæ, & intellectus, Spiritum conſilii, & fortitudinis, Spiritum ſcientiæ, & pietatis, adimple eos Spiritu timoris tui, & conſigna eos ſigno crucis in vitam propitiatus æternam; Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, &c.*

118. Illi, qui docent, ſolam manuum impoſitionem eſſe materiam eſſentialem, unctionem vero ex chriſmate eſſe partem integrantem, formam eſſentialem collocant in illa oratione quam Epiſcopus profert, dum Spiritum Sanctum invocando, manus verſus confirmandos extendit; alia vero *ſigno te ſigno crucis, confirmo te chriſmate ſalutis* ad integritatem accidentalem Sacramenti, & ad effectum ipſius expreſſius ſignificandum pertinere.

119. Alii vero, qui materiam eſſentialem confirmationis aſſignant unctionem, illamque manus impoſitionem, quæ in unctionis actu contingit, formam eſſentialem in iſtis verbis conſtituunt; *ſigno te ſigno crucis, & confirmo te chriſmate ſalutis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*

Horum ſententiam probabiliorem eligimus, atque hanc formam ſufficientem eſſe, Suarez diſp. 33. ſerm. 5. exiſtimat eſſe dogma fidei, præſertim poſt Concilium Florentinum dicens in Armenorum inſtructione. *Forma autem eſt,*

eſt, ſigno te &c. Hoc etiam tradiderunt celebriores Theologi; Scot. in 4. diſ. 7. art. 1. Sot. in 4. diſ. unica art.4. Valent. tom.4. diſp.6. qu.1. puncto 1., & quamvis fidei noſtrę doctrina non ſit ex Doctorum placitis repetenda, ſed ex publicis decretis, ac definitionibus Eccleſiæ; attamen in noſtra re Doctores mox laudati non deſunt, quibus alii non refragantur, & decretum adductum Florentini gratis omnino de forma non eſſentiali intelligitur, & ſi tantum de forma partiali ibi ſermo eſſet, debuiſſet aliam formam partialem aſſignare, quod nequaquam in illo reperitur.

120. Magis etiam aſſertio expoſita placet, quia magis conſona eſt iis, quæ diximus num.103., & quamvis priorem manus impoſitionem tanquam materiam proximam affirmaremus, adhuc orationem illam ad formam pertinere non probaretur, cum in laudatis verbis, quamvis abſoluta ſint, ſatis ipſa contineatur oratio, ut adnotavit Aurelius in orthodoxo adverſus Sirmondi Antirretichum, & poſt Eminentiſſimum Bellarminum plures alii Theologi docuerunt. Dixi *horum ſententiam probabiliorem* eſſe, oppoſitam enim tanquam hæreticam damnare non audeo.

121. Noverint autem hæretici fruſtra, ac temere à nobis expoſci, ut formam iſtam ex Verbo Dei ſcripto oſtendamus, fruſtra inquam, cum ſponte fateamur in Scripturis eam non contineri, aut præſcribi; temere vero, cum, ſicuti in pluribus aliis merito reſpondemus, etiam in hoc puncto ad traditionem confugiamus.

Porro quod noſtra intereſt ſuademus primo ex doctrina Concilii Florentini, quod differens de hujus Sacramenti forma tantum illa verba producit; Secundo: ea ratione probamus, quam affert S. Thomas, & ſic propono. Illa eſt forma eſſentialis alicujus Sacramenti, quæ tali Sacramento dat ſpeciem, atque ab omni alio Sacramento diſtinguit, ſed hujuſmodi forma continetur in præfatis verbis, ergo; Maj. oſtenditur, quia ſicuti forma rei naturalis, tribuit ei ſpeciem, ac diſtinguit, ita forma Sacramenti; Prob. mi. Præcipuum, quod ſpeciem confert Sacramento confirmationis, atque illud diſtinguit, eſt, quod tribuatur robur ſpirituale, atque militiæ Chriſti fidelis adſcribatur, ſed hoc continetur in præfatis verbis, etenim primum habetur in verbis illis, *confirmo te chriſmate ſalutis*, Secundum vero in aliis, *ſigno te ſigno crucis*. Hoc enim ſignum illud eſt, in quo Chriſtus Rex noſter triumphavit expolians principatus, & omnia trahens ad ſe ipſum, unde fit, quod ſicuti milites in pugna corporali ſuorum Ducum inſignia præferunt, ita & Chriſtiani in ſpiritali certamine Chriſti ſui Principis inſignia attollant, ergo. Adduntur autem alia verba, *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti* ad ſignificandam cauſam principalem largientem plenitudinem roboris ſpiritualis, quæ procul dubio eſt tota Trinitas.

122. Hoc porro ita dicimus, ut ſemper fuerit hæc forma neceſſaria, non quidem quantum ad verba, ſed quantum ad ſenſum & verborum ſignificationem, atque ita ſemper ſervatum eſſe, plurima monumenta declarant; & ſi de græcis ſermo ſit, verba iſta, *ſignaculum doni Spiritus Sancti* uſu antiquiſſimo fuiſſe recepta, & omnino neceſſaria ad Sacramenti valorem, demonſtrat Goarius in notis ad Euchologium. Si autem de latinis; in ordine Romano antiquo manuſcripto, cujus mentionem facit Morin. lib.8. de pœniten. cap.16. legitur: *Confirmo te, & conſigno te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. In vetuſtiſſimo Sacramentario Toloſano in officio Sabbati Sancti hæc formula exhibetur. *Pontifex facit crucem de chriſmate cum pollice in ſingulorum frontibus, dicendo: ſignat te Deus ſigillo fidei ſuæ in conſignatione fidei in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Menardus in notis Sacrament. Sancti Gre-

Gregorii duos antiquos codices manuſcriptos refert, in quibus hæc forma traditur: *Confirmo te, & ſigno in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Idem habetur in Pontificali Turonenſis Eccleſiæ, in codice Eccleſiæ Rothomagenſis, & in pluribus aliis, quorum ſeriem exponit Honoratus Tournely.

123. Utrum vero conſimili forma uſi ſint etiam Apoſtoli ita dubium eſt, ſicuti dubitarunt aliqui, an in confirmando adhibuerint chriſmatis unctionem, quare juxta ea, quæ ſuo loco diximus in præc. quæſt. res à nobis eſt ſtatuenda. Quid vero de Patrum ſententiis ac traditione dicendum? Nullum fateor inveniſſe, qui expreſſam hujuſce formæ faciat mentionem, ſed hoc aut mirum eſſe, aut deterrere non debet, cum vel ex pluribus, quæ in variis locis ſcripſerunt, ſatis colligatur, vel quia neque de aliorum Sacramentorum formis ſcripſerunt, cum ſatis Chriſtianis omnibus propter quotidianum uſum notas ſupponerent, vel quia, ut ait Dionyſius cap. ultimo Eccleſiaſticæ Hierarch., non ſunt litteris mandanda verba, quibus in adminiſtratione Sacramentorum utitur Eccleſia; Unde etiam Innocent. I. in epiſt. ad Decentium cap. 3. poſtquam de unctione in confirmatione adhibenda ſermonem habuit, concludit: *Verba autem dicere non poſſum, ne magis prodere videar &c.* Hoc enim ſummopere Patrum cordi fuit, ne fidei noſtræ myſteria evulgarent, neve Gentilium & Judæorum irriſioni, ac prophanationi objicerentur. Unde & ipſe Magiſter Sententiarum lib. 4. diſt. 7. verba formæ non appoſuit, ſed tantum dixit, eſſe illa verba, quæ ab Epiſcopo proferuntur.

124. Videtur aliqua difficultas in eo, quod legitur in edicto Conſtantini, ubi dicitur Sylveſter hanc formam adhibuiſſe. *Signat te Deus ſigillo fidei ſuæ in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Tum quod ait Ambroſius lib. 2. de Sacrament. cap. ultimo, ubi hanc exponit: *Deus, qui te regeneravit omnipotens, conceſſitque tibi peccata tua, ipſe te ungat in vitam æternam.* Et tandem quod referunt Alcuinus, & Amalarius, ſcilicet, Romanum Pontificem baptizatos confirmaturum orationem præmittere, per quam invocat Spiritum Sanctum, eaque completa eos ſignare chriſmate ad formam crucis, & dicere: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*

125. Verum nec Conſtantinus ibi recenſet omnia, quæ Sylveſter dixit, aut fecit, ſed tantum brevibus verbis ea refert; nec Ambroſius loquitur de hujus Sacramenti forma, ſed tantum de cœremoniali unctione, quæ fit à Preſbytero in baptiſmo; Alii denique, vel non omnia eſſentialia produxerunt, vel tantum de accidentaria ſolemnitate locuti ſunt.

126. Contra hæc omnia opponit quidam, verba, de quibus agitur, non fuiſſe quondam eſſentialem formam confirmationis, ergo neque eſſe hiſce temporibus, cum Sacramentorum formæ invariabiles eſſe debeant. Sed jam reſponſum fuit, quod licet non fuerint adhibita ea verba quantum ad ſonum materialem, fuiſſe tamen quantum ad ſignificationem, & æquivalentiam; Quod vero à nobis dictum fuit de Eugenii decreto, reponit, hoc non eſſe intelligendum de forma eſſentiali, ſed integrali, atque eo loci Armenos tantum ea docuiſſe, quæ ad diſciplinam pertinent, alioquin nunc irrita eſſet confirmatio, quæ à græcis traditur, cum verbis illis non tradatur. Hoc exponit etiam ab Alexandro diſſert. 10. in hiſtoriam Eccleſiaſt. ſæculi 2. ubi hæc habet. *Cum tanta ſit quoad verba, quæ chriſmationem comitantur in antiquis Ritualibus, & Eccleſiaſticis monumentis varietas, apparet, hanc formam conſigno te ſigno crucis &c. accidentariam eſſe Confirmationi, & ab Eugenio IV. Armenis poſt Concilium Florentinum traditam, non quod huic Sacramento eſſentialis æſtimaretur, ſed quod* Ro-

Romanæ Eccleſiæ ſolemne eſſet illa verba proferre poſt orationem invocantem ſeptiformem Spiritum Sanctum ſuper confirmandos; *Volebat autem Eugenius Armenos ad Eccleſię Romanę ritum traducere.*

127. Qui ita loquuntur, arbitrio ſuo loquuntur. Si non de eſſentiali, ſed accidentaria forma ad ſolam diſciplinam ſpectante ibi ſermonem habet Eugenius, dicant etiam neceſſe eſt, quod, cum differit de materia, de hac ſolum accidentaria locutus ſit, & ita oleum, & unctio non erit materia hujus Sacramenti eſſentialis, quod tamen Juenin ſic in nos argumentans negat; dicant inſuper, ubi in alio loco de eſſentiali forma ſermonem habuerit Summus Pontifex; Imperfectus fuiſſet ac deordinatus Præceptor, ſi tantum accidentaria docuiſſet, omiſiſſet vero ſubſtantialia. Falſum autem omnino eſt, ea verba, ſaltem æquivalenter à græcis non adhiberi, nam ut dictum fuit, inquiunt, *ſignaculum doni Spiritus Sancti &c.* Natali ab Alexandro non eſt cur ampliora dicamus; Jam enim oſtendimus, variationem illam accidentariam eſſe.

128. Aliqua modo dicenda ſunt de illa oratione, quæ unctionem præcedit, atque manuum impoſitioni correſpondet; Jam præmiſi, hanc tanquam partialem formam recenſeri in illorum ſententia, qui aſſerunt illam manuum impoſitionem eſſe inadæquatam materiam, quare juxta ſua principia unuſquiſque habeat reſolutionem. Atque admittendo opinionem illam adduci poſſunt nonnulla momenta tum ex Scriptura, tum ex Patribus; Scriptura dicit Act.8. *Oraverunt pro ipſis, ut acciperent Spiritum Sanctum .... Tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum Sanctum.* Ex Patribus vero Tertullianus lib. de Bapt. cap. 8. *Dehinc manus imponitur, per benedictionem advocans & invitans Spiritum Sanctum.* Cypr. epiſt. 73. ad Jubajan. *Qui in Eccleſia baptizantur Præpoſitis Eccleſiæ offeruntur, ut per noſtram orationem, ac manus impoſitionem Spiritum Sanctum conſequantur.* Eodem modo loquuntur alii.

129. Adduci inquam poſſunt, utrum tamen ſatis probent, mihi nequaquam apparet. Si enim ex illo Act. 8. quidpiam deduci poſſet, cum oratio præcederet manus impoſitionem, jam forma in Sacramento præcederet materiam; quod inauditum mihi eſt; Orationes igitur illæ præcedentes ſe habent tanquam quædam præambula, & diſpoſitiones ex opere operantis meritoriæ, ut Spiritus Sancti adveniat plenitudo, non vero tanquam aliquid eſſentiale, & ita juxta priorem modum explica etiam Sanctos Patres, qui orationis meminerunt, aut ſi vis orationem ad formam ſpectare dicas, in verbis à nobis aſſignatis: Signo te ſigno crucis, confirmo &c. orationem includi, ut dictum eſt num. 119. ex Aurelio, & Bellarmino; Atque hic adnotandum cenſeo; Formam Sacramentorum eſſe non poſſe deprecativam tantum, ſed eſſe debere vel per modum indicativi, vel imperativi, ut efficacia Sacramenti ex opere operato denotetur. Unde & latini in baptiſmo dicunt; *Ego te baptizo &c.* Græci autem, *Baptizetur ſervus &c.* & eodem modo dico de forma confirmationis. Quod ſi reponas. Formam in extrema unctione eſſe adinſtar deprecationis; ſuo loco reſponſionem leges.

130. Illud etiam reponere ſolent, quod ait Auguſt. lib. 15. de Trinit. c. 4. *Neque enim aliquis diſcipulorum ejus dedit Spiritum Sanctum*; *Orabant quippe ut veniret in eos, quibus manum imponebant, non ipſi eum dabant. Quem morem in ſuis Præpoſitis etiam nunc ſervat Eccleſia. Nos accipere quidem hoc donum poſſumus pro modulo noſtro, effundere autem ſuper alios non utique poſſumus, ſed ut hoc fiat, Deum invocamus* ex quo inferunt, orationem ſpectare ad formam, &c.

131. Ratiocinium hoc nullo pacto placet; etenim Apoſtolos dediſſe, & quotidie Miniſtros in Sacramentis Spiritum

ritum Sanctum conferre, dubitat nemo, & à nobis dictum eſt in quæſtionibus de Sacram. in genere; Ideo ubicumque vel alii Patres, vel Auguſtinus aſſerunt, diſcipulos Spiritum Sanctum non dediſſe, intelligendi ſunt de diſcipulis tanquam cauſa principali, non adinſtar miniſterii; imo ex laudato Auguſtini teſtimonio, ni fallor, invicte ſic argumentor; O ratio non dat Spiritum Sanctum, ſed ut detur, imperat, ergo oratio non poteſt eſſe forma alicujus Sacramenti, conſequentiam probo. Forma Sacramenti una ſimul cum materia eſt ipſum Sacramentum, ſed ad Sacramentum pertinet dare Spiritum Sanctum, ſicuti gratiam, ergo etiam hoc pertinet ad formam, ergo ſi oratio non dat Spiritum Sanctum, ſed &c. infertur &c. De ordinatione tamen diſpar erit ratio.

ARTICULUS II.

Utrum expreſſa Trinitatis invocatio ſit eſſentialiter requiſita in forma Confirmationis.

132. Unum ex argumentis, quo Doctores illi, qui negant, verba à nobis ſuperius aſſignata eſſe formam Sacramenti confirmationis, eſt, quia noſtram opinionem ſuſtinentes non conveniant, quinam ex terminis, ex quibus illa forma conſtat, abſolute ac ſub Sacramenti periculo requirantur. Illatio hæc ſatis infirme deducitur; Non enim latet, Theologos non convenire in aſſignandis verbis illis, quibus conſtat forma ſecundę conſecrationis in Sacramento Euchariſtiæ, & tamen illam collocant in illis. *Hic eſt calix ſanguinis mei, qui &c.* & dividuntur tantummodo in ſtatuendis verbis neceſſariis neceſſitate præcepti, & neceſſariis neceſſitate Sacramenti.

133. Exiſtimo, invocationem Sanctiſſimæ Trinitatis neceſſariam eſſe neceſſitate Sacramenti, quæ ſententia communiſſima eſt apud Theologos uno vel altero dempto, inter quos Amicus.

Id primo colligo, quia ubicumque de hujuſmodi forma ſit ſermo, nunquam Sanctiſſima Trinitas omittitur, ut conſtat ex iis, quæ adnotavimus num. 122. Secundo evinco ex Concilio Florentino, Catechiſmo, & Pontificali Romano. Tertio etiam oſtendo ratione. Etenim confirmatio eſt Sacramentum, quo tribuitur robur ſpirituale, quo ſtabilitur fides in corde, & ejus ſit ore libera conſtanſque profeſſio, ergo ſicuti in baptiſmo, per quod fides infunditur, & eſſe incipit in baptizato, eſt neceſſaria Trinitatis invocatio, ita etiam in confirmatione; atque idem probatur, ſi dicamus, confirmationem juxta Patres & Concilia eſſe baptiſmi perfectionem, proinde in utroque Sacramento Trinitatem eſſe invocandam, tanquam illam, quæ eſt cauſa principalis, fidem in baptiſmo infundens, atque eam in confirmatione ſtabiliens, & corroborans.

134. Neque dicas, in Sacramento pœnitentiæ adhiberi hanc formam, *Ego te abſolvo à peccatis tuis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti* nec tamen hæc poſteriora verba neceſſaria eſſe neceſſitate Sacramenti, ſiquidem ex momentis ſuperius expoſitis diſpar ratio manifeſta eſt, cum id neque in Patribus, neque in aliquo Concilio reperiatur, imo ab omnibus tradatur oppoſitum, & Sacramentum pœnitentiæ inſtitutum ſit ad relaxanda peccata, non vero ad fidem firme tenendam, ſicuti eſt confirmatio.

135. Quod validius nobis opponi poſſe videtur, eſt, Græcos in conferenda confirmatione Trinitatem nequaquam invocare, & tamen verum conferunt Sacramentum, neque unquam Eccleſia latina eorumdem formam aut reprehendit, aut reprobavit; ſed quod eſſentiale eſt in Sacramentis utrique Eccleſiæ debet eſſe commune, ergo Trinitatis invocatio nequaquam eſſentialis eſt dijudicanda. Hoc eſt præcipuum, imo unicum adverſantis opinionis fundamentum.

Pro-

136. Propter hoc arbitror, neceſſario quidem neceſſitate Sacramenti invocandam eſſe Trinitatem, non tamen totam expreſſe, & ſic ſufficere, quod in forma Græcorum invocetur Spiritus Sanctus, cui confirmationis effectus appropriatur. Quare autem in baptiſmo tota Trinitas ſit expreſsè nominanda, ideo eſt, quia homo per baptiſmum primo renaſcitur ad fidem, & idcirco ipſi explicite proponi debet ut credendum principale myſterium, quale eſt Trinitatis, per cujus explicitam profeſſionem ad Religionem Chriſtianam intelligitur admiſſus. E contra in confirmatione jam ad fidem renatus ſupponitur, nec amplius neceſſaria eſt Divinarum Perſonarum expreſſa profeſſio.

137. Parum etiam, ut verum fatear, placet id, quod à Doctoribus affertur, nempe ideo invocandam eſſe Trinitatem, quia eſt cauſa principalis perfectionis, ac ſpiritualis roboris, quod in Sacramento confertur; Videtur enim ex hoc probari, etiam in aliorum Sacramentorum forma invocandam eſſe Trinitatem, quia pari modo Trinitas eſt cauſa principalis illius gratiæ, quæ per ipſa obtinetur, & ſic v. g. in Sacramento pœnitentiæ eſt principalis cauſa remiſſionis peccatorum.

ARTICULUS III.

Utrum omnia alia verba: Signo te ſigno Crucis, confirmo te chriſmate ſalutis, ſint eſſentialia.

138. Supereſt, ut brevi calamo etiam alia verba conſideremus, ut quantum opus eſt, rem totam pertractemus, ac reſolvamus.

Communior Theologorum ſententia affirmat, omnia illa verba, aut æquivalentia eſſentialia eſſe. Ita Coninc., Averſa, Suarez, qui citat S. Th. hic, Scot. quæſt. unica, Bonavent. quæſt. 4. Alenſ. 4. par. quæſt. 24. mem. 2. art. 2. §. 2. &c. Fundamentum primum deſumitur ex verbis Pauli 2. ad Corint. 1. dicentis: *Qui confirmat nos, & qui unxit nos Deus, qui & ſignavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus noſtris.* Unde Ambroſ. lib. de iis, qui initiantur cap. 7. inquit: *Accepiſti ſignaculum ſpiritale, ſignavit te Deus Pater, confirmavit te Chriſtus*; & lib. 1. de Spir. Sanct. cap. 6. *Unxit nos Deus, & ſignavit nos*. Et Theodoret. in laudata verba Apoſt. ait: *Ipſe nos unxit, & ſanctiſſimi Spiritus ſignaculo dignos duxit*. Clarius vero Anſelm. ibidem dicit: *Signavit nos ſigno Crucis, quod noſtris frontibus impoſuit, & dedit pignus Spiritus, quando per impoſitionem manus accepimus Spiritum Sanctum.*

139. Secundo id oſtendunt ratione. Non eſt omittendum verbum illud *ſigno*, vel *conſigno*, nam ſic explicatur actio Miniſtri, & quia ex vi verbi non ſignificatur ſignum Crucis, neceſſe eſt etiam exprimantur illa verba *ſigno Crucis*; non eſt omittendum verbum illud, *& confirmo*; nam eo omiſſo non ſignificaretur materia hujus Sacramenti remota; Ex alia parte non ſufficiunt iſta, *confirmo te chriſmate ſalutis*, quia per ea non ſignificatur expreſſe ſignum Crucis; Pariter ſi quis diceret, *confirmo te ſigno Crucis, & chriſmate ſalutis* ſignificaretur tantum ſignnm Crucis, ut res quædam, non tamen actio Miniſtri, & ideo, inquiunt, quodcumque ex illis verbis prætermittatur, ſenſus integer formæ non remanet.

140. Contrarium tamen mihi probabilius apparet; atque ex eo invictum argumentum deduco, quod in forma Græcorum, quam validam eſſe, ipſiſque licitam, nemo negat, non eſt tanta expreſſio, quanta eſt in forma, qua utuntur Latini, ut manifeſtum eſt; ſufficit igitur, ſi eadem actione Miniſtri applicetur ſubjecto ſignum Crucis chriſmate impreſſum, eodemque actu dicat reliqua verba, vel æquivalentia; & revera in quodam Ordine Romano antiquo ſolum habetur hæc forma: *Confirmo te in* no-

nomine Patris, &c. Unde & ipſe Suarez ſententiam hanc probabilem fatetur.

141. Neque fundamenta prioris opinionis evincunt; Quod attinet ad textum Apoſtoli, ſervatur, ſive proferantur illa unica verba, ſive non proferantur, vere enim adhuc homo eſt unctus, ſignatus, confirmatus habens in ſe pignus Spiritus Sancti; & pari ratione vera ſunt, quæ à Sanctis Patribus dicuntur, qui confirmationis formam eſſentialem ibi non attulerunt, ſed rem clarius & expreſſius declararunt; & ſi ex ipſorum dictis deberet argumentum deduci, invocatio SS. Trinitatis eſſentialis non eſſet, cum in textibus laudatis nulla ipſius mentio habeatur; quod tamen Doctores illi non aſſerunt.

142. Ad rationem; actio Miniſtri ſatis ſervatur, ſi dicat: *Confirmo te, &c.* neque neceſſe eſt, exprimatur etiam per ſignum Crucis, ſicuti etiam neceſſarium non exiſtimo, exprimatur materia remota, nam revera etiam in baptiſmate non exprimitur aqua, ſed ſufficienter intelligitur per illud verbum: *Baptizo te.* Sicut enim proprium eſt aquæ abluere, ſeu lavare, ita proprium eſt chriſmatis ex oleo & balſamo confirmare, ſeu corroborare; Quare etſi nonnulla ex verbis illis prætermittantur ſenſus formæ integer perſeverat, ſicut perſeverat in forma Græcorum.

QUÆSTIO III.

De Inſtitutore, & Miniſtro Sacramenti Confirmationis.

ARTICULUS I.

Quinam fuerit Sacramenti Confirmationis auctor.

143. DE Hæreticorum erroribus nihil dicendum, cum enim confirmationem Sacramentum eſſe inficientur, mirum non eſt, ſi aperte negent, Chriſtum fuiſſe ejuſdem inſtitutorem; Neque tamen eadem in hac re fuit Catholicorum opinio; Quidam enim dixerunt, neque à Chriſto, neque ab Apoſtolis fuiſſe inſtitutum, ſed in Concilio Meldenſi ſpeciali Spiritus Sancti inſpiratione; Tribuitur hæc opinio Alexandro Alenſi par. 4. quæſt. 24. mem. 1. quem, tanquam Magiſtrum ſuum, ſecutus eſt S. Bonavent. in 4. diſt. 7. art. 1. quæſt. 1. & 2. Quidam aſſerunt in Concilio Aurelianenſi. Alii docuerunt, Sacramentum hoc fuiſſe inſtitutum ab Apoſtolis.

144. Sed dicendum: Chriſtum per ſe immediate Sacramentum confirmationis inſtituiſſe.

Punctum hoc videtur modo tanquam fidei dogma tenendum, ut conſtat ex can. 1. ſeſſ. 7. Concilii Tridentini: *Si quis dixerit, Sacramenta novæ legis non fuiſſe omnia à Jeſu Chriſto Domino noſtro inſtituta, &c. anathema ſit.* Singillatim vero de hoc Sacramento id tradiderunt Concil. Mogunt. cap. 17. & Senonen. in Decretis morum cap. 38. Ratio autem eſt illa, quam jam attulimus agentes de Sacram. in genere. Chriſtus enim ſolus habuit poteſtatem excellentiæ, & ſolus viſibilibus ſignis potuit infallibiliter gratiam annectere.

145. Neque Alenſis opinio aliquod fundamentum habet. Quid enim in Meldenſi Concilio legitur, ex quo in eo primum inſtitutam fuiſſe confirmationem,

nem, probari poſſit; Duos habet canones, in 45. decernitur, ut Epiſcopi nihil pro chriſmatis confectione à Presbyteris recipiant; in 46. ſtatuitur, ut Presbyteri ſingulis annis Feria 5. Cœnæ Domini novum chriſma aſſequantur; Quæ igitur illatio, ergo in Concil. Meldenſi fuit chriſma inſtitutum?

146. Major difficultas excitari poteſt inquirendo, quo tempore Chriſtus Dominus Sacramentum hoc inſtituerit.

Placuit aliquibus aſſerere, ut indicatur in Concil. Senonen. tunc inſtituiſſe, quando Mat. 19. *Oblati ſunt ei parvuli, ut manus eis imponeret, ac oraret*; & dixit diſcipulis: *Sinite parvulos, & nolite eos prohibere ad me venire, talium eſt enim regnum Cœlorum*. Sed hoc approbandum non eſt, nam licet tunc fuerit hoc Sacramentum adumbratum, non fuit tamen inſtitutum, ibi enim, nullum præceptum, nulla gratiæ promiſſio, nulla materiæ, formæque deſignatio, neque veriſimile eſt, Chriſtum pueros illos confirmaſſe, cum nondum eſſent baptizati, neque decens erat ante Chriſti aſcenſionem miniſtrari, cum in ipſo detur plenitudo Spiritus Sancti: *Nondum autem erat Spiritus datus, quia Jeſus nondum erat glorificatus*, ut legitur Joan. 7. Alio igitur titulo fuerunt illi pueri oblati, vel ut benedicerentur, ut ait Hieronymus, vel ut curarentur, ut putat Anſelmus.

147. Placuit aliis dicere, Chriſtum Sacramentum hoc inſtituiſſe poſt reſurrectionem, cum Apoſtolis Spiritum Sanctum inſufflando dedit, & dixit: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*. Sed hoc gratis omnino affirmatur, cum ibi nullum confirmationis veſtigium appareat, & per illam inſufflationem datus non ſit Apoſtolis Spiritus Sanctus ad roborandos fideles, & gratiam augendam, ſed ad remittenda peccata.

148. Placuit aliis docere, Sacramentum hoc fuiſſe inſtitutum die Pentecoſtes, quando Apoſtoli acceperunt Spiritum Sanctum, & fuerunt confirmati; ſed hoc minus probabile eſt; Fuerunt utique illa die Apoſtoli confirmati, non tamen per uſum Sacramenti, ſed altiori modo, ut manifeſtum eſt.

149. Quod tanquam certum exiſtimo, eſt, Chriſtum confirmationem inſtituiſſe, antequam ad Cœlum aſcenderet. Hoc colligitur ex laudato canone Concilii Tridentini; Si enim poſt aſcenſionem ſuam inſtituiſſet per ſe non inſtituiſſet, aut dicendum foret, iterum de Cœlis deſcendiſſe ad illam inſtituendam, quod eſt contra Apoſtolum, vel illam in Cœlo inſtituiſſe, & Apoſtolis revelaſſe, quod omnino eſt improbabile; Inſuper Chriſtus ante ſui aſcenſionem Eccleſiam ſuam fundavit, ipſique omnia potiſſima, qualia ſunt Sacramenta, proinde reliquit, quibus conſona ſunt ea, quæ ſcripſit Leo Magnus ſerm. 1. de Aſcenſ. videlicet: *Hi dies, qui inter Reſurrectionem, Aſcenſionemque fluxerunt, non otioſo tranſiere decurſu, ſed magna in eis confirmata ſunt Sacramenta, magna revelata myſteria*.

150. Non eſſet tamen reprobanda illorum opinio, qui arbitrantur, inſtitutam fuiſſe, non quidem exhibendo, ſed promittendo, & inſtruendo Apoſtolos in ultima Cœna, nullum enim tempus aptius excogitari poteſt, præſertim cum illa nocte toties Spiritum Sanctum promiſerit Chriſtus; proinde ad minus fuit confirmationis inſtitutio tunc inchoata; Magis probaret ſententia illa Fabiani epiſt. 2. cap. 1. alibi à nobis laudata: *In illa die Dominus Jeſus, poſtquam cœnavit cum diſcipulis ſuis, & lavit eorum pedes, ſicut à Sanctis Apoſtolis prædeceſſores noſtri acceperunt, nobiſque reliquerunt, chriſma conficere docuit*. Sed quia noſtrorum temporum eruditi, ut ſe eſſe arbitrantur, illam pernegant eſſe Fabiani; ideo hoc tanquam incertum relinquimus.

ARTICULUS II.

Quinam ſit hujus Sacramenti Miniſter.

151. Alium in Sacramentis eſſe Miniſtrum ordinarium, alium extraordinariam jam notum eſt; In quo conſiſtat eſſe primum, in quo ſecundum, dictum eſt in quæſt. de Sacram. in genere; Hic de utroque à nobis agendum eſt, & prius de Miniſtro ordinario.

In hoc puncto varii fuerunt tum veterum, tum recentiorum hæreticorum errores, imo & inter Catholicos res non fuit ſatis apte peracta. Innoc. I. in epiſt. ad Decentium cap. 3. audaciam repreſſit quorumdam Presbyterorum Eccleſiæ Eugubinæ, qui ſui muneris & poteſtatis eſſe arbitrabantur Sacramenti iſtius collationem, & ſequenti ſæculo ſexto idem fecit Gregor. Magnus ep. 9. ad Januarium adverſus alios Eccleſiæ Calaritanæ; Sçculo nono eumdem errorem excitavit Photius Pſeudo-patriarcha Conſtantinopolitanus, qui ſicut ſimplicibus Presbyteris ordinariam tribuit baptizandi facultatem, ita & confirmandi, & loquens de Nicolao Papa I. qui confirmatos à Presbyteris Photianis iterum confirmari præcepit, ait in epiſt. ad omnes Epiſcopos Orientis. *Solis Pontificibus hoc datum eſſe, unde venit hæc lex? & quiſnam hujus legis conditor? Apoſtolorum aliquis, num etiam aliqua ex Synodis? non licet Sacerdoti eos, qui baptizantur, unguento ſignare, igitur neque omnino baptizare, neque ſacra facere.* Idem potiori ratione ſibi poterant Chorepiſcopi uſurpare.

152. Poſterioribus temporibus Waldenſes, Wicleſitæ, & Huſſitæ eumdem errorem propagarunt, atque in Concilio Conſtantienſi error iſtæ Wicleſi proſcriptus fuit. *Confirmatio juvenum ..... reſervatur Papæ, & Epiſcopis propter cupiditatem lucri temporalis.* Mirum tamen, ſi ita ſenſerint, eſſe non debet, quippe quod inter Epiſcopum & Presbyterum nihil eſſe diſcriminis perperam judicarent. Hoc inter Catholicos videtur docuiſſe Richardus Archiepiſcopus Armachanus, qui lib. 11. quæſtionum Armenicarum cap. 4. aſſerit, munus confirmandi, ſi ſpectetur poteſtas ordinis, æque convenire Presbyteris, ac Epiſcopis, lege tamen Eccleſiaſtica ſolis Epiſcopis reſervatum eſſe, & ideo peccaret Presbyter, ſi propria vellet auctoritate confirmare, quamvis valide, confirmaret. Armachani opinioni favere Scotum in 4. diſt. 7. qu. 1. ad 3. nec non Darandum qu. 4. affirmat Honoratus Tournely; ſed immerito id affirmat; etenim iſti Doctores loquuntur ſolum hypotetice, nempe, ſi fiat ſuppoſitio, Miniſtrum confirmationis eſſe omnem Sacerdotem, quantum eſt ex inſtitutione, licet ex prohibitione Eccleſiæ reſervata ſit ejus collatio ſolis Epiſcopis; ſtante hujuſmodi prohibitione abſque diſpenſationis acceſſu, valide confirmare, quod certe nemo negat, ſed hujuſmodi ſuppoſitio probanda eſt.

153. Denique Lutherus in captivitate Babylonica, nec non Calvinus libro 4. inſtitut. cap. 19. S. 10. & in antidoto toti ſunt in aſſerendo, nihil in Epiſcopis quantum ad confirmationis collationem eſſe, quòd etiam Presbyteris commune non ſit. *Si quis*, ait priori loco, *ab aliis ſciſcitetur, unde tanta prærogativa delata fuerit, quam rationem afferent, præter ſuam libidinem?* Poſteriori vero inquit. *Unde quæſo probabunt, Epiſcopis magis quam reliquis Sacerdotibus convenire has partes, niſi quia incertis authoribus ita placuit.*

154. Aſſertio Catholica eſt; Solum Epiſcopum eſſe Miniſtrum ordinarium confirmationis.

Id primo oſtendo ex eo, quod Scriptura Sancta nobis ſuppeditat. Actorum 8. cum Philippus plures baptizaſſet, miſſi ſunt Samariam Petrus, & Joannes, ut ipſis manus imponerent, ac reciperent Spiritum Sanctum, & Acto-

rum

rum 19. Paulus Apoſtolus manus illis imponit, quos alii baptizaverunt; Unde autem hoc factum eſſe exiſtimamus, ut ex uno in alium locum properarent Apoſtoli manus impoſituri, niſi dicamus, manuum impoſitionem ſolis Apoſtolis, qui non ſolum Sacerdotes erant, ſed etiam Epiſcopi, fuiſſe à Chriſto Domino reſervatam.

155. Vereor, ne duo mihi reponantur. Unum, eam manus impoſitionem non fuiſſe verum, ac proprium confirmationis Sacramentum. Alterum. Apoſtolos fuiſſe ſimul Epiſcopos ac Sacerdotes, unde evinci non poteſt, hoc ipſis conveniſſe ut Epiſcopis, non ut Sacerdotibus; imo dici jure merito poteſt tunc temporis nullum fuiſſe Sacerdotem, qui non eſſet Epiſcopus; Actor. enim 20. dicitur, Paulum miſiſſe Epheſum, & vocaſſe Presbyteros Eccleſiæ, quibus inde dictum fuit. *Attendite vobis, & univerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos* mirum igitur non eſt, ſi miſſi fuerunt Apoſtoli, ut confirmationem per manus impoſitionem conferrent, præſertim quod Philippus Diaconus erat, non Sacerdos. Addi poteſt tertium; nempe, non poſſe tribui Epiſcopis quod Apoſtoli fecerunt, aut non ſolis Epiſcopis, nec enim Epiſcopi Apoſtoli ſunt, & ſi quoad aliquid Apoſtolorum obtinent locum, eumdem locum tenent etiam Presbyteri; aliter concludi poſſet, quod ſicuti ſoli Apoſtoli in Cœna Domini ſub utraque ſpecie communicarunt, ita ſoli Epiſcopi ſub utraque ſpecie poſſent communicare.

156. Dicant tamen quidquid velint, ac poſſint, evincunt nihil; Si primum, quod reponunt, à nobis admittatur, quod tamen non admittitur, noſtræ vim argumentationis corroborat; Si enim illa manus impoſitio erat tantum umbra Sacramenti confirmationis, & tamen ſolis Apoſtolis conveniebat, à fortiori ipſum Sacramentum conferre ſolis Apoſtolis concedebatur. Ad 2. fatemur, Apoſtolos fuiſſe ſimul Epiſcopos ac Sacerdotes, diverſa tamen erat ipſorum poteſtas, prout Epiſcopi erant, ab illa, quæ ipſis conveniebat, prout erant Sacerdotes, & argumentum allatum poteſt ſic retorqueri; Apoſtoli fuerunt ſimul Epiſcopi, Sacerdotes, & Chriſtiani, unde ergo evinci poteſt, hoc ipſis conveniſſe ut Sacerdotibus, non ut Chriſtianis? Attendendum eſt ergo eidem perſonæ plura convenire poſſe, atque aliquos ipſi ſuccedere ſecundum unum, nequaquam ſecundum aliud; Omnes Chriſtiani ſuccedunt Apoſtolis, qui fuerunt primi Chriſtiani, omnes Sacerdotes ſuccedunt Apoſtolis, qui fuerunt primi Sacerdotes, & omnes Epiſcopi ſuccedunt Apoſtolis, qui fuerunt primi Epiſcopi, ſed ſicut Chriſtiani ſucceſſores Apoſtolorum, non ſunt omnes Sacerdotes, ita non omnes Sacerdotes ſucceſſores pariter Apoſtolorum, ſunt Epiſcopi; Epiſcopi vero dicuntur abſolute Apoſtolorum ſucceſſores, quia ſuccedunt in tota eorum ordinaria poteſtate; Quod vero tunc temporis non eſſent alii Sacerdotes, qui ſimul non eſſent Epiſcopi, nullo firmo poteſt affirmari momento; & in loco actuum Apoſtolorum adducto non poteſt inferri, Paulum vocaſſe omnes Presbyteros, ſed tantum legitur, *vocavit majores natu Eccleſiæ*, quos certe novimus eſſe Epiſcopos, & quamvis etiam omnes Presbyteros vocaſſet, non tamen concludi poteſt, illa verba: *Attendite vobis, & univerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos*, ad omnes eſſe referenda, ſed ad illos, ad quos ſpectabant; Cœterum ſicut omni Eccleſiæ tempore fuerunt, qui eſſent tantùm Diaconi, ita & fuerunt, qui eſſent tantum Presbyteri, quos Apoſtolorum loco potuiſſent mittere ad dandum Spiritum Sanctum per manus impoſitionem, ſi fuiſſent ex vi inſtitutionis Presbyteri confirmationis miniſtri. Ultimum facile rejicitur ex argumenti retorſione à nobis facta; & quamvis Epiſcopi non ſint

ſint Apoſtoli, ſunt tamen proprie & ſine limitatione Apoſtolorum ſucceſſores; neque pari modo dici poteſt, quod cum ſoli Apoſtoli communicaverint in ultima cœna ſub duplici ſpecie, ita poſſint communicare ſoli Epiſcopi; nam id actum eſt ab Apoſtolis tanquam Sacerdotibus, ad quos ſicut ſpectat ſub utraque ſpecie conſecrare ex vi ordinationis, ita ſpectat ſub utraque ſumere.

157. Quanquam cur ita hæreticis reſpondere contendimus? In hiſce verbis explicandis non ſunt conſiderandæ vel rationes, vel ſubtiles reſponſiones; ſed praxis, & conſtans Eccleſiæ traditio, quæ Epiſcopos ordinarios confirmationis miniſtros agnovit, non ſimplices Sacerdotes. Rem autem ita eſſe, jam demonſtraturus exordior, quod aptius præſtare non poſſum, quam plurium Summorum Pontificum afferendo decreta. Occurrit primo loco Innoc. I. in epiſt. ad Decent. cap. 3. dicens: *De conſignandis infantibus manifeſtum eſt, non ab alio, quam ab Epiſcopo fieri licere, nam Presbyteri, licet ſint Sacerdotes, pontificatus tamen apicem non habent ... Presbyteris chriſmate baptizatos ungere licet, non tamen frontem ex eadem oleo ſignare, quod ſolis debetur Epiſcopis cum tradunt Spiritum Sanctum*. Secundo S. Leo epiſt. 88. loquens de muneribus Chorepiſcoporum inquit: *Ipſis non licere nec erigere Altaria, nec per impoſitionem manuum fidelibus baptizatis paracletum Spiritum Sanctum dare, nec baptizatorum frontes ſignare, quia hæc ſolis Epiſcopis conveniunt*. Tertio S. Gregorius Magnus lib. 4. epiſt. 9. *Presbyteri baptizatos in fronte ſignare chriſmate non præſumant*.

158. Quia tamen hæc, & ſimilia aliorum Pontificum decreta, explicari poſſent de eo, quod licet, non de eo, quod valet, proinde confirmationem conferri debere ab Epiſcopo neceſſitate præcepti, non neceſſitate Sacramenti. Ideo ad quamlibet explicationem eludendam; afferam quod ſcribit Euſebius Papa epiſ. 3. verba ſunt iſta. *Manus impoſitionis Sacramentum magna veneratione tenendum eſt, quod ab aliis perfici non poteſt, niſi à ſummis Sacerdotibus, nam ſi aliter præſumptum fuerit, irritum habeatur & vacuum*. Nec prætéribo quod Melchiades Papa de hoc diſſerens Sacramento ait, nempe: *A majoribus fit, ideſt à Summis Pontificibus, & à minoribus perfici non poteſt*.

159. Plures etiam ex Patribus producere non prohiberemur, ſed non ſemel in antecedentibus producti ſunt. Quare ad aliquorum Conciliorum definitiones ſtatim deveniam; quanquam reliquis Doctoribus proponenda relinquam Eliberitanum can. 38. Arelaten. 3. Hiſpalen. 2. Pariſienſe 6., & quæcumque alia. Mihi ſatis, & pluſquam ſatis quod in Concilio Tridentino ſtatutum eſt; ſeſſ. 7. can. 3. ſic habet. *Si quis dixerit, ſanctæ confirmationis ordinarium miniſtrum non eſſe ſolum Epiſcopum, ſed quemvis ſimplicem Sacerdotem, anathema ſit*. Seſſ. 23. can. 7. ſic. *Si quis dixerit, Epiſcopos non eſſe Presbyteris ſuperiores, vel non habere poteſtatem confirmandi, & ordinandi, vel eam, quam habent, illis eſſe cum Presbyteris communem, anathema ſit*. Et eadem ſeſſ. c. 4. *Sacroſancta Synodus declarat &c. eoſque Presbyteris ſuperiores eſſe, ac Sacramentum confirmationis conferre, Miniſtros Eccleſiæ ordinare, atque alia plura peragere poſſe, quarum functionum poteſtatem reliqui inferioris ordinis nullam habent*. Hæc omnia adeo decretoria ſunt, ut nihil in oppoſitum dici poſſe videatur, præter quam Concilii auctoritatem negare.

160. Liceat modo rationem aliquam etiam afferre; Hæc potiſſima ea eſt, quæ colligitur ex Chriſti voluntate nobis per Scripturam & traditionem declarata; non enim adeo deſipientes ſumus, ut rem aliter fieri potuiſſe, inficiemur; ſed aliam affert S. Th., nimirum, confirmationem eſſe ultimum perfectivum, & quodammodo baptiſmi con-

conſummationem, illam igitur conferre ad eos ſpectabit, quibus datus eſt gradus in Eccleſiaſtico ordine perfectus, ac conſummatus. Huic ſimilis eſt illa, quam exponit Sanctus Bonaventura in 4. diſt.7. art.1. qu.3. in reſolut., videlicet, hoc eſſe Sacramentum illud, in quo Spiritus Sancti plenitudo tribuitur, exigit igitur in ſui Miniſtro ordinario plenitudinem auctoritatis, quam in ſolis Epiſcopis reſidere, Eccleſiaſtica poſtulat Hierarchia, ac ordo à Chriſto ſtatutus; & quemadmodum ad Ducem pertinet milites recipere, ac conſignare, ita ad Epiſcopos, qui inter fideles Duces ſunt, ſpectat ſpirituales milites efficere, ſicut in confirmatione contingit.

ARTICULUS III.

Refelluntur argumenta contraria.

161. OPp. 1. Act.9. Per Ananiam confirmatus fuit Paulus, legitur enim: *Imponens ei manus, dixit, Saule Frater, Dominus miſit me Jeſus, qui apparuit tibi in via, qua veniebas, ut videas, & implearis Spiritu Sancto.* Nec tamen Ananias erat Epiſcopus, ergo non ſoli Epiſcopi ſunt Miniſtri ordinarii confirmationis. Rurſus 1. ad Timot. 4. ſcribit Apoſtolus: *Noli contemnere gratiam, quæ eſt in te per impoſitionem manuum presbyterii.* Igitur manus imponere, quod eſt confirmare, ſpectat etiam ad Presbyteros.

162. Reſp. illam manuum impoſitionem factam ab Anania non fuiſſe confirmatoriam, ſed curatoriam, nempe ut Saulus viſum reciperet, pertinentem ad illam gratiam gratis datam, de qua legitur Mat. ultimo, *ſuper ægros manus imponent, & bene habebunt.* Et revera nihil legitur per Ananiam conceſſum Paulo præter viſus receptionem, propter quam proximè miſſus fuerat Ananias; ſequitur enim; *& vidit virum introeuntem ad ſe, Ananiam nomine, & imponentem ſibi manum, ut viſum reciperet .... Confeſtim ceciderunt ab oculis ejus tanquam ſquamæ, & viſum recepit, & ſurgens baptizatus eſt. Dixi proximè.* Nam quod dictum eſt, *ut implearis Spiritu Sancto*, hoc pertinet ad finem remotum, ideſt ad juſtificationem, & Spiritus Sancti infuſionem, quam poſtea conſequutus eſt per baptiſmum; Illam porro impoſitionem nequaquam fuiſſe confirmatoriam, ex eo etiam deduci poteſt, quod facta fuit antequam Paulus baptizatus eſſet, confirmatio autem poſt baptiſmum confertur, & ſi dicas, hoc verum eſſe de lege ordinaria, non ex Divino juſſu, & diſpenſatione, ſiquidem Act.10. in Centurionis domo confirmatio data eſt ante baptiſmum, convinceris primo, quia hujuſmodi diſpenſatio, & Sacramentorum inverſio ſine majori fundamento aſſerenda non eſt; Secundo, quia eadem ratione dicam, Deum diſpenſaſſe, ut Ananias; quamvis non Epiſcopus, Miniſter eſſet confirmationis. Denique, ſi negarem, Ananiam non fuiſſe Epiſcopum, quo pacto oppoſitum certo probabitur?

Ad 2. ibi non eſt ſermo de Sacramento confirmationis, ſed ordinis; & dicitur Presbyterii, ad indicandum, quod multi Epiſcopi unum Epiſcopum ordinant, quod in confirmatione non contingit, cum unus tantum Epiſcopus confirmet.

163. Opp.2. Patrum auctoritatibus. Hieronymus pluribus in locis docet, à Presbyteris confirmationem dari poſſe. 1. in epiſt.101. ait: *Quid facit, excepta ordinatione, Epiſcopus, quod non faciat Presbyter?* 2. in Dialogo contra Luciferianos dicit: *Non ad legis neceſſitatem, ſed ad Sacerdotii dignitatem pertinere, quod baptizati deferantur ad Epiſcopum, ut illis manus imponat. Alioquin lugendi eſſent, qui in viculis à Presbyteris, vel Diaconis baptizati, ante moriuntur, quam ab Epiſcopis inviſantur.* Atque ibi fatetur, ab Eccleſiaſtica conſuetudine deſcendiſſe, quod confirmatio ab Epiſcopis traderetur.

S. Ambroſius in cap. 4. epiſt. ad Epheſ. ait: *In Alexandria, & per totum Ægyptum, ſi deſit Epiſcopus, Presbyter conſignat*. Et idem fatetur S. Auguſt. lib. 9. quæſt. novi & veteris teſtamenti qu. 101. Prius vero Ignat. ep. 13. inter Sacerdotis munera manus impoſitionem recenſuit.

164. Reſp. ex primo dicto non inferri Presbyteros eſſe etiam confirmationis Miniſtros, ſed tantum Presbyterorum poteſtate multa præſtare, quæ præſtantur ab Epiſcopis, ut baptizare, à peccatis abſolvere, & Chriſti corpus conficere. Mens enim Sancti Doctoris in illa epiſtola erat, comprimere Diaconos, qui ſe Presbyteris pares facere audebant; confirmationem autem, cujus collationem expreſſe in illa epiſtola non negavit Presbyteris, negavit in laudato Dialogo contra Luciferianos, idque probat exemplo Apoſtolorum, quod nos adduximus num. 155., in quo ſi dixit, baptizatos deferri ad Epiſcopos, ut illis manus imponant ad legis neceſſitatem non pertinere, id ſic intelligas, ut hujuſce Sacramenti neceſſitatem ad obtinendam ſalutem excludat, vel non fuiſſe neceſſarium ex natura rei, illud conferri ab Epiſcopo, ſed tantum ex Dei ordinatione, qui hoc pacto dignitatem Epiſcopalem voluit inſignire, ac eminentiorem efficere; Neque verum eſt, id ab Hieronymo agnoſci, tanquam ab Eccleſiaſtica conſuetudine, ſeu lege tantummodo derivatum, ſed Divinæ inſtitutioni voluiſſe etiam addere Eccleſiaſticam legem, quod in aliis pluribus contingit, quæ dicuntur eſſe non ſolum ſub præcepto Divino, ſed etiam Eccleſiaſtico, & de quibus vanum eſt, exempla proferamus: *Diſce*, inquit Hieronymus ibidem, *hanc obſervationem ex ea auctoritate deſcendere, quod poſt aſcenſum Domini Spiritus Sanctus ad Apoſtolos deſcendit*. Et ſic rejecta ſunt ea, quæ ex iſto Doctore afferebantur.

Pro S. Ambroſio & Auguſtino ſcias ex Waldenſi 2. tom. de Sacram. c. 114. Ægyptios in hoc erraſſe, quod Sacramentum Confirmationis negaverint, agnoverintque ſolam cœremonialem unctionem, quæ fit in ſolemni baptiſmo, unde nil mirum, ſi per Presbyteros id fiebat, quod etiam à ſolis Diaconis fieri potuiſſet. Reſpondent alii illam Ægyptiorum conſuetudinem à quodam ſuppoſititio Ambroſio referri quidem, ſed non probari; Alii vero dicunt, Ægyptios tunc geſſiſſe Miniſtros extraordinarios; Pro Sancto Ignatio dicas, ibi Sacerdotis nomine intelligi Epiſcopum, ſeu Sacerdotem præcipuum, in quo ſenſu etiam ibidem dicit; Nihil ſine Epiſcopis facito, Sacerdotes enim ſunt.

165. Opp. 3. ex Summorum Pontificum decretis. Innoc. I. epiſt. 1. dicit, quod ſi energumeni ad Epiſcopum deferri nequeant, poſſit Epiſcopus facultatem dare Presbytero illos conſignandi; & in cap. *Omni Tempore* de Conſec. diſt. 4. legitur: *Presbyter præſente Epiſcopo non ſignat infantes, niſi forte ab Epiſcopo fuerit illi præceptum*, ſed hoc fieri non potuiſſet, niſi Presbyteri haberent ex vi ſuæ ordinationis hanc facultatem, quia ſic nec præſente Epiſcopo, nec abſente, neque ex ejus præcepto confirmare poſſent, ergo.

Præterea. Nicolaus I. qui græcos damnavit, quia confirmationis Sacramentum conferebant; non eos damnavit, quia facultatem ordinariam non habebant, ſed primo, quia propter Photianum ſchiſma ab omni ſuorum ordinum exercitio ſuſpenſi erant; Secundo, quia in ea regione illud ſibi munus arrogaverant, in qua, utpote ipſis non ſubjecta, nullum jus habebant, videlicet in Bulgaria. Totum hoc Nicolai factum explicat Adrianus II. in epiſt. ad Ignatium legitimum Epiſcopum Conſtantinopolitanum ſic ſcribens: *Quod ſi dicas, prius à nobis Conſtantinopolitanæ Diæceſeos Presbyteros in ea regione ſacrificare prohibitos, haud inficias imus. Erant Photiani, illiuſque Symmiſtæ, quibus non ſolum in Bulgarorum Provincia, ſed ubique*

que gentium Sacerdotali munere interdiximus, interdicimuſque.

Denique Innocen. III. cap. *Quantò* de conſuetudine, ſolis Presbyteris latinis Conſtantinopoli degentibus prohibuit confirmationis miniſterium; Quod igitur nequaquam à Presbyteris conferatur ſola lex Eccleſiaſtica vetat.

166. Reſp. in eo, quod dicitur de Innoc. I., ſermonem non eſſe de conſignatione, quæ eſſet confirmationis Sacramentum, hoc enim nunquam fuit applicatum energumenis ad Dæmones expellendos, ſed de quadam cœremonia, quæ antiquis temporibus erat in uſu, & qua ſoli Epiſcopi utebantur, Presbyteri vero, & alii inferiores Clerici ſolum ex Epiſcoporum facultate. Pariter in cap. *Omni tempore* ſermo eſt de alia cœremoniali unctione, quæ fiebat in vertice, quæve præſente Epiſcopo, Presbyteris etiam erat prohibita.

Quod dictum eſt ex Nicolao Papa, & Innoc. III. in ſequentibus reſolvetur.

167. Opp. 4. ex Conciliis. In Concil. Regienſi can. 5. leguntur hæc verba: *Viſum eſt, omni Presbytero per familias, per agros, per privatas domos, pro deſiderio fidelium facultatem benedictionis aperire, in Eccleſia quoque, in qua ordinatus fuerit, conſecrandi Virginem, ſicut confirmandi Neophytum facultatem habebit:* In Concil. Barcinon. 2. can. 2. præcipitur, *ut nihil pro liquoris pretio accipiatur, cum chriſma Presbyteris Diœceſanis datur pro confirmandis Neophytis*. Supponitur igitur Presbyteros Neophytos confirmare.

Validius etiam id probari videtur ex Concil. Toletano 1. can. 20. ubi legitur: *Statutum eſt, Diaconum non chriſmare, ſed Presbyterum abſente Epiſcopo, præſente vero non, niſi ab ipſo fuerit præceptum.* Necnon ex Arauſicano 1. can. 1. ubi decernitur; *ut hæretici in mortis diſcrimine poſiti, ſi deſit Epiſcopus, à Presbyteris cum chriſmate, ac benedictione conſignentur, ſi ii Catholici eſſe deſiderant*. Quod etiam habetur in Concil. Epaonenſi.

168. Reſp. ad primum; in illo Concilii canone duæ ſunt partes; in prima agitur de quocumque Sacerdote, in ſecunda vero de Armentario Epiſcopo, qui depoſitus fuerat, cui conceſſum fuerat, ut tantum in una Eccleſia poſſet Virginem conſecrare, & Neophytos confirmare, & hoc quidem licite, nam quantum ad valorem potuiſſet in omni.

Ad 2. Aliud eſt, Presbyteris dari chriſma pro confirmandis Neophytis, & aliud eſt, ipſos ad hoc munus exercendum chriſma recipere; Primum fatemur, ſecundum negamus, neque hoc aſſerit Concilium; Sunt tamen aliqui dicentes, verbum illud *confirmare* ſumi in latiori quodam ſenſu, ideſt pro unctione verticali, quæ confertur in baptiſmate.

Ad 3. illa facultas datur Presbytero quantum ad unctionem chriſmatis in vertice, dum datur baptiſma ſolemne, olim enim nihil Presbytero agere licebat abſque licentia Epiſcopi, & ideo mirum non eſt, ſi hæc quoque cœremonialis unctio prohibita fuerit, niſi ex facultate Epiſcopi, vel in hujus abſentia.

Quantum vero ad Concilium Arauſicanum, in eo canone non agitur de chriſmatione, quæ ſit confirmationis Sacramentum, ſic enim non fuiſſet ad ſolos hæreticos limitanda, ſed ad omnes fideles in mortis articulo conſtitutos extendenda, agitur igitur de reconciliatione ſolemni, qua olim recipiebantur hæretici, qui convertebantur, in qua inter alias cœremonias quædam unctio, ſeu conſignatio chriſmatis adhiberi ſolebat; Quidquid autem per hæc & ſimilia pertentetur ad ſummum probabitur, Presbyteros ex delegatione eſſe poſſe confirmationis Miniſtros, quod nunc declarabimus.

ARTICULUS IV.

Utrum ſimplex Sacerdos eſſe poſſit Miniſter extraordinarius Confirmationis.

169. Antequam quidpiam definiatur, nonnulla dicam, quæ tanquam omnino falſa, ac erronea ſunt rejicienda. Non defuerunt aliqui exiſtimantes, etiam inferioribus Clericis confirmandi facultatem poſſe committi, & afferunt Gloſſam in cap. *Quanto* extra de conſuetudine, ut videri poteſt apud Sylveſtrum verbo, *Confirmatio Divina* qu. 1., quam ſententiam docuit etiam Panormit. dummodo Clericus ſit confirmatus, & fundamentum haberi poteſt ex Summa Angeli verbo *Conſecratio*. Gloſs. vero in cap. *Manus* de Conſecr. diſ. 5. totum hoc ad laicos confirmatos extendit, cum doceat, Pontificem poſſe quemlibet delegare ad illud Sacramentum conferendum, quod recepit. Hæc quam abſurda ſint, quis non intelligit? nam præter ea, quæ dicentur, ſequeretur, quod ſi confirmatus eſſe poſſet Miniſter confirmationis, poſſet etiam ſimplici Sacerdoti committi, ut Sacerdotem ordinaret, Diacono, ut Diaconum, & ſic de reliquis, quod in Eccleſia nunquam auditum eſt; Ratio autem ex eo deducitur, quod Sacramentum non confertur propter ſimile Sacramentum ſuſceptum, ſed propter poteſtatem ad illud miniſterium conceſſam, quæ ſolum habetur per Sacramentum ordinis, vel per Epiſcopalem conſecrationem; Unde quamvis Miniſter confirmatus non eſſet, adhuc poſſet confirmationem conferre, ut patet etiam in Sacramento extremæ unctionis, & Matrimonii.

170. His prætermiſſis devenio ad propoſitum punctum; Pro quo ſententia negativa tribuitur Durando, Majori, Adriano, Alphonſo de Caſtro, Petro Soto, aliiſque, quorum fundamenta in objectionibus referemus. Sententia vero affirmativa traditur communiſſime tam ab antiquis, quam à recentioribus Theologis, S. Th., Alenſi, Bonavent., & Scoto, qui nec fuit in hac re dubius, ut ait Averſa, nec obſcurus, ut inquit Suarez, nec ſibi contrarius, ut dicit Soto, etenim in hac quæſt. ſub lit. B. aperte aſſerit: *Miniſter eſt Epiſcopus, vel alius, cui committi poterit*. Ita certe hoc affirmandum eſſe arbitrati ſunt plures, inter quos Baronius, & Valentia, ut dixerint poſt Concilium Florentinum, ac Tridentinum ad dogma fidei in iiſdem Conciliis definitum pertinere.

171. Porro Concilium Florentinum in Decreto Eugenii pro Armenorum inſtructione hæc habet: *Confirmationis ordinarius Miniſter eſt Epiſcopus*; & infra: *Legitur tamen aliquando per Sedis Apoſtolicæ diſpenſationem ex rationabili, & urgente admodum cauſa, ſimplicem Sacerdotem, chriſmate per Epiſcopum confecto, hoc adminiſtraſſe confirmationis Sacramentum*. Tridentini vero ſeſs. 7. can. 3. verba ſunt iſta à nobis alibi relata: *Si quis dixerit, confirmationis ordinarium Miniſtrum non eſſe ſolum Epiſcopum, ſed quemvis ſimplicem Sacerdotem, anathema ſit*. Mea opinio eſt, unum quidem definitum eſſe, nempe Epiſcopum eſſe Miniſtrum ordinarium; Utrum vero ſimplex Sacerdos eſſe poſſet extraordinarius, omittere voluit, & Scholaſticorum opiniones in ſua probabilitate relinquere, ut adnotavit etiam Cardinalis Pallavicinus in hiſt. Concilii Tridentini lib. 9. cap. 7. ſed quidquid ſit, de quo diſputationem inſtituere nolo.

Dico; ſimplicem Sacerdotem ex delegatione, ac Summi Pontificis diſpenſatione eſſe Miniſtrum Sacramenti confirmationis.

Probo ſic. Quod factum eſt tam in Eccleſia Latina, quam Græca tanquam ratum ac legitime factum affirmare debemus, ſed ſimplicem Sacerdotem eſſe Miniſtrum confirmationis ex delegatione, ſeu Summi Pontificis diſpenſatione fa-

factum eſt tam in Eccleſia Latina, quam Græca, ergo. Primo de Latina ſermonem habeamus, & jam ſtatim occurrit, quod mox ex Concilio Florentino adductum eſt: *Legitur tamen aliquando, &c.* conſideravit certe tunc Concilium factum S. Gregorii Magni, cui cum relatum eſſet, Presbyteros Sardiniæ ſolitos fuiſſe baptizatos confirmare epiſt. 9. prohibuit, eoſque compreſſit ſcribens: *Ne baptizatos infantes ſignare in fronte chriſmate præſumant, ſed eos ungant in pectore, ut Epiſcopi poſtea ungant in fronte.* Sed cum inde intellexiſſet, hujuſmodi prohibitionem aliquorum animos nimium conturbaſſe data altera littera ad Januarium ita ſcripſit: *Pervenit ad nos, quoſdam ſcandalizatos fuiſſe, quod Presbyteros chriſmate tangere in fronte eos, qui baptizati ſunt, prohibuimus; Et nos quidem ſecundum uſum veterem Eccleſiæ noſtræ fecimus: Sed ſi omnino hac de re aliqui contriſtantur, ubi Epiſcopi deſunt, ut Presbyteri etiam in frontibus baptizatos chriſmate tangere debeant, concedimus.*

172. Non me latet, quanta ſententiæ contrariæ Doctores repoſuerint; Ego quidem omnia referre non renuam, ſed hoc unum confutandis ipſis ſufficeret; Quod procul dubio de conceſſione facta à Gregorio pro vero confirmationis Sacramento miniſtrando factum hoc intellexerit Florentinum, ut ex verbis & contextu manifeſtiſſime apparet.

Primo igitur inquiunt, ut refert S. Th. in 4. diſt. 7. quæſt. 3. Gregorium non dediſſe facultatem conferendi Sacramentum confirmationis, ſed aliquid ſacramentale ſimile illi Sacramento, ſicuti alicui porrigitur panis benedictus loco Euchariſtiæ. Adrianus vero inquit, quod fortaſſe illi Presbyteri bis ungebant ſemel in vertice, & iterum in fronte, non adinſtar Sacramenti, ſed cœremoniæ, atque prius hanc ſecundam unctionem prohibuiſſe Gregorium propter periculum erroris, quo confundi poſſet cum Epiſcopali confirmatione, deinde illam conceſſiſſe tanquam ſolam cœreniam, cum neque eſſet ab intrinſeco mala, nec contra jus divinum.

173. Hoc ſecundum ſine aliquo fundamento aſſeritur, & manifeſte eſt contra dictum Concilii Florentini, & cum illa facultas conceſſa ſit tantum cum reſtrictione, ideſt, *ubi Epiſcopi deſunt*, apparet, rem actam non eſſe de ſola cœremoniali unctione, ſed de ſacramentali, aliter abſque tanta difficultate potuiſſet concedi etiam præſente Epiſcopo. Præterea, ex totius antiquitatis uſu unctio in fronte ſemper ſumpta eſt pro unctione confirmationis, nec unquam lectum eſt, hujuſmodi unctionem datam eſſe in baptiſmo tanquam baptiſmi cœremoniam.

Primum etiam admitti non poteſt, & ultra dicta, tenendum eſt, Gregorium eam facultatem in poſteriori epiſtola, quæ eſt 26. conceſſiſſe, quam epiſtola 9. negaverat, atqui in hac epiſtola negaverat unctionem frontis, quæ eſt confirmationis, ergo & iſtam conceſſit.

174. Si ita eſt, inquies, cur Gregorius opponit tantum uſum Eccleſiæ ſuæ, cum potuiſſet, ac debuiſſet opponere Chriſti inſtitutionem? Cur etiam irritam nullamque non declaravit unctionem illam, quam Presbyteri Calaritani abſque legitima licentia, & auctoritate contulerant, nec juſſit ita ab illis unctos iterum confirmari?

Reſpondeo; non oppoſuiſſe quidem expreſſe Chriſti inſtitutionem, ſed eam neque negaſſe, & implicite oppoſuiſſe. Ipſe enim uſus Eccleſiæ Romanæ fundamentum habebat in Chriſti inſtitutione. Quantum ad 2. id à Gregorio actum eſt vel ex prudenti œconomia ac diſpenſatione, ne magis eorum animos offenderet, ac perturbaret, vel quia ſuppoſuit, ex tacito Eccleſiæ Romanæ conſenſu datam ipſis fuiſſe confirmationem adminiſtrandi facultatem.

175. Secundo dixerunt alii; Presbyteros illos non fuiſſe ſimplices Sacerdotes, ſed fuiſſe Epiſcopos conſecratos

tos

tos abſque tamen Epiſcopali juriſdictione, qua unus tantummodo gaudebat, ad quem propterea confirmationem conferre pertinebat, mirum igitur non eſt, ſi ipſis confirmandi tribuerit facultatem, quia hæc erat dumtaxat ampliatio juriſdictionis, quam procul dubio Papa tribuere poteſt, ſicut contingeret, ſi modo uni Epiſcopo poteſtatem confirmandi in alieno Epiſcopatu concederet.

Neque hoc ſatisfacere poteſt; quo pacto enim Calaritanos Presbyteros omnes fuiſſe Epiſcopos conſecratos probari poterit; Hoc certe tempore Sancti Gregorii eſſe non poterat, cum Sacerdotes eſſent ab Epiſcopis diſtincti non ſolum juriſdictione, ſed etiam conſecratione, & jam prius dixerat Euſebius à nobis in antec. laudatus, confirmationem datam à Sacerdote irritam eſſe. Præterea, facultas hæc conceſſa fuit Presbyteris in abſentia Epiſcopi, ergo ſermo eſt de Presbyteris Epiſcopalem conſecrationem non habentibus, & demum affertur Eccleſiæ Romanæ conſuetudo, hæc autem eſt de ſimplici Sacerdote, non de Epiſcopo conſecrato, ſed carente juriſdictione. Aliam ego addam reſponſionem; Si Presbyteri illi fuiſſent Epiſcopi conſecrati, opus non fuiſſet, ad Summi Pontificis licentiam confugere; potuiſſet enim illemet Epiſcopus, qui juriſdictionem obtinebat, hanc facultatem concedere; ut noſtris temporibus experientia compertum eſt.

176. Multo minus placet aliorum reſponſio, qui auſi ſunt dicere, Gregorium in eo facto erraſſe, aut probabili tantum ſententiæ adhæſiſſe, ut contingit, quando diſpenſat in voto ſolemni, & in matrimonio rato. Abſit hoc dicamus de tanto viro æque doctiſſimo, ac ſanctiſſimo, ut errandi periculo in re tam gravi concedenda non uni perſonæ, ſed integræ provinciæ, & verſante in materia ac ſubſtantia Sacramenti ſe expoſuiſſe. Attendamus, conceſſionem expreſſam fuiſſe non verbis dubiis, ac probabilibus; neque tunc quæſtio hæc erat in diſputatione adducta, ut dici poſſit, probabilem opinionem fuiſſe ſecutum.

177. Ne vero aliquid omittamus, recenſendi etiam illi ſunt, qui dixerunt, Pontificem non diſpenſaſſe, aut facultatem aliquam conceſſiſſe, ſed ne contriſtaret illos Presbyteros, & ſcandali occaſionem præberet, diſſimulaſſe, ac permiſiſſe. Hoc immerito dictum eſt; nam expreſſe eſt verbum *concedimus*, quo ſi uſus fuiſſet non in ſui proprietate, ſed diſſimulandi cauſa, in re gravi deliquiſſet, in qua propter tam levem cauſam, qualis erat triſtitia & ſcandalum acceptum, non datum, errorem & abuſum illum diſſimulare ac permittere non potuiſſet, ſed ad Pontificis officium ſpectaſſet errorem abuſumque docendo detegere.

178. Non eſſet etiam prætermittendus Eſtius, qui dicit, non legi in epiſt. Gregorii, *baptizati*, & *baptizatos*. Sed *baptizandi*, *baptizandos*, ac proinde Gregorium de nuda cœremonia locutum fuiſſe. Evaneſcit tamen hujuſmodi effugium, ſi una illius epiſtola cum alia conferatur, etenim in epiſt. 26. in qua facultatem reſtituit correſpondere debet æpiſtolæ 9. in qua illam negaverat, in hac autem legi *baptizatos*, non *baptizandos* certiſſimum eſt.

Hiſce omnibus addimus, hujuſmodi conceſſionem nunquam ab alio Pontifice ſucceſſore, vel ab aliquo Concilio fuiſſe reprobatam, igitur admittenda eſt tanquam rata, ac jure optimo data.

179. Quod vero factum legitur à S. Gregorio, ab aliis etiam Pontificibus factum eſſe, arbitrati ſunt aliqui; Arcudius lib. 2. de confirmatione cap. 15. hæc habet: *Alii referunt Adrianum VI. an.* 1531. *die* 25. *Aprilis, petentibus Fratre Gulapione, & Franciſco de Angelis, conceſſione pro Indiis, & regionibus, ubi non ſunt Epiſcopi, ut Sacerdos Regularis ex Minoribus poſſet cum chriſmate ab Epiſcopo conſecrato confirmare, haberi autem authenticum Hiſpali in Monaſterio S. Franciſci*. Et in alia nar-

narratione 2. hæc refert: *Nec defuerunt alii Pontifices, qui hac noſtra ætate ob penuriam Epiſcoporum eandem facultatem pauciſſimis quibuſdam viris Apoſtolicis ſpectatis Patribus Societatis Jeſu conceſſerint ..... Ajebat autem* (loquitur de Patre Fonſeca) *ac pro certo affirmabat, ſe ſolitum eſſe in illis partibus hoc Sacramentum adminiſtrare, ibiq; hujus authoritatis conceſſæ aſſervari diploma Pontificis*. His ſimilia narrat Vadingus in Annal. Fratrum Minorum, & plurium Pontificum Romanorum diplomata congerit. Hæc ſi vera ſunt, magis probant quod nos aſſerimus, ſi velis in dubium revocare, noſtram ſententiam non infringis.

180. Sed jam ab Eccleſia Latina ad Græcam tranſeamus, ut inde quod in noſtro argumento alibi propoſuimus, declaremus. Hoc ſervatum eſſe, ut Presbyteri confirmationem miniſtrarint apud Syros, habetur ex Rituali Severi Patriarchæ Antiocheni, in quo baptizandi confirmandique munus ſub eodem tenore Presbyteris permittitur, nec quidquam Epiſcopis reſervatur. Eumdem ritum tenuiſſe Græcos Conſtantinopolitano Patriarchæ ſubjectos fidem faciunt Euchologia, quibus pluribus ab hinc ſæculis utuntur, quæve præſcribunt, ut Neophytum baptizatum ungant in fronte, illa verba proferentes, de quibus nos diximus, quæve eſſe confirmationis formam apud ipſos declaravimus. Vel igitur Eccleſia Græca verum confirmationis Sacramentum nequaquam habuit, & hoc dicendum non eſt, cum à Latinis nunquam fuerit hoc ipſis objectum, vel aſſerendum ſupereſt, hoc fuiſſe per Presbyteros miniſtratum, non quidem tribus prioribus ſæculis, cum dicat Chryſoſtomus homil. 18. in acta Apoſt. inferiores Miniſtros accepiſſe virtutem faciendi ſigna, non autem dandi Spiritum Sanctum, ſed multo ante ſchiſma Photianum, cum Photius ipſe de Nicolao I. conqueſtus ſit, quod confirmatos à Presbyteris Græcis legatis ſuis in Bulgaria iterum confirmari præceperit.

181. Porro ſi id factum eſt à Presbyteris Græcis, atque modo etiam fit, ut opinor, facultatem hanc ſaltem conſenſu tacito à Romana Sede habuerunt; Hoc enim Sedes Apoſtolica novit, neque contradixit, imo probavit, cum Græcos ſchiſmaticos in ſua Eccleſia confirmatos, dum ad Catholicam unitatem redeunt, nunquam iterato confirmaverit, nec unquam à Summis Pontificibus Presbyteri Orientales Catholici juſſi ſunt, ne Sacramentum hoc juxta ſuorum Euchologiorum ritum in frontibus conferrent, imo cum Eugenius IV. Græcis propoſuerit; Quare Pontifices non inungunt ſacro chriſmate, ſed Sacerdotes, cum hoc Pontificibus datum ſit, Epiſcopum Mitilynenſem juxta canones ſatisfeciſſe, ex iis, quæ in calce Concilii Florentini leguntur, manifeſte ſatis apparet.

182. Si autem quis contendere vellet, nullam neque tacitam fuiſſe Apoſtolicæ Sedis diſpenſationem, ut probare videntur ea, quæ ſtatim afferemus, tunc dicendum foret cum Petro Aurelio adverſus Sirmondum, & cum Sambovio nullam fuiſſe confirmationem illam, quam Græci Presbyteri conferebant, aliter dicendum eſſet, Presbyteros eſſe Miniſtros ordinarios, quod ſuperius negatum eſt.

183. Porro non fuiſſe hujuſmodi diſpenſationem probant ea, quæ diximus de Nicolao Primo quæve hic iterum proponere juvat, cum ibi reſoluta non fuerint, & ex alia parte ex illis concludi videbatur, Presbyteros eſſe ordinarios Miniſtros.

Itaque. Nicolaus I. nullam ac irritam declaravit confirmationem illam, quam in Bulgaria Photii legati dederunt, cenſuit igitur nullam Græcis factam fuiſſe diſpenſationem, aut hanc diſpenſationem nihil ipſis contuliſſe, ut confirmationis fierent Miniſtri. Innocent. III. cap. *Quanto* de conſuetudine Pre-

Presbyteris omnibus ſub Sacramenti periculo prohibuit confirmare fideles. Verba ſunt iſta: *Pervenit ad audientiam noſtram, quod quidam ſimplices Sacerdotes apud Conſtantinopolim &c. Dilectioni tuæ mandamus, quatenus omnibus Presbyteris diſtrictè prohibeas, ne talia de cætero ſua temeritate præſumant &c.* Denique Innoc. IV. de praxi Græcorum, apud quos Presbyteri confirmant, ad Epiſcopum Tuſculanum ſuum in Cypro legatum ſic ſcribit; *Soli Epiſcopi conſignent chriſmate in frontibus baptizatos, quia hujus unctio non debet niſi per Epiſcopos exhiberi &c.* ex quibus, aliiſque ſimilibus concluditur, vel confirmationem datam à Presbyteris Græcis nullam fuiſſe, vel nullo pacto eſſe poſſe confirmationis Miniſtros.

184. Reſpondeo; ad ſummum concludi, confirmationem illam nullam fuiſſe, quia tamen hoc dicendum non videtur, ideo aliter omnia explicamus. Quod attinet ad Nicolaum I. Fatemur confirmationem illam datam à Photii legatis in Bulgaria nullam fuiſſe; etenim Photius Pſeudopatriarcha nullam habebat delegandi facultatem, imo quacumque Eccleſiaſtica auctoritate carebat, & rurſus Bulgaria Patriarchæ Conſtantinopolitani juriſdictioni ſubjecta non erat; Additur, Photium exiſtimaſſe, id à Presbyteris fieri tanquam ordinariis Miniſtris, quod non niſi ex Romani Pontificis tacita ſaltem conſenſione fiebat.

Quod dicitur de Innocentio III. vel Decretum illud Conſtantinopoli promulgatum non fuit, quia etiam poſtea Presbyteri in ſua conſuetudine confirmationem conferendi perſeverarunt; vel tantum directum eſſe ad Presbyteros Latinos Conſtantinopoli degentes, quos in ritu Eccleſiæ Romanæ continere voluit, nec permittere, ut ipſi etiam Græcorum more confirmationem miniſtrarent; & revera in litteris, ex quibus deſumptum eſt laudatum caput, *Quanto* de conſuetudine, leguntur hæc verba, *Mandamus, quatenus omnibus Latinis Presbyteris apud Conſtantinopolim conſtitutis diſtrictè prohibeas &c.*

Illud Innocentii IV. probat ad ſummum de Miniſtro ordinario; ſed revera dico, decretum illud ab Epiſcopo Tuſculano, ne commotioni aditum panderet, nequaquam fuiſſe promulgatum. Ut omnibus occurras, quæ ex Summis Pontificibus opponi poſſent, dicas, aut non attendiſſe, aut ignoraſſe, aut dubitaſſe circa diſpenſationem à prioribus Pontificibus tacite ſaltem conceſſam.

185. Opp. I. Summus Pontifex nullam diſpenſationem afferre poteſt circa Miniſtrum Sacramentorum, ergo ſimplex Sacerdos ex diſpenſatione Summi Pontificis nequit eſſe Miniſter confirmationis. Prob. ant. Summus Pontifex non poteſt diſpenſare in iis, quæ pertinent ad ſubſtantiam Sacramentorum, ſed Miniſter pertinet ad ſubſtantiam Sacramentorum, ergo. Mi. conſtat ex doctrina Concilii Florentini, ſtatuentis, Sacramenta tribus perfici, materia, forma, & perſona Miniſtri; Unde etiam aliter ſic; Pontifex non poteſt diſpenſare in materia, & forma, ergo neque in Miniſtro, & ſicuti in re noſtra ex Chriſti inſtitutione chriſma, & manus impoſitio ſunt materia, ita ex eadem Chriſti inſtitutione Epiſcopus eſt Miniſter.

186. Reſp. antec. eſſe verum, niſi ex Chriſti inſtitutione facultas hæc circa Miniſtrum conceſſa ſit Summo Pontifici; Hanc autem conceſſam eſſe, à nobis probatum eſt juxta praxim & traditionem; Fatemur etiam Miniſtrum pertinere ad ſubſtantiam Sacramentorum, ſaltem extrinſece, at neceſſe non eſt ſemper eſſe Miniſtrum ordinarium, ut conſtat etiam in ordinibus minoribus in eorum ſententia, qui dicunt eſſe verum Sacramentum, quos ordinarius Miniſter eſt ſolus Epiſcopus, & tamen ex Pontificis diſpenſatione eſſe poteſt ſimplex Sacerdos. Neque tenet paritas de materia & forma, nec nunquam audi-

divimus diſtinctionem materiæ & formæ in ordinariam & extraordinariam, hujuſmodi autem diſtinctionem audivimus in Miniſtro; Ratio porro diſcriminis ſemper deſumitur ex Chriſti inſtitutione, quæ non fuit eadem circa materiam & formam, ac circa Miniſtrum. Hinc Pontifex in re noſtra neque diſpenſat, neque immutat jus Divinum, ſed determinat talem Miniſtrum qualem determinavit Chriſtus; Hic determinavit Epiſcopum tanquam ordinarium Miniſtrum, Sacerdotem ſimplicem tanquam extraordinarium, dummodo accederet Summi Pontificis facultas.

187. Ad cujus rei majorem explicationem adnotandum eſt; Poteſtatem Epiſcopi ratione ordinis eſſe plenam & completam facultatem adminiſtrandi confirmationem, unde etiamſi hanc miniſtret in Diœceſi ſibi non ſubjecta, vel ſit etiam ſuſpenſus, ac degradatus, ſemper valide adminiſtrabit; Poteſtatem vero ſimplicis Sacerdotis ratione ordinis eſſe tantummodo radicalem, incompletam, & inchoatam facultatem confirmandi, quæ nonniſi per legitimam diſpenſationem fieri poteſt completa, & expedita, ſicuti Sacerdos ex vi ſuæ ordinationis accipit facultatem abſolvendi à peccatis, qua tamen etiam validè uti non poteſt, niſi accedente juriſdictione, quam ipſi concedit Epiſcopus.

188. Ex hac doctrina refellam argumentum hoc, quod ſic propono. Eſſe Miniſtrum confirmationis vel ſpectat ad Epiſcopum jure Divino ex vi ſuæ ordinationis, vel titulo juriſdictionis; Si primum, nullo modo convenire poteſt iis, qui Epiſcopali carent ordinatione, neque ex vi diſpenſationis poterit ipſis conferri, ut patet in Diacono, cui, cum ex vi ordinis non conveniat conſecrare, quæcumque accedat diſpenſatio, convenire non poteſt; Si titulo juriſdictionis; ergo Epiſcopus etiam non conſecratus confirmare poterit, quia hic habet ordinem Sacerdotalem, & ſimul habet juriſdictionem.

189. Ex illa inquam doctrina hocce argumentum refello, & dico poteſtatem confirmandi non oriri ex vi juriſdictionis, ſed ordinis, qui cum ſit in ſimplicibus Sacerdotibus per characterem non ſe habentem adinſtar potentiæ, quæ phyſicè aliquid operetur, ſed qualitatis moralis, ſeu ſigni Divini cujuſdam pacti, quo Deus concurrit ad effectum Sacramentalem producendum cum eo, qui characterem habet, & non cum aliis, ſe habet tanquam ſignum conditionatum ad aliquid, ideſt, ſi accedat diſpenſatio ſupremæ poteſtatis, licet ſit ſignum abſolutum quantum ad aliud, & ſic priori modo reſpicit confirmationem, poſteriori vero conſecrationem, atque ideo etiam accedente prohibitione valide conſecrabit Sacerdos, non accedente autem diſpenſatione valide non confirmabit. Eſt igitur Epiſcopus jure Divino ex vi ſuæ ordinationis Miniſter ordinarius in conferenda confirmatione, eſt vero Sacerdos ex vi pariter ſuæ ordinationis Miniſter extraordinarius, quod non valet de Diacono, vel quopiam alio, qui ex vi ordinis nec quidem inchoatam & incompletam habet confirmandi poteſtatem, ſicut nec conſecrandi, hæc enim poteſtas eſſentialiter pendet à charactere Sacerdotali; & additur; facultatem in Corpus Chriſti myſticum fundamentum habere in poteſtate in Corpus Chriſti reale, cui hæc deeſt, & illa deficit, & propterea confirmare, quod eſt exercere poteſtatem in Corpus Chriſti myſticum, convenire poteſt Sacerdoti, qui poteſtatem habet in Corpus Chriſti reale, non ſic Diacono, qui iſta caret.

190. Adverſus doctrinam expoſitam n. 187. ex qua pendet aliorum ſolutio, videtur eſſe, quod ea admiſſa, pari ratione Sacerdos etiam eſſet Miniſter extraordinarius Sacramenti pœnitentiæ, ſiquidem etiam hoc adminiſtrare non poteſt ſine facultate ſuperiori; negatur at-

tamen aſſumptum, & ratio diſparitatis eſt, quia pro Sacramento pœnitentiæ habet Sacerdos ex vi ordinationis ſuæ plenam & proximam facultatem abſolvendi, dicitur enim, dum Presbyter fit, *Quorum remiſeritis peccata remittuntur eis &c.* & ſolum ipſi deeſt jurisdictio, ſine qua valide nemo poteſt abſolvere, ut probatur in proprio tractatu; Hoc autem non contingit in Sacramento confirmationis, pro cujus valore jurisdictio non requiritur, ſed neceſſaria tantum eſt facultas proxima & expedita ordinis, quæ juxta dicta in ſimplici Sacerdote non fit hujuſmodi, niſi per ſuperiorem licentiam, ac diſpenſationem.

Alia levioris momenti omitto, cum ex dictis facillime rejiciantur.

191. Hic autem quæri poteſt, an ſimplex Sacerdos eſſe poſſit Miniſter extraordinarius confirmationis ex diſpenſatione proprii Epiſcopi in ſua Diœceſi. Aliqui Doctores, inter quos Ledeſma, & Sotus, exiſtimarunt, jure Divino id ab Epiſcopis fieri poſſe, & tantum obſtare Pontificis ſummi prohibitionem, aut talis poteſtatis non uſum; Fundamentum Ledeſmæ eſt, quia quidquid poteſt Pontifex in toto Orbe, poteſt Epiſcopus in propria Diœceſi; & adducitur Concil. Toletan. 1. cap. 20. ubi dicitur: *Statutum eſt, Diaconum non chriſmare, ſed Presbyterum abſente Epiſcopo, præſente vero non, niſi ab ipſo fuerit præceptum.* Fundamentum vero Soti eſt, quia putavit, Chriſtum inſtituiſſe, ſolos Sacerdotes ſive ex officio, ſive ex commiſſione confirmare poſſe, atque Eccleſiæ commiſiſſe, ut poſſet, prout expediens judicaret, ſtatuere, ut Epiſcopus, vel ſimplex Sacerdos eſſet neceſſarius hujuſce Sacramenti Miniſter.

192. Exiſtimo tamen, ſimplicem Sacerdotem eſſe non poſſe Miniſtrum confirmationis, niſi ex licentia Summi Pontificis. Ratio ex eo deſumi poteſt, quod in iis, quæ ſunt de jure Divino abſolute & ſimpliciter, diſpenſatio haberi non poteſt, niſi juxta modum ab ipſo jure Divino ſtatutum, & conceſſum; Porro jus hoc Sacramentum miniſtrandi eſt Divinum, & lege ordinaria conceſſum Epiſcopis, & ex traditione habemus ſolum Summum Pontificem diſpenſaſſe, ut colligitur ex Concilio Florentino, ergo.

193. Neque faciendum eſt fundamentum contrarium, etenim Summum Pontificem ex poteſtatis plenitudine aliquid poſſe in orbe toto, quod non poteſt Epiſcopus in ſua Diœceſi manifeſtum eſt, & hic probare non placet; Quod ſi facultas hæc jure Divino Epiſcopis conceſſa eſt, quare ea non utuntur? nunquid quia à Summis Pontificibus id prohibitum eſt; At nullum in hac re eſt Pontificium decretum, nulla reſervatio, nulla jurisdictionis limitatio; Quod vero dicitur, ab Epiſcopis hoc jus per non uſum deperditum eſſe, perperam dicitur; Primo quia hoc non eſſet Epiſcoporum privilegium, ſed jus ordinarium, igitur per non uſum amitti non poteſt; deinde potius dici debet, Epiſcopos hoc jure nunquam uſos eſſe, quia nunquam utendi poteſtatem habuerunt; De Concilio Toletano jam dictum eſt, unctionem illam non fuiſſe confirmatoriam.

194. Quod attinet ad fundamentum Soti, jam alibi diximus, hujus Sacramenti inſtitutionem non bene fuiſſe ab ipſo explicatam; & ſi verum eſſet, quod ipſe aſſerit, ſequeretur, quod Eccleſia potuiſſet etiam ſtatuere, quod in confirmando ſimul cum Epiſcopo eſſent etiam neceſſarii alii, tanquam ordinarii Miniſtri non vero alii ſimplices Sacerdotes, rurſus efficere potuiſſet, hanc delegandi facultatem non ſolum eſſe apud Epiſcopos, ſed etiam apud Parochos & Abbates, quæ omnia abſurda ſunt, ut obſervat Doctiſſimus Pater Suarez.

QUÆ-

QUÆSTIO IV.

De ſubjecto Sacramenti Confirmationis.

ARTICULUS UNICUS.

Quinam ſint confirmationis capaces.

195. DIfficultas hæc illa ferme videtur, quam agentes de ſubjecto Sacramenti baptiſmi pertractavimus, ideo pluribus omiſſis, quæ utrique Sacramento communia ſunt, hic tantum quædam peculiaria exponemus.

Dico 1. Omnes, & ſolos homines baptizatos eſſe capaces confirmationis.

Dum omnes aſſero, etiam parvulos intelligi, manifeſtum eſt, qui licet proprium conſenſum non habeant, ille tamen Eccleſiæ pro ipſis non deeſt. Ratio hujus primo eſt, quia Sacramentum hoc indefinite & abſque aliqua limitatione à Chriſto Domino pro omnibus inſtitutum eſt, unde & legimus in actibus Apoſtolorum impoſitas fuiſſe manus ab Apoſtolis ſuper omnes fideles, & in cap. 1. de conſecrat. diſt. 5. habetur: *Omnes fideles per manus impoſitionem Epiſcoporum Spiritum Sanctum poſt baptiſma accipere debent*. Secundo quia in omnibus præſtatur hujus Sacramenti effectus, nempe robur & perfectio gratiæ tam propter ſe, cum ad majorem gloriam perducat, quam propter operationem, & conſtantiam in fidei confeſſione, ad quam omnes armari poſſunt, ut cum occaſio pugnæ advenerit, auxilio oportuno non careant; Tertio affertur praxis & Eccleſiæ diſciplina, quæ per duodecim priora ſæcula viguit apud latinos, quæve adhuc viget apud Græcos, cœteroſque orientales, ipſis enim infantibus ſtatim poſt baptiſmum confirmatio conferebatur, ut colligitur ex antiquis latinorum Sacramentariis, ac hodiernis Græcorum Euchologiis. Quare etiam Auguſtinus tract. 6. in primam canonicam Joannis dicit: *Quando impoſuimus manus iſtis infantibus attendit unuſquiſque veſtrum, utrum linguis loquerentur?* Et de Eccleſiaſt. dogmati. cap. 52. ait, quod cum parvuli confirmantur, ii, qui illos offerunt, pro ipſis reſpondent, ſicut in baptiſmo.

196. Cum autem dictum ſit, omnes eſſe capaces; difficultas aliqua oritur circa amentes, & furioſos, de quibus ita res dirimenda eſt, ſicut ſtatutum eſt de Sacramento baptiſmi; Quare hæc omnia omittendo, ne eadem pluſquam ſemel repetamus. Videndum occurrit, utrum expediat, infantes iſtos confirmari, antequam ad uſum rationis pervenerint; ſed antequam hoc reſolvatur, probanda eſt ſecunda pars primæ aſſertionis.

197. Hæc autem ſuadetur ex illa regula generali, qua fatemur, baptiſmum eſſe januam omnium Sacramentorum, ipſiuſque characterem eſſe veluti ſubjectum, in quo reliqua recipiuntur; & quemadmodum Ordo nullus eſt, ſi ante baptiſmum conferatur, ut dicitur cap. 1. & ultimo *Extra* de Presbytero non baptizato, ita etiam confirmatio. Pro hac re ratio congrua non deeſt; Siquidem baptiſma ad confirmationem ſe habet, ſicut perfectibile ad ſuum perfectivum, atqui illud debet huic præſupponi, ergo & baptiſmus confirmationi. Adde. Baptiſmum conferre gratiam tanquam vitæ ſpiritualis generationem, Sacramentum vero confirmationis, tanquam vitæ ſpiritualis augmentum; ſicut igitur corporis augmentum haberi non poteſt ſine præcedente corporis generatione, ita gratiæ augmentum haberi ne-

nequit ſine &c. Hoc totum confirmat Zacharias Papa reſcribens ad S. Bonifacium, qui conqueſtus fuerat de quodam Presbytero, qui docebat homines fieri poſſe Chriſtianos ſine baptiſmo per Epiſcopalem manuum impoſitionem; ſic autem habet Summus Pontifex. *Hic, qui dicit hoc, vacuus eſt Spiritu Sancto, & alienus à gratia Chriſti, atque à conſortio Sacerdotali abjiciendus. Quis enim, niſi baptizetur, & ſic per manus impoſitionem conſecretur, poteſt eſſe Catholicus? &c.*

198. Contra hæc reponi poſſe videtur, Spiritum Sanctum, ut legitur Act. 10. viſibiliter deſcendiſſe in eos, qui nondum erant baptizati, fuit autem hujuſmodi miſſio quædam confirmatio, unde leguntur quidem poſtea baptizati, non tamen confirmati, atque de illis dixit Petrus, *accepiſſe Spiritum Sanctum, ſicut & nos.* Imo S. Auguſtinus lib. 2. contra lit. Parmeniani cap. 15. & alibi, illam Spiritus Sancti miſſionem dicit fuiſſe, ſicut illa fuit, quæ die Pentecoſtes conceſſa fuit Apoſtolis, per quam fuerunt confirmati.

199. Hæc tamen nihil probant; Quod enim Spiritus Sanctus viſibiliter in eos deſcenderit, hoc tantum infert, ipſis collatam fuiſſe extraordinario modo gratiam ſanctificantem, & quaſdam gratias gratis datas, non autem Sacramentum confirmationis, neque gratiam Sacramentalem in ſe, quamvis ſecundum effectum, unde ex illa miſſione argumentum ad rem noſtram deduci non poteſt; Imo cenſeri non immerito poteſt, neque Apoſtolis Sacramentum datum eſſe die Pentecoſtes, ſed plenitudinem Spiritus Sancti excellentiori quoddam modo ex ſpeciali privilegio, & quamvis Apoſtoli dici poſſint confirmati, quia jam baptizati erant, hoc tamen de aliis dici non poſſet propter oppoſitam rationem; Unde comparatio illa Auguſtini valet quantum ad effectum & gratiam, non quantum ad modum gratiam conferendi, quod dico etiam pro textu Sancti Petri.

200. Devenio modo ad id dirimendum, quod num. 196. propoſitum erat, videlicet, an expediat infantes baptizare antequam ad uſum rationis pervenerint.

Dico 2. Si ſpectemus jus naturale, rationes pro utraque parte ſatis idoneas eſſe, unde qui conferret confirmationem infanti ante rationis uſum, licite conferret.

Rationes pro parte affirmativa iſtæ eſſe poſſunt; Infantes, rationis uſum nondum habentes, non ſunt capaces alicujus fictionis & impedimenti, quo effectus Sacramenti impediatur, igitur certius recipiunt hujuſmodi effectum, quam ſi confirmatio poſt rationis uſum confera. tur; Utilius etiam eſt, hominem ſtatim poſt ſpiritualem regenerationem, & nativitatem in Chriſto habitam poſt baptiſmum, fieri perfecte plenarieque Chriſtianum, quam hujuſmodi perfectionem poſt annos acquirere, præſertim quod contingere poteſt, ante uſum rationis decedere, quo dato minori gloriæ gradu frueretur, ſi confirmatus non eſſet; Ita loquitur S.Th. in 4. diſ.7.qu.3.art.2. quæſtiun.2. S.vero Bonavent. in 4.diſ.7. art.3.qu.1. in reſolut. tituli inquit, quod ſicuti ad prudentem Ducem pertinet milites ſuos ante pugnæ tempus præmunire, ita etiam ad Eccleſiaſticos Duces ſpectat baptizatos ante ſpiritualis certaminis tempus, quod incipere ſolet, dum rationis advenit uſus, per Sacramentum confirmationis fideles roborare. Huic etiam ſententiæ favet antiquus uſus Eccleſiæ.

201. Audi modo rationes pro parte negativa. Primo; Cum agitur de aliquo Sacramento, cujus neceſſitas non urgeat, major reverentia Sacramento præſtatur, ſi propria fide ac diſpoſitione ſuſcipiatur, atque id ſuſcipienti etiam eſt utilius, cum ſic majorem gratiam ex opere operato recipiat. Secundo. In confirmatione fit ſecunda fidei profeſſio, in baptiſmo fit prima; Quare, ſi hæc facta eſt per aliorum actus, expedit, ut illa

illa fiat per proprios. Tertio, ſi fidelis confirmetur, dum gaudet rationis uſu, non exponitur Sacramentum periculo iterationis, quia inter Chriſtianos non tam facile præſumitur quis confirmatus, ſicut baptizatus; & propter hoc confirmatus cœditur alapa, ut aliqui exiſtimant, quamvis cauſa præcipua eſt, *ut meminerit ſe deinceps pro nomine Jeſu contumeliam libenter paſſurum*; ut loquitur Concil. Colonien. par. 7. cap. 9.

202. Cum igitur ex jure naturali aut nihil concludi poſſit, aut utrumque licite fieri poſſit, videndum ſupereſt, quid juxta jus poſitivum Eccleſiaſticum fieri debeat.

Dico 3. ſervandum eſſe morem propriæ Eccleſiæ juxta illam Ambroſii regulam, quam adeo commendat S. Auguſtinus: *Ad quam forte Eccleſiam veneris, ejus morem ſerva, ſi cuiquam non vis eſſe ſcandalo, nec quemquam tibi*; & idem Auguſtinus epiſt. 54. ad Januar. ait: *Quod neque contra fidem, neque contra bonos mores eſſe convincitur, indifferenter eſt habendum, & propter eorum, inter quos vivitur ſocietatem, ſervandum eſt*. Priſcis temporibus, ut dictum fuit, ſtatim poſt baptiſma dabatur confirmatio, nunc vero in variis Conciliis ſtatutum eſt, ut nonniſi accedente uſu rationis, ideſt ſaltem poſt ſeptennium, niſi alia cauſa urgeat, conferatur; hoc reperies in Synodo Lingonenſi an. 1404. Senonen. an. 1524. Mediolanen. 1. ſub S. Carolo an. 1565. Catechiſm. Rom. juſſu Pii V. edito. Imo in cap. *Ut jejuni* de conſecrat. diſ. 5. ubi dicitur: *Ut jejuni ad confirmationem veniant perfectæ ætatis*. Gloſſa intelligit ætatem duodecim annorum, quod tamen non approbo, etenim in primis textus iſte, qui à Gratiano citatur ex Concil. Aurelian. cap. 3. in nullo ex Conciliis Aurelianenſibus reperitur, deinde explicari poſſet ſic, ut illi, qui jam ſunt in ætate perfecta, ſi confirmari velint, accedant jejuni.

203. Dixi, *niſi alia cauſa urgeat*. Nam ſi mortis periculum immineret, etiam ante ſeptennium licitum eſt, ac expediens confirmationem miniſtrare. Hoc expoſitum fuit in Concilio Pariſienſi 6. in quo decretum fuit, quod ſicuti baptiſmus ſolemnis duobus temporibus conferebatur, ideſt Paſchate & Pentecoſte, ita etiam Spiritus Sanctus per impoſitionem manus fidelibus traderetur, exceptis tamen infirmis, & morte periclitantibus; ſed mihi ſufficiat afferre verba S. Thom. 3. par. quæſt. 72. art. 8. ad 4. quæ ſunt iſta: *Morituris hoc Sacramentum dandum eſt, ut in reſurrectione perfecti appareant, ſecundum illud Epheſ. 4. Donec occurramus omnes in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti; & ideo Hugo de S. Victor. dicit: Omnino periculum eſſet, ſi ab hac vita ſine confirmatione migrare contingeret, non quia damnaretur, niſi forte propter contemptum, ſed quia detrimentum perfectionis pateretur; Unde etiam pueri confirmati decedentes, majorem gloriam conſequuntur, ſicut & hic majorem obtinent gratiam*.

204. Si tamen contra hanc doctrinam aliquid daretur proponere, poſſet quis dicere, quod pari ratione liceret etiam atque expediret pueris ante uſum rationis Euchariſtiam exhibere, nam ea omnia, quæ de confirmatione dicta ſunt, poſſunt etiam ſuo modo Euchariſtiæ aptari, ut conſideranti manifeſtum eſt.

205. Quæres, quænam diſpoſitiones neceſſariæ ſint, ac convenientes ex parte illius, qui confirmationis recipit Sacramentum.

Reſp. ſi de neceſſaria diſpoſitione loquamur, ille, qui ad confirmationis Sacramentum recipiendum accedit, ſi gravis alicujus peccati conſcius ſit, debet ſacramentali confeſſione ſe mundare; atque hoc commune eſt, de quocumque Sacramento fiat ſermo; debet inſuper in ſanctis operibus, & præſertim in oratione ſe exercere, ſicut actum eſſe ab Apoſtolis, quibus Spiritus Sanctus

ctus promiſſus erat, & de quibus legitur: *Erant perſeverantes in oratione*.

Sunt vero & aliæ diſpoſitiones, quæ ſe tenent ex parte corporis. Olim requirebatur, ut tantum jejunis confirmatio tribueretur, ut conſtat ex cap. *Ut jejuni*, à nobis citati num. 202. cujus conſuetudinis mentionem etiam facit Magiſter ſententiarum; Poſt ſæculum duodecimum etiam non jejunis dari conſuevit, attamen juxta Catechiſmum Romanum laudabilis eſt prior illa conſuetudo, & quantum fieri poteſt, eſt obſervanda. Qui confirmandi ſunt, frontem habeant apertam & mundam, vittamque lineam habeant, qua ſacro chriſmate illitam contegant, quem ritum perantiquum eſſe, legitur in Ordine Romano, & Amalario lib. de Divinis Officiis; Incedant inſuper tam mares, quam feminæ ſine aliquo fuco, ſed veſte ad modeſtiam compoſitam induti, quod etiam à patrinis ſervandum eſſe, Sacramenti dignitas poſtulat.

QUÆSTIO V.

De Charactere, quem imprimit, & de gratia, quam Sacramentum Confirmationis producit.

ARTICULUS I.

Utrum Confirmatio imprimat characterem.

206. IN quæſtionibus de Sacramentis in genere de hac re dictum eſt, & ſatis eſſe poſſet reſoluta difficultas, nihilo tamen minus, hìc, tanquam in proprio loco res pertractanda videtur; Quid de confirmatione ſenſerint Novatores, jam notum eſt, characterem hunc ab ipſis irrideri, & Dallæus lib. 1. cap. 3. de confirmat. Catholicam aſſertionem inter ſomniantium deliramenta reponit. Totus autem hujuſce quæſtionis cardo in eo ſitus eſt, quo ſtatuatur; utrum confirmatio iterari poſſit; ſi enim hoc affirmetur, plane per ipſam characterem non imprimi, compertum ſit, ſi autem negetur, oppoſitum eſt concludendum.

207. Dico. Per confirmationem imprimi characterem, nec iterari poſſe.

Si probationem aliquam licet ex Scriptura ſancta depromere; afferri ſolet illa Pauli ad Hebr. 6. ubi ſic ait: *Non rurſus jacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, & fidei ad Deum, baptiſmatum doctrinæ, impoſitionis quoque manuum*. Et alia ibidem: *Impoſſibile eſt, eos, qui ſemel illuminati ſunt, & participes facti ſunt Spiritus Sancti, & prolapſi ſunt, iterum renovari ad pœnitentiam*. In primo textu æquali modo fit ſermo de baptiſmate, & de manuum impoſitione, quæ Sacramentum ſit, & æquali modo illum intellexerunt Sancti Patres, manuumque impoſitionem pro confirmatione uſurparunt Chryſoſt. Theodoret. Ecumen. Theophilact. Secundus autem textus reddit hunc ſenſum juxta eorumdem Patrum explicationem; Fieri nempe non poſſe, ut qui ſemel per baptiſma illuminatus eſt, iterum ſuſcepto baptiſmate baptizetur, & qui ſemel per confirmationem particeps Spiritus Sancti factus eſt, iterum ſuſcepta confirmatione particeps fiat.

Quod

208. Quod vero ſenſerunt Patres Græci, quos adduximus, hoc & docuerunt Patres Latini. Tertullian. lib. de præſcript. ait Diabolum ſe efficere Simiam Dei, & ideo *ſignare illic in fronte milites ſuos*. Sed hoc teſtimonium adductum tamen à pleriſque nihil probat, etenim à diabolo character nullus imprimi poteſt; potius igitur probabunt idem Tertull., Cornel. Papa, Cyprian. Sanctuſque Leo dicentes, Chriſtianos in confirmatione ſignari tanquam milites Chriſti; atque ideo, quemadmodum ſignum illud deleri non poteſt, quod in deſertoribus etiam militibus conſervatur, ita ſignum per confirmationem imprimitur tale, ut etiamſi Chriſti caſtra dereliquerint, falſamque religionem amplectantur, attamen perſeverat. Clarius in hac re præter Auguſtinum adverſus Donatiſtas, & Parmeniani epiſt. cap.13., cujus verba alibi à nobis adducta ſunt, loquuntur Gregor. Magnus, & Gregor. II. Primus lib. 14. apud alios 12. epiſt. 17. apud alios 31. ait: *Hoc vos rite tenere debetis, quod nos ab anteceſſoribus noſtris traditum accepimus, id eſt, ut quoties tam de baptiſmo aliquorum, vel confirmatione, quàm de Eccleſiarum conſecratione dubitatio habetur ..... utrum baptizati, vel confirmati, ſive Eccleſiæ conſecratæ ſint, ut baptizentur tales, confirmentur, atque Eccleſiæ canonicè dedicentur, ne talis dubitatio, ruina fidelibus fiat, quoniam non monſtratur iteratum, quod non certis indiciis oſtenditur rite peractum*. Alter vero epiſt. 60. ad Bonifac. inquit: *Qui à Pontifice confirmatus fuit, denuo illi talis reiteratio prohibenda eſt*. Juxta primum Gregorium ſtatuit Conc. Tolet. 8. cap. 7. *Sanctum chriſma collatum, & altaris honorem avelli non poſſe*. Juxta Gregorium alium Conc. Cabillonen. 2. can. 27. ait: *Dictum eſt nobis, quod quidam de plebe bis aut ter ab Epiſcopis, ignorantibus iiſdem Epiſcopis confirmentur. Unde nobis viſum eſt, eamdem confirmationem, ſicut nec baptiſmum, iterari minime debere*. Quid plura? pro omnibus ſit Concilium Trident. ſeſs. 7. cap. 9.

209. Contra hoc videtur eſſe id, quod docet S. Auguſt. lib. 3. de Baptiſ. contra Donatiſ. cap. 16. ubi ait: *Manus impoſitio, non ſicut baptiſmus, repeti non poteſt; Quid eſt enim aliud, niſi oratio ſuper hominem*. Sicut igitur per orationem nullus character imprimitur, & repeti poteſt, ita etiam confirmatio; Verum, jam alibi explicatum eſt, ibi Sanctum Doctorem non loqui de manus impoſitione confirmatoria, ſed reconciliatoria.

210. Quod ampliorem controverſiæ locum facit, eſt perantiquus ritus, quo Hæretici redeuntes ad Eccleſiam per manus impoſitionem atque unctionem recipi ſolebant. Si enim iſte fuiſſet verum confirmationis Sacramentum profecto confirmatio iterata fuiſſet, quia juxta Catholicam veritatem illi hæretici præſupponebantur jam confirmati, ſupponimus enim quod alio in loco probavimus, etiam hæreticos vera Sacramenta conferre, dummodo utantur debita materia & forma, nec careant intentione faciendi quod facit Eccleſia; Quia tamen non eſt eadem certitudo de confirmatione, quæ de baptiſmo, cum pro hoc, non pro illa habeamus definitionem Stephani Papæ, ideo abs re non erit, ſi ut firmius de laudato ritu quidpiam reſolvamus, id ex inſtituto examinemus. Quare

ARTICULUS II.

Utrum Confirmatio olim ab Hæreticis data fuerit verum Sacramentum & characterem imprimeret.

211. Dicendum; Confirmationem olim ab hæreticis datam fuiſſe verum Sacramentum, proinde characterem contuliſſe; Tam certa eſt hæc aſſertio, ut mirum ſit, duos Catholicos Scriptores, ideſt Morinum lib. 9. de pœnit. cap. 9. & 10. & Maldonatum tom. 1.

tom. 1. de Sacram. qu. 2. contrarium docuiſſe; Quamvis tamen illam exiſtimem omnino certam, attamen de fide eſſe, abſolute non affirmo, cum nulla habeatur expreſſa definitio.

212. Pluribus porro momentis poſitam aſſertionem oſtendo. Primum expono juxta praxim omnium Eccleſiarum, apud quas confirmatio ab hæreticis Epiſcopis data nunquam iterata fuit; Si Romanam Eccleſiam conſideremus, nobis ſufficiat, quod ſcripſit Stephanus Papa in epiſt. ad Cyprian., ideſt: *Si quis ergo à quacumque hæreſi venerit ad nos, nihil innovetur, niſi quod traditum eſt, ut manus illi imponatur in pœnitentiam.* Hoc Stephani decretum approbarunt alii Summi Pontifices Julius, Sylveſter &c. ut fatetur S. Hieronym. in dial. adverſus Luciferian. qui ibidem juxta Apocalypſim inquit: *Numquid dixit* (Angelus) *Rebaptizentur qui in fide Nicolaitarum ſunt baptizati? vel imponantur eis manus, qui eo tempore apud Pergamenos crediderunt? Quin potius, Age, inquit pœnitentiam*; quodve confirmat Innoc. I. epiſt. 18. dicens: *Arianos baptizatos in hæreſi ſuſcipi in Eccleſia per manus impoſitionem ſub imagine pœnitentiæ.*

213. Ut hujuſce argumenti vim enervet Morinus dicit, non eſſe legendum *in pœnitentiam*, ſed *in Spiritum Sanctum*, ſed in primis oſtendat mihi, aliquod ex nunc extantibus exemplaribus, in quo ſcriptum ſit *in Spiritum Sanctum* & non *in pœnitentiam*. Ipſe Cyprianus referens epiſt. 74. Stephani ſanctionem bis repetit manus impoſitionem *in pœnitentiam*; & quamvis etiam legeretur *in Spiritum Sanctum* nihil evinceretur, nam ipſa pœnitentia, ex mortuis revocando, Spiritum Sanctum elargitur.

214. Poſt Romanam Eccleſiam conſideremus Africanam; & pro iſtius praxi duo afferemus teſtimonia clariſſima; Unum Sancti Auguſtini, alterum Optati Milevitani; Docuerat jam Cyprianus, ab hæreticis oleum confirmationis conſecrari non poſſe, & in epiſt. ad Januarium ſic ſcribit: *Sanctificare non potuit olei creaturam, qui nec altare habuit, nec Eccleſiam; Unde nec unctio ſpiritualis apud hæreticos eſſe poteſt, cum conſtet oleum ſanctificari, & Euchariſtiam fieri apud illos omnino non poſſe.* Quid autem Auguſtinus? Aſſumit principium à Cypriano conceſſum, quod erat, oleum ab hominibus iniquis, dummodo rectam fidem haberent, conſecrari poſſe, & ſic argumentatur: *Cur autem ad verba, quæ procedunt ex ore homicidæ poſſit Deus oleum ſanctificare, & in altari, quod hæretici poſuerunt, non poſſit, neſcio.* Et lib. 5. de baptiſmo idem expreſſe ſic docet: *Sicut ſanctificatur oleum ad verba, quæ procedunt ex ore homicidæ, ita etiam ſanctificatur in hæreticorum altari, quia nullis hominum falſitatibus impeditur Deus, quo minus ſuis Sacramentis adeſſe dignetur.*

Nunc ad Optatum Milevitanum; Hic lib. 7. adverſus Parmenianum Donatiſtam, qui dicere audebat, Catholicos eſſe muſcas morituras, ſic ait: *Numquid nos exterminamus oleum veſtrum, ut merito nos muſcas morituras appelletis? Quod veſtrum eſt, apud vos eſt, & ſi à vobis ad nos aliquis tranſitum fecerit, ſic à nobis ſervatur, ſicut à nobis dimittitur, &c.* Ratum igitur à Præſulibus Africanis habebatur oleum Donatiſtarum, proinde etiam rata ac valida confirmatio, quam non repetebant.

215. Neque aliud Orientalis ſenſit Eccleſia, quod ſatis patet ex can. 8. primi Concilii Nicæni, in quo Novatiani ad Eccleſiam venientes juſſi ſunt ungi: *Novatiani*, ſcribit Theodoretus lib. 3. hæreticarum fabularum, *iis, qui ab ipſis tinguntur, ſacrum chriſma non præbent, quocirca etiam, qui ex hac hæreſi corpori Eccleſiæ conjunguntur, laudatiſſimi Patres ungi præceperunt.* Attendas velim cauſam, ob quam Novatiani ſic recipiebantur, quia videlicet, ab ipſis ſacrum chriſma non præbebatur, quæ ratio

tio inanis omnino fuiſſet,ſi Patres orientales etiam alios hæreticos confirmaſſent, eorumque confirmationem nullam habuiſſent.

216. Rationes etiam Theologicæ, quibus hæc veritas oſtendatur, & confirmetur, non deſunt; Siquidem Epiſcopus hæreticus vere eſt Epiſcopus,nec amittit vel characterem Epiſcopalem, ſi hic imprimatur, de qua re in proprio loco tractabitur, vel illam poteſtatem, quam acquirit per conſecrationem, quæ procul dubio iterari non poteſt; ergo eſt idoneus Miniſter confirmationis, ſi igitur, adhibeat reliqua eſſentialia ad Sacramentum, verum Sacramentum conficit, & quemadmodum Sacerdos, licet degradatus, apoſtata, & hæreticus, valide conficit Sacramentum Euchariſtiæ, ita Epiſcopus licet &c. valide conferet confirmationem; Aliud argumentum à ſimili afferri poteſt, nam ſi valida eſt ordinatio facta ab Epiſcopo hæretico, ſeu præciſo, quæ proinde ab Eccleſia non iteratur, ut in propria quæſtione de ordinibus oſtendemus, cur valida non erit confirmatio?

217. Denique; ſi valida non eſſet confirmatio ab hæreticis data, atque fuiſſet in Eccleſia repetita, invictum argumentum Cyprianus adverſus Stephanum, & Donatiſtæ contra Auguſtinum produxiſſent ſic; Confirmatio data ab hæreticis non valet, ergo nec valet baptiſmus ab hęreticis collatus;Quid enim reſpondere potuiſſent, mihi non apparet, nec tamen hoc argumento uſi ſunt; ergo quia exiſtimatum eſt, confirmationem ab hæreticis datam validam fuiſſe ſemper eſſe judicatum.

218. Op.1. Innoc.I. epiſt.18. cap.3. de hæreticis ſic loquitur: *Eis ſolum baptiſmum ratum eſſe permittimus..... Nec dare Spiritus Sancti plenitudinem poſſunt, quam per impietatis ſuæ perfidiam perdiderunt.* Leo Papa epiſt. 35. cap. 2. aſſerit, baptizatum ab hæretico non eſſe rebaptizandum, *ſed hoc ei eſſe conferendum, quod ibi defuit, ut per Epiſcopalem manus impoſitionem virtutem Sancti Spiritus conſequatur*. Et idem tradit epiſt. 77. dicens, baptizatos ab hæreticis per manus impoſitionem eſſe confirmandos, quare? *Ut, quod ab hæreticis nemo accipit, à Catholicis Sacerdotibus conſequatur*. Euſebius vero Papa epiſt. 3. circa finem hæc habet. *Hæreticos omnes, quicumque Dei gratia convertuntur, & in Sanctæ Trinitatis nomine credentes baptizati ſunt, Romanæ Eccleſiæ regulam tenentes per manus impoſitionem reconciliari præcipimus*. Et ne teſtimonium hoc de alia manus impoſitione, quæ ad Sacramentum confirmationis non pertinet, explicare poſſimus, ſtatim ſubdit laudatus Pontifex. *Manus impoſitionis Sacramentum magna veneratione tenendum eſt*.

219. Reſp. Quantum attinet ad Innocentium I. dici poteſt in primis, ibi Summum Pontificem non loqui de confirmatione, ſed de ordine dato ab Epiſcopo hæretico, quem dicit non eſſe ratum, non quo ad ſubſtantiam, & valorem, ſed quo ad uſum, honorem, dignitatem, & privilegia ad Clericos pertinentia, ut nos dicemus in tractatu de Ordine, & innuit idem met Innocent. inquiens: *Non videtur, Clericos eorum cum Sacerdotii,aut Miniſterii cujuſpiam ſuſcipi debere dignitate*, quod dixit propter rationem ſuperius expoſitam; Dici ſecundo poteſt, ſic locutum eſſe Pontificem quantum ad licitam Sacramentorum adminiſtrationem, ita ut hæretici ſolum baptiſmum, quia eſt ſimpliciter ad ſalutem neceſſarius, poſſint licite adminiſtrare, & in hoc ſenſu ſolum baptiſmum ratum eſſe permittebatur; Quod vero additur, per hæreticos non dari Spiritus Sancti plenitudinem, de illis intellige, qui voluntarie, & ſine ſufficienti neceſſitate recipientes ab hæretico Sacramentum, Sacramenti effectum non percipiunt, ut alibi à nobis dictum eſt, & ideo ad Eccleſiam venientes per manus impoſitionem reconciliativam

ſuſcipiebantur *ſub imagine pœnitentiæ*, *& invocatione Spiritus Sancti*.

Quantum ad S. Leonem, eadem explicatio aptiſſima eſt, ita ut quando illi, qui voluntarie & cum fictione ab hæreticis baptiſmum ſuſceperunt, convertuntur, per manus impoſitionem reconciliativam virtutem Spiritus Sancti recipiant, non quidem eo modo, quo in confirmatione recipiunt, ſed quo modo in baptiſmo; Quod ſi poſteriorem locum velit quis intelligere de confirmatione, eum accipiat cum limitatione, nempe ſermonem fieri de illis hæreticis, qui veris Epiſcopis carent, à quibus confirmentur; vel etiam non fuerunt confirmati.

Supereſt quid dicendum de Euſebio Papa; Si priorem textus partem conſideremus; jam manifeſtum eſt, loqui de manus impoſitione reconciliativa, ait enim, *reconciliari præcipimus*. Si autem poſteriorem, fatemur, de confirmativa ſermonem habere; ſed nihil mirum, cum diverſis interrogationibus reſponſum daret; Atque obſerves, in priori parte abſolute dicere, *manus impoſitionem* in alia vero, *manus impoſitionis Sacramentum*.

220. Op. 2. ex aliquibus Conciliis. Arelaten. 1. can. 8. ſic ſtatuit; *Manus eis tantum imponatur, ut accipiant Spiritum Sanctum*. Et Arelat. 2. cap. 17. *Cum chriſmate & manus impoſitione, in Eccleſia recipi ſufficit*. Porro in priori definitione manus impoſitionem à confirmationis Sacramento non diſtingui, colligitur ex Siricio Summo Pontifice, qui in epiſt. ad Himerium Epiſcopum Tarraconenſem cap. 1. vetat Arianos baptizari, & ſubdit, *quos nos cum Novatianis aliiſque hæreticis, ſicut eſt in Synodo* (Arelatenſi) *conſtitutum, per invocationem ſolam ſeptiformis Spiritus, Epiſcopalis manus impoſitione, catholicorum conventui ſociamus, quod etiam totus Oriens, occidenſque cuſtodit*. Atqui, ut dictum eſt, Novatiani recipiebantur per manus impoſitionem, quæ confirmationis Sacramentum erat, ergo & hoc modo recipiebantur alii hæretici. Hoc totum fuit etiam ſtatutum in Concil. Conſtantinopolitano cap. 7. ubi leguntur hæc verba. *Eos, qui rectæ fidei adjiciuntur, recipimus ſecundum ſubjectam hic conſequentiam & conſuetudinem, Arianos quidem, & Macedonianos, & Sabbatianos, & Novatianos, & Theſſaradecatitas, & Appollinariſtas recipimus, dantes quidem libellos, & omnem hæreſin anathematizantes .... & ſignatos, ſive unctos primum ſancto chriſmate, & frontem, & oculos, & nares, & os, & aures, & eos ſignantes dicimus, ſignaculum doni Spiritus Sancti*. Quid mehercle amplius requiritur, ut dicamus confirmatos ab hæreticis, rurſus in Eccleſia Catholica confirmatos fuiſſe? certum enim eſt, quod exceptis Novatianis, omnes in ſua hæreſi prius fuerant conſignati, cum omnium orientalium conſuetudo eſſet, baptiſmum & confirmationem ſimul conferre, ex alia parte adhibebatur materia & forma confirmationis, dictum eſt enim, græcorum formam eſſe iſtam, *ſignaculum doni Spiritus Sancti*; ergo.

221. Reſp. ex hiſce omnibus non probari, unctionem illam, manuſque impoſitionem fuiſſe verum Sacramentum confirmationis, ſed ſimplicem cæremoniam ad reconciliandos cum Eccleſia hæreticos illos converſos, dummodo Novatianos excipias, alioſque qui prius confirmati non eſſent; Neque ad Sacramentum confirmationis perficiendum ſufficit adhibere eamdem materiam, eamdemque formam, ſed præterea requiritur intentio, & quod eodem modo producatur effectus, quo per tale Sacramentum producitur, hoc autem non eveniebat per illam unctionem, impoſitionem, & per illa verba, cum daretur quidem Spiritus Sanctus, ſed non ad robur & ex opere operato, ſed ſolum ad pacem & reconciliationem cum Eccleſia, & ex opere operantis, ſine qua pace & reconciliatione Sacramen-

mentum hæreticorum nullum habebat effectum; Audiamus Sanctum Auguſtinum, qui lib. 5. de Baptiſmo cap. 23. ita loquitur. *Manus autem impoſitio, ſi non adhiberetur ab hæreſi venienti, tanquam extra omnem culpam eſſe judicaretur; propter autem charitatis copulationem, quod eſt maximum donum Spiritus Sancti, ſine quo non valent ad ſalutem quæcumque alia ſancta in homine fuerint, manus hæreticis correctis imponitur.* Ita profectu unctio illa manuſque impoſitio operabatur pro habendo fructu confirmationis in hæreſi receptæ, ſicut remotio fictionis, in qua quis baptiſma ſuſceperat; de hac autem fictionis remotione hæc ſcribit S. Auguſt. lib. 1. de baptiſmo cap. 12. *Qui baptiſma Chriſti inimicus charitatis & pacis Chriſti in aliqua hæreſi, aut ſchiſmate accepit, quo ſacrilego ſcelere peccata ejus non dimittebantur, cum ſe correxerit, & ad Eccleſiæ ſocietatem, unitatemque venerit, non iterum baptizandus eſt, quia ipſa ei reconciliatione & pace præſtatur, ut ad remiſſionem peccatorum ejus in unitate jam prodeſſe incipiat Sacramentum, quod acceptum in ſchiſmate prodeſſe non poterat.* Ex his habes, quid ſingulis reſpondeas. Non deſunt aliqui facilius ſe expedientes dicendo, hæreticos illos, quorum ſeriem Synodus deſcribit, eo ſæculo de confirmatione ſuis Neophytis conferenda non curaſſe; atque ideo illa omnia abſque aliquo veritatis noſtræ præjudicio admitti poſſe. Inſuper obſerves velim, ea dicta eſſe non ſolum de illis, qui ab hæreticis baptizati, & confirmati fuerant, ſed etiam de illis, qui erant baptizati & confirmati in Eccleſia Catholica, & poſtea lapſi, ergo illa manus impoſitio eſſe non poterat confirmationis Sacramentum, alioquin dicendum eſſet, confirmationem acceptam in Eccleſia Catholica per hæreſim amitti, quod eſt hæreticum.

222. Opp. 3. ex Sancto Cypriano; Neque vero proferam ea, quæ dixit juxta errorem, in quo ipſe verſabatur, nam quemadmodum exiſtimabat, baptiſmum collatum ab hæreticis nullum eſſe, ita idem de confirmatione aſſerebat; ſed illa tantum producam, quæ ipſe ut probaret nullum eſſe hæreticorum baptiſmum ex Stephani Papæ doctrina colligebat. Supponit porro Cyprianus tanquam principium certum, Stephanum Papam non admiſiſſe illam confirmationem, quam contuliſſent hæretici; & ſic argumentum conficit epiſt. 74. *Cur non in ejuſdem Chriſti nomine illic* (apud hæreticos) *baptizato manus imponitur ad accipiendum Spiritum Sanctum? Cur ejuſdem majeſtas nominis non prævalet in manus impoſitione, quam valuiſſe contendant in baptiſmi ſanctificatione? Nam ſi poteſt quis extra Eccleſiam natus templum Dei fieri, cur non poſſit ſuper templum & Spiritus Sanctus infundi?* Sic autem in forma videtur exponere: Apud te, o Stephane, non valet manus impoſitio ab hæretico data, ergo neque baptiſmus, aut ſi valet iſta, quare non illa? Ex hoc ratiocinio facto à Cypriano infertur, non ſatis firme afferri rationem à nobis expoſitam proinde deceptos fuiſſe Doctores illos, qui ea uſi ſunt.

223. Si quis alius præter Cyprianum hoc mihi opponeret, me non mediocriter coarctaret, non quia quemquempiam Cypriano doctiorem exiſtimem, ſed quia ſuæ cauſæ ſtudio abreptus, Cyprianus id vidit, quod ſe videndum non exhibuit, atque illud judicavit, quod ſe judicandum non præbuit; Sic enim humanæ res ſe habent, ut homines nimium opinioni propriæ adhærentes, veritatis lucem non videant, ſed ſub veritatis larva falſitatem ſequantur; Putavit igitur Martyr ille ac vir doctus, Stephanum in ea fuiſſe ſententia, qua confirmationem ab Hæreticis datam tanquam inanem rejiceret, ſed res ita non erat, cum negaret quidem confirmationis effectum, ideſt gratiam & Spiritum Sanctum, non tamen confirmationis valorem & ſubſtantiam, atque ideo

ideo ut confirmati Spiritum Sanctum reciperent, ad fidem converti, & per manus impoſitionem reconciliatoriam, pacis ac ſocietatis unitati copulari debebant; Cum vero Cyprianus effectum Sacramenti à ſubſtantia & valore non diſtingueret, ut obſervavit pluries S. Auguſtinus, exiſtimans, Stephanum approbare baptiſmum Hæreticorum quantum ad utrumque, idem etiam concludebat de confirmatione, quæ concluſio optima fuiſſet, ſi vera fuiſſet hypotheſis illa.

224. Dices 1. Illa manus impoſitio, per quam Stephanus aſſerebat, hæreticos recipiendos eſſe, revera in Cypriani mente erat verum confirmationis Sacramentum, etenim relato Stephani Decreto fatetur cum eodem, Hæreticis redeuntibus imponendas eſſe manus, ſed iterato baptiſmate in hæreſi recepto, quod fieri non debere dicebatur à Stephano, & ſcribens ad Jubajanum inquit: *Parum eſt eis manum imponere ad accipiendum Spiritum Sanctum, niſi accipiant & Eccleſiæ baptiſmum, tunc enim demum plene ſanctificari, & eſſe Filii Dei poſſunt, ſi Sacramento utroque naſcantur.*

Sed contra; jam reſponſio data eſt, id ex priori falſa ſuppoſitione in mente Cypriani fuiſſe, ſed ſicuti erravit in uno, ſic & in altero. Aliqui tamen dicunt, per utrumque Sacramentum nequaquam intellexiſſe baptiſmum & confirmationem, ſed duas baptiſmi partes, ſcilicet aquam baptiſmi, & Spiritus Sancti collationem, ſine qua nullum per ipſum Sacramentum erat; Hoc manifeſtum fit ex ejuſdem epiſtola 73. ubi ſic loquitur: *Ideo baptizari eos oportet, qui de hæreſi ad Eccleſiam veniunt, ut qui legitimo, & vero, atque unico Sanctæ Eccleſiæ baptiſmo ad regnum Dei regeneratione divina præparantur, Sacramento utroque naſcantur, quia ſcriptum eſt, niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum Dei.*

225. Dices 2. Ipſe Stephanus Papa illam manus impoſitionem, per quam dicebat Hæreticos eſſe recipiendos, eſſe confirmationis Sacramentum intellexit, ergo putavit confirmationem datam ab Hæreticis nullam eſſe. Prob. ant. quia illa manus impoſitio, de qua Stephanus, comparatur illi, de qua Act. 8. ubi Petrus & Joannes leguntur impoſuiſſe manus ſuper baptizatos à Philippo, ſed hęc erat confirmationis Sacramentum, ergo & illa, ant. oſtenditur ex iis, quæ in eadem epiſtola ſcribit Cyprianus.

Sed contra; negamus, illam manus impoſitionem à Stephano præſcriptam eamdem fuiſſe cum illa, de qua Act. 8. neque hoc unquam Stephanus dixit, ſed alii quidam, quorum nomina non deſcribuntur, ut obſervat S. Auguſt. lib. 3. contra Donatiſt. cap. 1. Quare vel Cyprianus id non dixit de Stephano, vel etiam in hoc deceptus fuit.

226. Op. 4. Dari debet diſcrimen aliquod inter impoſitionem manus, per quam recipiebantur Hæretici apoſtatæ, ideſt baptizati in Eccleſia, & inter illam, per quam recipiebantur hæretici baptizati extra Eccleſiam; hoc autem diſcrimen aliud non eſt, niſi quod illi recipiebantur per manus impoſitionem in pœnitentiam, iſti vero in Spiritum Sanctum, ſed manus impoſitio in Spiritum Sanctum, ut diſtinguatur à manus impoſitione in pœnitentiam, nequit eſſe reconciliatoria, ſed confirmatoria, ergo baptizatis extra Eccleſiam, redeuntibus conferebatur manus impoſitio confirmatoria.

Reſp. Fatemur diſcrimen aliquod inter haſce manus impoſitiones admittendum eſſe, negamus tamen in eo conſiſtere, quod manus impoſitio in Spiritum Sanctum fuerit confirmatoria; diſcrimen hoc erat, quod manus impoſitio in Spiritum Sanctum, per quam recipiebantur hæretici extra Eccleſiam baptizati, erat pœnitentia mitior & levior, unde dicebatur imago, ſeu umbra pœnitentiæ, altera vero erat durior & gravior; & certe ipſa rei natura hoc poſtula-

ſtulabat, quia gravius peccavit, qui baptizatus in Eccleſia, ab Eccleſia receſſit, quam qui nutritus in aliqua hæreſi in ea fuerat baptizatus; optime pro hac re loquitur Auguſt. lib. 2. contra Creſcon. cap. 16. inquiens: *Faciliore venia quod nondum habuerunt accipiunt, quam ſi habuiſſent, & tamen deſeruiſſent. Et hoc diſcernitur apud nos, ut aliter recipiantur qui Catholicam reliquerunt, aliter qui ad illam primitus veniunt, Illos enim amplius gravat deſertionis crimen*. Quod ſi interdum ſub leviſſima pœnitentia etiam apoſtatas ſuſcepit Eccleſia, hoc ex prudenti œconomia, & ob majorem utilitatem actum eſſe cognoſcimus.

227. Opp. ultimo contra rationem à nobis expoſitam. Hæreticus Epiſcopus, etſi retineat charecterem & ordinationem Epiſcopalem, attamen caret Spiritu Sancto, hunc igitur conferre non poteſt, proindeneque Sacramentum confirmationis, in quo Spiritus Sancti plenitudo deſcendit. Præterea, ſatis intelligi poteſt Epiſcopalis ordinationis permanentia, quin tamen dicamus, Epiſcopum hæreticum conferre poſſe confirmationem, ſi dicamus, Chriſtum inſtituiſſe, hujuſmodi ordinationem non ſufficere, ſed requiri, Miniſtrum eſſe ab Eccleſia, & in Eccleſia toleratum, ſicuti character ſacerdotalis non ſufficit, niſi accedat Summi Pontificis facultas.

Reſponſio quo ad primum jam data eſt in quæſt. de Sacram. in genere, ubi agebatur de Sacramentorum Miniſtris; ad ſummum probatur, hæreticum Epiſcopum confirmationis effectum dare non poſſe, non vero confirmationem. Ad 2. probent talem fuiſſe Chriſti inſtitutionem, qualem fingunt, tunc aſſentiemur; ſedcontrarium à nobis demonſtratum eſt.

228. Ex hiſce omnibus patet quid ſentiendum ſit de illo ritu, quo hæreticos redeuntes per manus impoſitionem Eccleſia recipiebat, nempe nequaquam fuiſſe Sacramentum confirmationis, qua in re diutius non immorabor.

ARTICULUS III.

De gratia per Sacramentum Confirmationis producta.

229. FErme nihil de hoc puncto dicendum foret cum vel in uno, vel in altero loco ſatis dictum eſſe, videatur. Nihilo tamen minus rem totam hic ſimul declarabimus, atque expendemus.

Dico 1. Per Sacramentum confirmationis gratiam conferri.

Hoc ſatis probatur ex iis, quibus demonſtratum eſt, confirmationem eſſe verum novæ legis Sacramentum, non enim fieri puteſt, hujuſmodi eſſe, & gratiam non conferre, ut conſtat ex definitione Sacramenti.

230. Dico 2. Per ſe non conferri gratiam primam, ſed ſecundam, neque eſt, cur commemorem inveteratam opinionem, quæ tribuitur Raymundo Lulo, aſſerentem, primam gratiam non tribuendam eſſe baptiſmo, ſed confirmationi, per quam baptiſmus perficitur; Ratio autem aſſertionis noſtræ deſumitur ex communi illo principio, quod cauſare per ſe primam gratiam conveniat tantum Sacramentis mortuorum, atqui confirmatio non eſt hujuſmodi, ergo confirmatio per ſe primam gratiam non confert; dixi per ſe, nam, ſi per accidens & de effectu ſecundario loquamur, id dicendum eſt, quod jam in quæſt. de Sacramentis in genere pronuntiavimus. Plures Patrum auctoritates in hac re afferre poſſem, ſed inane exiſtimo in his calamum diu explicare, quod apud omnes concedi debet.

231. Dico 3. Gratiam, quæ confertur per Sacramentum confirmationis eſt gratia roboris ac virtutis ad fidem fortiter, ſtrenueque propugnandam, & illas tentationes vincendas, quæ vel à Dæmone, vel ab hominibus perſecutoribus poſſunt excitari.

Præter ea, quæ in hoc tractatu reperies pro hoc puncto, conſideres primo,

mo, homines per baptiſmum ad gratiam generari ac naſci, ſeque habere adinſtar infantium, per confirmationem vero augumentum habere, ac in vita ſpirituali quodammodo homines fieri, propterea dixit Apoſtolus Petrus epiſt. 1. cap. 2. *Sicut modo geniti infantes, rationabile ſine dolo lac concupiſcite, ut in eo creſcatis in ſalutem*. Perpendas etiam 2. ipſum confirmationis nomen, cujus veritas affirmari non poteſt, niſi prius inveniatur, quod confirmetur.

232. Juxta hæc omnes Sancti Patres loquti ſunt, quorum ſeriem congerat qui velit, mihi ſatis erunt Ambroſius lib. 3. de Sacram. cap. 2. dicens: *Poſt fontem ſupereſt, ut perfectio fiat, quando ad invocationem Sacerdotis Spiritus Sanctus infunditur*. Necnon Tertullian. lib. de reſurrect. carnis cap. 8. ubi ait: Caro ungitur, ut anima conſacretur, caro ſignatur, ut & anima muniatur; Omnia vero complectitur Eugenius IV. in Decreto inquiens: *Per baptiſmum ſpiritualiter naſcimur, per confirmationem augemur in gratia, & roboramur in fide, renati autem ac roborati nutrimur divina Euchariſtiæ alimonia, &c.* quod egregie dixit etiam Eucherius Lugdunen. hom. de Pentec. hiſce verbis: *Spiritus Sanctus, qui ſuper aquas baptiſmi ſalutifero deſcendit illapſu, in fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam, in confirmatione augmentum præſtat adgratiam, & quia in hoc Mundo tota ætate victuris inter inviſibiles hoſtes, & pericula gradiendum eſt, in baptiſmo regeneramur ad vitam, poſt baptiſmum confirmamur adpugnam, in baptiſmo abluimur, poſt baptiſmum roboramur. Ac ſic continuo tranſituris ſufficiunt regenerationis beneficia, victuris autem neceſſaria ſunt confirmationis auxilia*. Hæc omnia ſi perpendas, quo pacto unum Sacramentum cum alio non confundatur, & quomodo gratia unius ſit diverſa ab alterius gratia, facillime intelliges, quin alia effuſiori calamo tibi ſubjiciamus.

233. Poſſet autem hic inquiri, quanta ſit gratia, quæ per confirmationem conferatur; ſi loquamur abſolute, & abſque aliqua comparatione, hoc à nobis definiri non poteſt; Illud tantum exiſtimo, quod ſi recipiatur abſque obice poſitivo, ſed ſine alia diſpoſitione, conferatur quidem gratia, ſed in minimo gradu, ſi autem nec ſit obex, nec deſit diſpoſitio, juxta iſtius menſuram erit & quantitas gratiæ, quod commune eſt in omnibus Sacramentis; ſi vero rem ſtabilire comparatione facta velimus.

234. Dico; probabilius eſſe majorem gratiam conferri per confirmationem quam per baptiſmum, & alia Sacramenta, excepta Euchariſtia, pro qua ſunt peculiares rationes.

Hoc probaturus non afferam plurium Theologorum argumentum, quo dicunt, effectum, ſeu gratiam confirmationis dici perfectiorem, quia ſupponit effectum baptiſmi, & addit aliquod aliud; etenim hoc non ſervat dicta Sanctorum Patrum aſſerentium, confirmationem eſſe perfectionem, conſummationemque baptiſmi, per quam homo fit perfecte Chriſtianus, ita ut proprie per ſolum baptiſmum tali nomine dignus non eſſet, ut loquitur præſertim Cyril. Jeroſolymit. catech. 3. myſtagogica dicens: *Hujus ſancti chriſmatis dono accepto, merito appellamini Chriſtiani, veram efficientes appellationem in ipſa regeneratione; ante enim quam hæc gratia vobis donata eſſet, non eratis proprie digni eo nomine, ſed pergentes eo uſque progreſſi eſtis, ut efficeremini Chriſtiani*. Rurſus, ſi ratio illa valeret, idem de reliquis Sacramentis dicendum foret, cum omnia baptiſmatis gratiam ſupponant, ipſique aliquid aliud ſuperaddant.

235. Ex eo igitur aſſertio noſtra placet, quod apud Patres, & Concilia adeo confirmationis Sacramentum attollitur, quod dicatur Sancti Spiritus plenitudo, per quam ſeptiformis gratia confertur, perfecta ſanctitas, & conſummata virtus; atque inter cætera, quæ

quæ pro hujuſce Sacramenti commendatione dici poſſunt, eſt illa Melchiadis Papæ ſententia, qui interrogatus, de baptiſmo, & confirmatione reſpondit: *Scitote, utrumque eſſe magnum Sacramentum, & ſicut unum à majoribus fit, ideſt à Summis Pontificibus, quod à minoribus perfici non poteſt, ita & majori veneratione venerandum, & tenendum eſt*.

236. Neque ratio deeſt; nam baptizatus comparatur puero, confirmatus viro perfecto, certum autem eſt, virum excedere in quantitate & magnitudine puerum, non ſolum quia ſupponit, & includit quantitatem pueri, ſed quia major eſt quantitas data per augmentum, quàm fuerit collata per generationem; Unde & Apoſtolis die Pentecoſtes major gratia fata fuit, quam fuerit per baptiſmum. Debet autem aſſertum intelligi ex genere ſuo, & cæteris paribus, nam ſi quis eſſet magis diſpoſitus ad recipiendum Sacramentum baptiſmi, procul dubio per baptiſmum major gratia produceretur.

266. Contra hoc duo fortaſſe poſſent afferri; Unum, quod in Sacramento baptiſmi confertur gratia regenerativa & remiſſiva tam culpæ, quam cujuſcumque pœnæ, quod in confirmatione non contingit; Alterum, quod gratia baptiſmatis neceſſaria eſt ad ſalutem, non illa confirmationis.

Sed neutrum ex his probat; primum enim evincit, gratiam baptiſmatis majorem eſſe quantum ad auferendum malum, pro quo ſufficit quilibet gradus gratiæ etiam minimæ, quæ cum malo eſſe non poteſt, ad proficiendum autem in bono, & bonum adverſus hoſtes ſervandum neceſſarium eſt efficacius auxilium, & major gratia; atque ex hoc refellitur ſecundum, nam Sacramenti neceſſitas non infert uberiorem effectum, cum conſideretur tantum per reſpectum ad auferendum malum impediens ſalutem, & gloriam.

267. Sed cum dictum ſit, per confirmationem conferri majorem gratiam, quam per reliqua Sacramenta, videtur aliqua difficultas promoveri de Sacramento ordinis, ſiquidem etiam per iſtum imprimitur character, ſicut per confirmationem, & ex alia parte per Sacramentum ordinis confertur major poteſtas, & quidem in corpus Chriſti; ſed obſerva, ex majori poteſtate majorem gratiam inferri non poſſe, aliter ſequeretur, quod per Sacramentum ordinis major gratia produceretur, quam per Sacramentum Euchariſtiæ, quod ab omnibus Doctoribus negatur.

CAPUT ULTIMUM.

De cæremoniis Confirmationis.

268. Sicut agentes de Sacramento baptiſmatis, hujus cæremonias expoſuimus, ita nunc de cæremoniis confirmationis nonnulla declarare conſulto exiſtimavimus. Porro iſtæ ſunt vel antecedentes, vel ſubſequentes, vel concomitantes.

Ad primas revocatur confectio chriſmatis, quod diximus eſſe inadæquatam confirmationis materiam; in hujus conſecratione ſequentes præſertim ritus adnotabimus. Prius funduntur preces, & ſignum crucis ſuper oleum, & balſamum fit, nec non exorciſmus profertur; laudabilem iſtum ritum quis niſi impie inficiabitur? Omnem creaturam Dei per verbum Dei & orationem ſanctificari, tradidit Apoſt. 1. ad Timot. 4. Abſque crucis ſigno nihil conſecrari poſſe, docent omnes Sancti Patres, præſertim Chryſoſt. Hom. 4. in Mat., & Auguſtinus ſerm. 181. de tempore &c. Exorciſmos autem laudabiles eſſe, in proprio loco fusè declarant Doctores.

269. Epiſcopus ſuper ampullam, in qua chriſma continetur, deinde duodecim Sacerdotes inſufflant in modum crucis. Cæremoniam hanc, tanquam ſuperſtitionis argumentum irrident Nova-

Spiritus Sancti gratia indicatur, hujus enim gratiæ effectus præcipuus eſt pax.

276. Denique cœremoniæ, quæ confirmationem ſubſequuntur, reducuntur ad faſciolam, ſeu vittam lineam, qua confirmati frons circunligatur, quod quidem fit, tum ne chriſma facile defluat, tum ut ſignificetur, acceptam gratiam diligenter eſſe conſervandam juxta illud 1. Joan. 2. *Unctionem, quam accepiſtis, maneat in vobis*. In hac re propriæ Eccleſiæ conſuetudo ſervanda eſt, nam primis temporibus hujuſmodi faſciola deponebatur tantum poſt ſeptem dies, deinde poſt tres, & alicubi ſtatim, ita ut ſtatim abluatur, & exiccetur chriſma à Sacerdotibus. Atque hæc de confirmationis Sacramento ſufficiant, quæ ſinminus apte dicta ſint, nulla eſſe volumus, atque infallibili Romanæ Eccleſiæ ſententiæ demiſſiſſime ſubjicimus.

DE SACRAMENTO
EXTREMÆ UNCTIONIS.
DISPUTATIO UNICA.

IN noſtris Theologicis diſputationibus, quem cœteri Doctores, ordinem ſervarunt à nobis inverſum eſſe, nullus, qui legat, ignorat, atque hujuſce rei in noſtro quarto Tomo non prorſus incongruam, ut opinamur, cauſam reddidimus; Eumdem gerimus morem etiam in præſenti, cum de extremæ unctionis Sacramento diſputationem inſtituimus ac exponimus. Nos nequaquam latet, de eo poſt pœnitentiæ Sacramentum ab aliis pertractari, & jure merito; cum hoc pacto Sacroſancti Concilii Tridentini methodum ſequantur, quod ſeſ.14. in proemio ſic effatur: *Viſum eſt Sanctæ Synodo præcedenti doctrinæ de pœnitentia adjungere ea, quæ ſequuntur de Sacramento extremæ unctionis, quod non modo pœnitentiæ, ſed & totius Chriſtianæ vitæ, quæ perpetua pœnitentia eſſe debet, conſummativum exiſtimatum eſt à Patribus.* Totum hoc animo obſequenti recipimus, & approbamus; nec tamen mens noſtra omnino improbanda, ſi quæſtionibus ad confirmationem ſpectantibus ea etiam, quæ ad extremam unctionem pertinent, conjungamus. Primo enim, utrum de pœnitentia acturi ſimus, nondum decrevimus, & fortaſſe nonniſi poſtulati peragemus; ſecundo vero id conſideravimus, quod ſicuti per confirmationem adverſus hoſtes, quos, dum vivimus, experimur, robur accipimus, ita per extremam unctionem adverſus eos, quos morti proximi ſentiemus, munimur, atque ideo poſt habitum de priori ſermonem etiam de poſteriori diſſerere non inconſulto exiſtimavimus. Sit igitur

CA-

Digitized by Google

C A P U T I.

Utrum extrema unctio ſit novæ legis Sacramentum.

1. NOvatores Lutherani, & Calviniſtæ uno ore negant, & Dallæus duos libros conſcripſit, quibus omnia Catholicorum argumenta, quibus Sacramentum hoc probant, evertere conatus eſt; contra quos omnes definivit Concilium Tridentinum can 1. hiſce verbis: *Si quis dixerit, extremam unctionem non eſſe verè, & propriè Sacramentum .... ſed ritum tantum acceptum à Patribus, aut figmentum humanum, anathema ſit*. Optimo jure id ſtatuit Tridentinum; & propterea.

2. Dicimus; extremam unctionem eſſe verum Sacramentum.

Ut primo loco id ex Scripturis probemus, duo textus occurrunt. Unus eſt in cap.6. Marci, ubi de Apoſtolis miſſis ad prædicandum legitur: *Et exeuntes prædicabant, ut pœnitentiam agerent: & dæmonia multa ejiciebant, & ungebant oleo multos ægros, & ſanabant*. Alter eſt in cap. 5. epiſtolæ Sancti Jacobi, ubi dicitur: *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & ſi in peccatis ſit, remittentur ei*.

3. Utrum ex priori textu rite probetur, extremam unctionem Sacramentum eſſe, concordes non ſunt noſtri Theologi. Affirmant Riccardus, Waldenſis, Alphonſus de Caſtro, Nugnez, Maldonatus, & Catharinus, qui nimis rigide ac inurbane contra Cajetanum oppoſitum ſentientem ſcripſit. Iſtorum Doctorum fundamentum ſic proponi poteſt. In eo textu veri Sacramenti fit mentio, in quo mentio fit mandati Chriſti, ſignique ſenſibilis, cui annexus ſit effectus gratiæ, cum nihil præterea ad Sacramenti notionem requiratur, hæc autem omnia habentur in textu laudato; Quis enim hujuſmodi unctione uſos eſſe Apoſtolos ex arbitrio ſuo, non vero ex Chriſti præſcripto affirmabit? Quis etiam unctionem illam fuiſſe ſignum ſenſibile ex ſenſibili materia inficias ibit? Quis tandem in illa corporis ſanitate ſalutem etiam animæ, & quidem præcipue, non fatebitur? Talia ſemper fuerunt opera juſſu Chriſti ab Apoſtolis facta, ut non ſanarentur corpora niſi ſanarentur & animæ, quod & à Chriſto factum eſſe conſtat ex illo probaticæ piſcinæ infirmo Joan.5.

4. Nihilominus arbitror, ex illo textu rem noſtram non ſatis probari, quod conſonum eſt doctrinæ Concilii Tridentini ſeſs.14. cap.1., ubi ſic loquitur: *Inſtituta eſt autem ſacra hæc unctio infirmorum tanquam verè & propriè Sacramentum novi teſtamenti, apud Marcum quidem inſinuatum, per Jacobum autem Apoſtolum, ac Domini fratrem fidelibus commendatum, ac promulgatum &c.* Quod legis inſinuatum intellige adumbratum, ſeu figuratum, ſicuti per baptiſmum Joannis inſinuatum dicitur baptiſma Chriſti. Ego quidem non alio modo loquendum arbitror de ea unctione, quam laudato capite deſcribit Marcus, niſi illo, quo ſcribunt S.Mat. cap.10., & Luc. cap.9. nempe Chriſtum convocatis duodecim diſcipulis, dediſſe illis virtutem ſuper dæmonia; ſuper languores, omneſque infirmitates, quæ virtus ad aliud non referebatur, quàm ad poteſtatem Miraculorum effectricem, quæ pro illis Eccleſiæ primordiis pro dilatanda fide adeo erant neceſſaria. Quod igitur dicatur, ſanitatem corporum, quam per illam unctionem Apoſtoli conferebant, connexam fuiſſe cum gratia, ac animæ ſanitate, id prorſus ex arbitrio affirmatur, & quamvis etiam hujuſmodi connexionem concederemus gratia producta, ac animæ ſanctitas reſtituta non fuiſſet ad inſtar Sacramenti, de quo loquimur, cum nec quidpiam in eo textu dicatur de oratione Sacerdotum, nec tunc temporis Apoſtoli eſſent Sa-

Sacerdotes, cum tantum in ultima cœna fuerint Sacerdotio inſigniti, ut ſtatuit Concil. Trident. ſeſs. 22. cap. 1. requiri autem orationem Sacerdotum, & Miniſtros hujuſce Sacramenti Sacerdotes eſſe debere, colligitur ex textu Jacobi; Quamobrem perperam dicitur, unam, & eandem unctionem eſſe in utroque teſtimonio deſignatam.

5. Nec eſt cur reponant, quod ſi hujuſmodi unctio non fuiſſet Sacramentum, non debuiſſent Apoſtoli certa, ac communi lege oleum adhibere; inſuper oleum omnibus morbis ſanandis idoneum, & opportunum cenſeri non debet, nec Apoſtolis conveniebat medicamentis uti, ut Chriſti fidem promulgarent, ſed hæc erat miraculis dilatanda, quæ quidem miracula obſcurari poterant, ſi media unctione efficerentur, cum ſanitatis reſtitutio naturali olei virtuti tribui potuiſſet.

Non eſt inquam, cur ita reponant; Neque enim Apoſtoli oleo utebantur, tanquam medicamento, ſed tanquam ſymbolo illius curationis, quam ſupernaturali virtute ipſis à Chriſto communicata largiebantur, & per quam ſanati ad Chriſti fidem amplectendam excitarentur. Quo jure etiam dici poteſt, ſic miracula obſcurari? Nunquid obſcuratum Chriſti miraculum, quando ſurdum & mutum curaturus in ejus aures digitos immiſit, & linguam ejus ſaliva tetigit? vel cum luto facto oculos cæci linivit, & ad videndum aperuit?

6. Non igitur ſatis aptè quamvis non omnino improbabiliter ex illo Marci teſtimonio noſtra Catholica veritatas declaratur; ſed aptiſſime ex alio Jacobi; Perpendantur omnia illa verba, & totum clariſſime compertum erit. Ritum ſenſibilem materia, & forma non carentem, illa quidem per oleum, hac vero per Sacerdotis orationem, quis negabit? Miniſtrum, qui ſit Sacerdos, ſubjectum, quod ſit infirmus, quis non intelligit? Effectum vero, ideſt gratiam peccatorum remiſſivam, & infirmi allievationem, expreſſum cognoſcimus; de quibus omnibus in ſequentibus pertractabimus.

7. Eo magis hoc dicendum eſt, ſi conſideremus perpetuam, conſtantemque Patrum traditionem, qui & extremam unctionem Sacramentum eſſe fatentur, ſemperque Jacobi teſtimonium adducunt. Ex pluribus aliquos in medium producam. Origen. homil. 2. in Levitic. enumerans varios modos, quibus in Eccleſia Chriſti peccatorum remiſſio obtinetur, recenſet infirmorum unctionem, & ſubdit: *Impletur & illud, quod Apoſtolus ait; Si quis autem infirmatur, vocet Presbyteros Eccleſiæ, & imponant ei manus, ungentes eum oleo in nomine Domini*. Joan.Chryſoſt. lib. 3. de Sacerdotio loquens de poteſtate, quam habent Sacerdotes relaxandi peccata, inquit, *etiam poſt regenerationem admiſſa peccata condonare poſſunt; nam infirmatur quis in vobis? advocet Presbyteros Eccleſiæ, &c.* Auguſt. ſerm. 215. de tempore hæc habet: *Quoties aliqua infirmitas ſupervenerit, Corpus, & Sanguinem Chriſti ille, qui ægrotat, accipiat; & inde corpuſculum ſuum ungat, ut illud quod ſcriptum eſt impleatur in eo, infirmatur aliquis, &c.* Fateor in ultima editione operum S. Auguſtini hæc verba non reperiri, ſed tribui Cæſario, attamen non propterea omnem auctoritatem amittunt; & ſi quis indubitatum velit excellentiſſimi Doctoris pro re noſtra locum, legat ejuſdem ſpeculum de epiſtola S. Jacobi. Denique Bernardus in vita Malachiæ Epiſcopi, refert eum in fine vitæ Sacramentum hoc poſtulaſſe.

8. Neque omittendus eſt Innoc. I. in epiſt. ad Decentium, qui ita ſcribit: *Sane quoniam de hoc, ſicut de cæteris, conſulere voluit dilectio tua, &c. quod in Beati Apoſtoli Jacobi epiſtola conſcriptum eſt; ſi infirmus aliquis in vobis eſt, vocet Presbyteros, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini.... & ſi peccata fecit remittat ei; Quod non*

eſt

eſt dubium, de fidelibus ægrotis accipi, vel intelligi debere, &c. & concludit, oleum hoc, ſeu chriſma eſſe Sacramenti genus, aliiſque comparat Sacramentis, ita ut ſi reliqua negentur, etiam hoc negari debeat; En verba: *Quibus reliqua Sacramenta negantur, quomodo unum genus putatur poſſe concedi?* Amplius hoc traditur in cap. un. *Cum veniſſet*, ubi unctio viſibilis, de qua Jacobus loquitur, appellatur ſignum inviſibilis unctionis internæ.

9. Quod vero unctio externa tanquam verum Sacramentum inſtitueretur, id poſtulabat mira providentiæ divinæ ſuavitas, atque humanæ infirmitatis conditio. Dederat divina bonitas Sacramentum pro vitæ initio, quod eſt baptiſmus, dederat pro tempore, quod eſt pœnitentia, congruum erat & maxime expediens, ut daretur etiam in vitæ termino, qui tot de cauſis hominibus timorem incutit, tum propter præteritorum criminum recordationem, tum propter proximi futuri judicii ſententiam, tum propter tentationes Dæmonis, qui ſciens, quia modicum tempus habet, deſcendit habens iram magnam.

10. Op. 1. Ex laudatis verbis epiſtolæ Jacobi extremam unctionem Sacramentum eſſe nequaquam poteſt inferri, ergo. Prob. ant. In eodem contextu dicit Jacobus: *Triſtatur quis in vobis? oret; æquo animo eſt? pſallat; Confitemini alterum peccata veſtra, & orate pro invicem, ut ſalvemini*, ſed nemo dicet, orare, & pſallere eſſe Sacramenta, ergo neque ex illis: *Infirmatur quis in vobis? &c.* evinci poteſt, extremam unctionem eſſe Sacramentum.

Præterea; Jacobi epiſtola canonica non eſt; & quamvis eſſet hujuſmodi, adhuc non liceret Apoſtolo ſua authoritate Sacramentum inſtituere, cum hoc ſolum ad Chriſtum pertineat.

11. Reſp. ne. ant. ad prob. diſparitas colligitur ex dictis num. 6. nec enim in oratione & pſalmis ea reperiuntur, quæ ad conſtituendum Sacramentum neceſſaria ſunt, ſicut reperiuntur in extrema unctione.

Ad 2. Jacobi epiſtolam canonicam eſſe in noſtro primo Tomo demonſtravimus; Jacobum autem hujus Sacramenti fuiſſe promulgatorem dicimus, authorem negamus.

12. Op. 2. In iiſdem verbis plura adnotantur, quibus declaratur, eam nequaquam Sacramentum eſſe; 1. Sacramenta ſuum effectum non cauſant dependenter à fide Miniſtri, atqui extrema unctio ſuum cauſat effectum dependenter à fide Miniſtri, dicitur enim, *& oratio fidei ſalvabit infirmum*, ergo. 2. Sacramenta habere debent ſuum effectum infallibiliter, ſi non apponatur obex, ſed oleum extremæ unctionis non habet ſuum effectum infallibiliter, ſiquidem pro effectu deſignatur præcipue ſanitas corporis, ut conſtat ex verbis, quæ frequentiſſime non obtinetur, ergo. 3. Effectus, propter quem unctio à Jacobo promulgata Sacramentum dicitur, eſt tantum conditionatus, dicitur enim: *Et ſi in peccatis ſit, remittentur ei*; at Sacramentis correſpondere debet effectus abſolutus, ergo.

13. Reſp. Sacramenta cauſare gratiam independenter à fide, quæ ſit in Miniſtro, dicta propterea ſubjectiva, non tamen independenter à fide Eccleſiæ, in cujus virtute Sacramenta adminiſtrantur; Quamobrem, cum dicitur: *Oratio fidei, &c.* ſermo eſt de oratione, quæ cum contineat Verbum Dei, & fidei myſterium, eſt etiam fidei objectum, proinde dicta fides objectiva; atque hoc in omnibus Sacramentis contingere, affirmamus.

Ad 2. Diſtinguendus eſt duplex effectus Sacramentorum; Primarius unus, alter ſecundarius. Ille infallibiliter & abſolute obtinetur, ſi deſit obex; non iſte, niſi conditionate, ideſt ſi animæ ſaluti expediens ſit; Porro effectus primarius ſemper per extremam unctionem conceditur, non tamen effectus ſe-

Secundarius, ſemper ſcilicet peccatorum remiſſio, non ſemper corporis ſanitas, aliter extrema unctio homines redderetur immortales, quod nunquam Chriſtus intendit.

Ad 3. dici poteſt in primis, effectum illum eſſe conditionatum ex parte hominis, non tamen ex parte Sacramenti, ejuſdemque virtutis, quod mirum eſſe non debet, cum contingat in omnibus aliis Sacramentis, quæ gratiam non producunt, niſi conditione poſita præparationis & diſpoſitionis in ſuſcipiente. Secundo dici poteſt, & melius; propoſitionem illam, *ſi in peccatis ſit, remittentur ei* videri quidem conditionatam, ſed revera non eſſe, cum æquivaleat propoſitioni abſolutæ, quia nullus eſt homo, qui aliquod peccatum non commiſerit, in multis enim offendimus omnes, & ſenſus eſt, *cum in peccatis ſit, remittentur ei*. Similis eſt alia propoſitio, quam ſcribit Jacobus cap. 1. *Si quis veſtrum indiget ſapientia, poſtulet &c.* in qua ſenſus eſt; *Cum quilibet veſtrum indigeat ſapientia*. Certum enim eſt omnes indigere; Plures alias hujuſce generis propoſitiones in Scripturis Sanctis invenies, quæ non denotant conditionem rei dubiæ, ſed conceſſionem rei certæ; Inter cæteras eſt illa Pauli 2. ad Theſſalonic. 1. *Si tamen juſtum eſt apud Deum retribuere &c.* nec tamen dubitari poteſt, juſtum eſſe.

14. Si quis verò contenderet, corporeæ ſanitatis reſtitutionem eſſe effectum primarium extremæ unctionis, eo quia à Jacobo primo loco recenſetur, nimium rudem ac materialem ſe declararet; An non Luc. 18. dixit Chriſtus: *Amen dico vobis, nemo eſt, qui reliquit domum, aut parentes, aut fratres, aut uxorem, aut filios propter regnum Dei, & non recipiat multo plura in hoc tempore, & in ſæculo venturo vitam æternam?* & ſimilia habentur Mat. 19. & tamen quis dicet, vitam æternam non eſſe effectum primarium infallibiliter obtinendum, non ſic vero aliorum bonorum conſecutionem, niſi conditionate, & ſi fuerit expediens? Exiſtimandum porro eſt, illum dicendi modum adhibuiſſe Jacobum, vel quia ſanitatis reſtitutio eſt effectus magis notus, & ſenſibilis, vel quia magis correſpondet prioribus verbis: *Infirmatur quis in vobis?* Verum de hujus Sacramenti effectu alibi ſermo continget.

15. Opp. 3. Apud priorum Sæculorum Scriptores, qui alia Eccleſiæ myſteria deſcripſerunt, necnon piorum mortes commemorarunt, extremæ unctionis nulla ſit mentio; non apud Dionyſ. in Eccleſ. Hierarch. non apud Clem. Roman. in libris Conſtitutionum Apoſtolicarum, non apud Gregor. Nazianz. accurate referentem in orat. 11. ultimos ſororis ſuæ Gorgoniæ dies; atque idem ſervatur ſilentium à Gregorio Nyſſeno differente de morte Gregorii Neocæſarienſis, & Macrinæ ſororis; ab Hieronymo de morte Nepotiani, Lucinii, Marcellæ, Paulæ, ab Auguſtino de morte Matris ſuæ; evincitur ergo extremam unctionem habitam non eſſe pro Sacramento. His adde etiam diſcordiam noſtrorum Theologorum, circa inſtitutorem, circa materiam, formam, necnon effectus.

16. Quotieſcumque mihi hujuſmodi argumenta opponuntur, non mediocriter commoveor, & tamen adeo frequentia ſunt non ſolum apud hæreticos, ſed etiam apud eos noſtrorum temporum, qui eruditi appellari ſtudent, & affectant. Quid mea intereſt, ſi apud plures Scriptores extremæ unctionis mentio non ſit, nunquid propterea negatur? Plures etiam Pœnitentiam, & Euchariſtiam ſilentio præterierunt, & quidem ex illis, qui contra nos producti ſunt, igitur Pœnitentia, & Euchariſtia Sacramenta non erunt; ſed quo pacto apud Patres legatur extrema unctio, tanquam Sacramentum, à nobis declaratum eſt; & pudet amplioribus monumentis reſpondere.

Quod vero attinet ad noſtrorum Theo-

Theologorum mentem non omnino concordem, ad rem non eſt; nemo enim dubitat, aut negat, extremam unctionem Sacramentum eſſe, ſed illorum controverſiæ ſunt de iis rebus, quæ ad fidei dogma non pertinent, & ſalva fide poſſunt in utramque partem probabiliter proponi ac ſuſtineri.

CAPUT II.

Quiſnam fuerit hujuſce Sacramenti inſtitutor.

17. Paucis ab hoc puncto expedire nos poſſumus, cum ex iis reſolvi poſſit, quæ diximus de aliorum Sacramentorum inſtitutore; Quia tamen non defuerunt Doctores magnæ notæ, qui varia docuerunt, ideo nonnulla à nobis dicenda ſunt. Hugo à Sancto Victore tract. 6. cap. 15. inquit: *Hoc Sacramentum inſtitutum eſt ab Apoſtolis.* Atque huic ſententiæ ſubſcripſerunt Magiſter ſententiarum lib. 4. diſ. 23. nec non S. Bonavent. in eandem diſtinct. qu. 2. Contrarium docuerunt alii Theologi, ſicut à nobis dictum fuit in priori parte hujuſce libri. Ex hoc tamen perperam inferunt hæretici extremam unctionem Sacramentum non eſſe, cum apud aliquos ex noſtris legunt, à Chriſto non eſſe inſtitutam; nam licet laudati Theologi negent immediatam inſtitutionem à Chriſto factam, aſſerunt tamen ita ab Apoſtolis eſſe inſtitutam, ut tamen id ex peculiari Spiritus Sancti inſpiratione, & Chriſti poteſtate ſibi communicata egerint, qua in re nihil docent, quod fidei dogmati repugnet; atque ut hæc omnia clarius exponantur, per aliquas aſſertiones declarabimus.

18. Aſſertio 1. Chriſtus Dominus fuit extremæ unctionis inſtitutor.

Hanc probant ea, quæ jam attulimus de Sacramentis generatim loquentes; & tantum addimus de hac re Concilii Trident. doctrinam: Seſs. 14. can. 1. ſic ſtatuit: *Si quis dixerit, extremam unctionem non eſſe verè, & propriè Sacramentum à Chriſto Domino noſtro inſtitutum, & à Beato Jacobo Apoſtolo promulgatum . . . anathema ſit.* Et cap. 1. *Inſtituta autem eſt ſacra hæc unctio infirmorum, tanquam verè ac propriè Sacramentum novi teſtamenti, à Chriſto Domino noſtro, apud Marcum quidem inſinuatum, per Jacobum autem Apoſtolum, ac Domini fratrem, fidelibus commendatum, ac promulgatum.*

19. Aſſertio 2. Præferenda eſt illa ſententia, quæ dicit, Sacramentum extremæ unctionis fuiſſe immediate à Chriſto Domino inſtitutum; ad hoc ſuadendum nihil addam, velim tantummodo obſerves præfatum teſtimonium Tridentini, in quo habetur verbum illud *promulgatum*, per quod ſatis innuitur, nequaquam fuiſſe inſtitutum. Hoc autem magis dicendum foret, ſi diceremus in cap. 6. Marci ſermonem eſſe de extrema unctione, quod plures Doctores affirmant, ut dictum fuit num. 6.

20. Potior difficultas eſt in reſolvendo, quo tempore Sacramentum hoc Chriſtus inſtituerit; Non una in hoc puncto ſententia; Qui dicunt, fuiſſe ab Apoſtolis immediate inſtitutum ex ſpeciali Dei revelatione, aſſerunt inſtitutionis tempus poſt Chriſti in Cœlum aſcenſionem; Qui vero docent, Chriſtum ipſum fuiſſe immediatum inſtitutorem, probant, id actum eſſe, vel cum Marci 6. Chriſtus miſit Apoſtolos ad prædicandum ipſis data facultate oleo infirmos ungendi, atque ſanandi, non quidem, ut pro eo tempore unctionem iſtam tanquam Sacramentum miniſtrarent, ſed pro tempore congruo, quo dicendi modo ſervatur totum id, quod ſervari debet, & quod à nobis relatum eſt num. 4. Huic opinioni præter Victorem Antiochenum, Venerabilem Bedam, Jonam Aurelianenſem, & Oecumenium, favet etiam Scot. in 4. diſt. 2. qu. 1. §. *Secunda concluſio.*

21. Probabiliter tantùm ſentiunt Doctores iſti, nec aliquid invenio, in quo

quo ipſos reprehendam; nihilo tamen minus probabiliorem exiſtimo opinionem illorum, qui dicunt, inſtitutum fuiſſe hoc Sacramentum poſt Chriſti à mortuis reſurrectionem, quando dedit Apoſtolis ligandi ſolvendique facultatem. Hoc conforme eſt Concilio Tridentino appellanti confirmationem conſummativum ac completivum pœnitentiæ, atqui Sacramentum pœnitentiæ fuit inſtitutum poſt Chriſti reſurrectionem, ergo etiam Sacramentum extremæ unctionis, cum naturæ poſtulet ordo, prius inſtitui rem, quam complementum rei; Ratio etiam id ſuadere poteſt, quia Sacramentum hoc ſupponere debet in Miniſtro poteſtatem remittendi peccata; ex alia parte recurrere ad peculiarem diſpenſationem à Chriſto factam ſine aliquo fundamento excogitatur. Extrema igitur unctio erit unum ex illis Sacramentis & Myſteriis, de quibus ait Leo Papa ſer. 1. de Aſcenſione: *Hi dies, qui inter reſurrectionem Domini, aſcenſionemque fluxerunt, non otioſo tranſierunt decurſu, ſed magna in eis confirmata ſunt Sacramenta, magna revelata myſteria.*

CAPUT III.

De materia Extremæ Unctionis.

22. Sicut in reliquis, ita in hoc Sacramento materiam in remotam proximamque diſtinguimus, atque una ſtatuta, ac cognita aliam quoque ſtatuimus, ac cognoſcimus ex illo principio, quod materia proxima aliud non ſit in Sacramentis in uſu conſiſtentibus, quàm remotæ applicatio & exercitium. Plura dubia in hac re excitanda ſunt.

Et primo de materia remota ſermonem inſtituentes, dicimus, eſſe oleum.

Hoc probat textus epiſtolæ Jacobi: *Ungentes eum oleo*. Hoc vero etiam ex perpetua traditione colligi, inquit Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 1. hiſce verbis: *Ex Apoſtolica traditione per manus accepta Eccleſia intellexit materiam hujus Sacramenti eſſe oleum ab Epiſcopo benedictum &c.* Congruitatem porro hujus materiæ apte deſignavit S.Thom. in ſupplem. qu. 29. art. 4. dicens: *Spiritualis ſanatio, quæ in fine adhibetur, debet eſſe perfecta, quia poſt eam alia non relinquitur; & lenis, ut ſpes, quæ exeuntibus eſt maximè neceſſaria, non frangatur, ſed foveatur. Oleum autem levitivum eſt, & penetrativum uſque ad intima, & etiam diffuſivum, & ideo quantum ad utrumque prædictorum, eſt conveniens materia hujus Sacramenti.* Expreſſius etiam loquitur Catechiſmus Romanus par. 2. inquiens: *Aptiſſimè hæc materia illud ſignificat, quod vi Sacramenti interius in anima efficitur: nam ut oleum ad mitigandos corporis dolores magnopere proficit, ita Sacramenti virtus animæ triſtitiam ac dolorem minuit. Oleum præterea ſanitatem reſtituit, hilaritatem affert, & lumini tanquam pabulum præbet, tum vero ad recreandas defatigati corporis vires maximè accommodatum eſt. Quæ omnia, quid in ægroto Divina virtus per hujus Sacramenti adminiſtrationem efficiat, declarant.*

23. De hoc oleo, ut ſit materia apta, primo quæritur, quale debeat eſſe.

Reſp. eſſe debere ex olivis expreſſum; Ratio in primis eſt, quia tantum oleum ex olivis nuncupatur oleum abſolute, & ſine addito; Unde ſicut aqua, ut ſit materia apta baptiſmi, illa debet eſſe, quæ eſt abſolute aqua, ita etiam oleum extremæ unctionis. Ratio ſecundo eſt, quia tantum de oleo ex olivis vera ſunt illa, quæ ſuperius adduximus. Hoc inſuper expreſſe ſtatuit Conc. Florent. in ſuo decreto.

24. In hoc igitur oleo nulla debet eſſe permixtio, ut colligitur ex Eccleſiæ praxi in diſtincto vaſe ſervante oleum admixtum balſamo, quod adhibetur in vertice, dum quis baptizatur, & in fronte, dum quis confirmatur, & oleum ſim-

ſimplex, quo unguntur Cathecumeni in pectore & ſcapulis; & ægroti in ſenſuum ſedibus, & olim ungi ſolebant energumeni. Non eſt tamen ambigendum, quod ſi aliquid aliud miſceretur in modica quantitate, quod ſine peccato non fieret, adhuc eſſet materia idonea, quia adhuc olei natura & proprietas non deperderetur.

Contra id, quod dictum eſt, videtur eſſe Innocentio I. in epiſt. ad Decent. in qua legitur: *Non eſt dubium de fidelibus ægrotis accipi vel intelligi debere, qui ſacro oleo chriſmatis perungi poſſunt*. Ubi vides, oleum extremæ unctionis appellari chriſma; ſed dicendum eſt; in hoc loco ſumi chriſma generice, per quod ſignificatur quæcumque unctio, non vero ſpecifice, & in ſenſu Theologorum, apud quos chriſma ſignificat mixtionem ex oleo & balſamo.

25. Quæritur 2. An oleum hoc debeat eſſe ab Epiſcopo benedictum; Si loquamur de neceſſitate præcepti Eccleſiaſtici, affirmative ſentiunt omnes Doctores. Hoc tradunt Innoc. I. in laudata epiſt. Gregor. Magnus in ſuo Sacramentario, omneſque Scriptores Eccleſiaſtici, à quibus oleum hoc appellatur *ſanctum*, *ſacrum*, ſanctificatum; Unde & in Concilio Florentino in decreto, & à Trident. ſeſs. 14. cap. 1. dicitur, Eccleſiam traditione edoctam intellexiſſe, *materiam eſſe oleum ab Epiſcopo benedictum*.

Si vero loquamur de neceſſitate Sacramenti, ſunt Doctores aliqui negantes, & dicunt ſufficere benedictionem factam à Presbytero; imo Juenin cenſet, oleum eſſe materiam validam, etiamſi nulla præceſſiſſet benedictio nec ab Epiſcopo facta neque à Sacerdote. Ne in hoc puncto diutius immorer idem dicendum cenſeo, quod dixi de chriſmate benedicendo ab Epiſcopo; Sicut autem Juenin in extremam partem propendit, ita in aliam extremam Eſtius in 4. diſ. 23. parag. 9. concludens: *Unde non apparet, Pontificem hac in re poſſe diſpenſare*. Certe, ſi ſermo ſit de Eccleſia Latina, facultas benedicendi, ſeu conſecrandi oleum infirmorum ſolis Epiſcopis reſervata fuit, nec unquam ſimplicibus Sacerdotibus legimus fuiſſe conceſſam; Si autem de Eccleſia Græca oppoſitum legitur in Euchologio de officio Sabbati Sancti, & Goarius in ſuis notis ſic loquitur: *Cum Sacerdotalis ſit miniſterii ægrotos oleo ſancto linire, uſu conſentiente factum eſt ut non à Græcis Pontificibus, ſed à Sacerdotibus conſecratum, & quoties urget neceſſitas renovatum, &c.* Et Clem. VIII. uſum iſtum non improbavit in inſtructione miſſa ad Epiſcopos Latinos, ubi dicitur: *Non ſunt cogendi Presbyteri Græci olea ſancta præter chriſma, ab Epiſcopis Latinis Diœceſanis accipere, cum ejuſmodi olea ab eis ex veteri ritu conficiantur, & benedicantur*. Refertur etiam quædam ſynopſis Neophyti Rhodini, quam approbavit Sacra de propaganda Fide Congregatio; & in ea hæc habebantur: *Materia Sacramenti extremæ unctionis eſt oleum oliva expreſſum, à Pontifice, vel à Sacerdotibus, qui præſentes fuerint, juxta Eccleſiæ morem benedictum*.

26. Si hæc admittenda ſunt, apparet, requiri quidem benedictionem, non tamen neceſſariam eſſe illam, quam ſolus Epiſcopus facit; hoc prius tranſmittam, atque ut ea teneam, quæ de oleo confirmationis docui, dicam, quod ſicuti adminiſtrare extremam unctionem pertinet ad Sacerdotes ex vi ordinationis, ita etiam pertinere poſſit ipſius oleum benedicere; dicam, ſi in Eccleſia Græca id Sacerdotibus conceſſum eſt, tantùm ex Pontificum tacito conſenſu conceſſum eſſe, quod & Goarius laudato loco fatetur; Quod vero Juenin aſſerit, nullam benedictionem neceſſitate Sacramenti requiri, hoc tanquam omnibus Theologis contrarium rejiciam, qui præter materiam baptiſmi, quæ Chriſti Domini contactu & uſu conſecrata fuit, docent, alias materias Sacramentorum in uſu conſiſtentium, eſſe bene-

benedictione ſacrandas; & rationem aliam affert Doctor Subtilis in 4. diſt. 7. qu. 1. quia baptiſmus eſt Sacramentum ſummæ neceſſitatis, & ideo opus erat, illius materiam eſſe ſimplicem, facilem, communemque; alia vero Sacramenta tantæ non ſunt neceſſitatis, & ideo ad majorem ipſorum reverentiam & decorem, nec non aptitudinem in ſignificando, oportebat eorum materiam prius eſſe benedictam, ac conſecratam.

Hæc ſcripſi, ut mea, aliorumque proferrem; quidpiam autem ſtabilire non præſumo; niſi, præter opinionem Juenin, etiam illam Eſtii reprobare, ut patet ex dictis.

27. Cum vero dictum ſit, nunquam in Eccleſia Latina ſimplici Sacerdoti conceſſum eſſe, oleum infirmorum benedicere, quæri poteſt 3., quid faciendum ſit, ſi oleum feria 5. majoris Hebdomadæ benedictum propter frequentem uſum deficeret.

Reſp. Addat Sacerdos oleum non conſecratum conſecrato, illud tamen ſit in minori quantitate, ſic enim fit, ut oleum non conſecratum, conſecratum fiat, ſi non per phyſicum contactum, atque permixtionem, ſaltem per Eccleſiæ inſtitutionem, quæ præteritas preces Epiſcopi extendit non tantùm ad oleum præſens, ſed etiam aliud, quod illi miſcebitur. Traditur hoc in cap. *Quod in dubiis de conſecrat. Eccleſiæ*. Ubi legitur: *Non negamus, quin oleum non conſecratum conſecrato poſſit oleo commiſceri*.

28. Nunc vero jam tenes, unctionem ipſam ex oleo eſſe materiam proximam; certum enim eſt, hoc Sacramentum non eſſe oleum, ſicut baptiſmus non eſt aqua, unde quemadmodum materia proxima baptiſmi eſt ablutio facta per aquam, ita materia proxima extremæ unctionis eſt unctio facta per oleum, quod valet exemplo aliorum Sacramentorum in uſu conſiſtentium, & de ſola Euchariſtia, quæ eſt Sacramentum permanens, concludi poteſt oppoſitum. Hoc ſtatuit Concilium Florentinum, ac Tridentinum, quod ſeſſ. 14. cap. 1. dicens: *Intellexit Eccleſia, materiam eſſe oleum ab Epiſcopo benedictum*, & addens: *Nam unctio aptiſſime Spiritus Sancti gratiam, qua inviſibiliter ægrotantis anima inungitur, repræſentat*; in prioribus verbis materiam remotam, in poſterioribus proximam indicavit.

29. Hic primo excitatur dubium circa partes, quæ inungi debent. Qua in re non una fuit praxis tam in Eccleſia Latina, quam Græca; De Eccleſia Latina ſic loquitur S. Gregor. Papa in Sacrament. *Multi Sacerdotum perungunt inſuper in quinque ſenſus corporis, ideſt in ſuperciliis oculorum, in auribus deintus & in narium ſummitate, ſive exterius, & in manibus exterius, ideſt de foris*. Juxta vetus Pontificale Anglicanum ungebantur collum, ſcapulæ, pectus, & pars illa, quæ plus doloris patiebatur. Juxta codicem Remigio-Rhemenſem fiebat unctio in dextro & ſiniſtro tempore; atque ut paucis omnia exponam, ſatis eſt legere Albertum Magnum in 4. diſt. 23. art. 16. ubi ſic ſcribit: *Diverſarum Eccleſiarum & ordinum diverſus eſt uſus, quia in quibuſdam Eccleſiis unguntur loca plura, in quibuſdam pauciora. In quibuſdam Eccleſiis unguntur tantum extremitates, ut os, & nares, & oculi, & aures; tamen alii præter hæc ungunt ſcapulas, & pectus, & renes &c.*

30. De Eccleſia Græca hæc ſcribit Arcudius lib. 5. de extrema unctione cap. 7. *Græcorum Sacerdotes ungunt ægri frontem, mentum, ambas genas, ita ut videatur unctio in capite ad modum crucis, deinde pectus, tum manus, idque ex utraque parte, poſtremo pedes*. Simon Theſſalonicenſis in lib. de Sacram. pectoris ac pedum unctionem non commemorat.

Servandus eſt igitur uniuſcujuſque Eccleſiæ proprius ritus, & qualis ſit noſter colligitur ex Rituali Romano Pauli V.

Secundo excitatur dubium circa nume-

numerum unctionum; ſed priuſquam reſolvatur, agendum videtur de forma, cum in præfatis unctionibus hæc debeat adhiberi. Unde ſit

CAPUT IV.

Quænam ſit forma hujus Sacramenti.

31. Aliquam difficultatem efficere videntur variæ formæ, quibus pro temporum diverſitate variæ Eccleſiæ uſæ ſunt. Vivente S. Ambroſio apud Eccleſiam Mediolanenſem extrema unctio hiſce verbis conferebatur. *Ungo te oleo ſanctificato in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ut more militis uncti præparatus ad certamen aereas poſſis ſuperare poteſtates*. Ita referunt S.Bonaventura, Durandus, Paludanus, Argentina in 4. diſ.23. In antiquo rituali Veneto, ut teſtatur Arcudius lib. 5. de concordia Eccleſiæ Orientalis cum Occidentali, approbato à Leone X. hæc forma reperiebatur: *Ungo te oleo ſancto, ut hac unctione protectus fortiter ſtare valeas adverſus aereas catervas in nomine Patris &c.* Alias ſimiles formas, quę non deprecatoriæ eſſent, ſed indicativæ commemorat Albertus Magnus in 4. diſt. 23. art.4., ſeque in antiquiſſimis Germaniæ ritualibus legiſſe teſtatur, aliæve reperiuntur in ritualibus Sveſſionenſi, Catalaunenſi, Ambianenſi, ut fidem facit Pater Martene lib. 1. de antiquis Eccleſiæ ritibus cap.7. art.3. n.9.

32. Ex alia parte Eccleſia Latina aliquando formam adhibuit, quæ mixta eſſet, & partim foret indicativa, partim deprecativa, & ambigendi locum non relinquit quod legitur in Sacram. S. Gregorii Magni, ubi ſic: *Inungo te de oleo ſancto, ſicut unxit Samuel in Regem & Prophetam; Operare creatura olei in nomine Dei Patris omnipotentis, ut non lateat hic Spiritus immundus, neque in membris ſuis, neque in medullis, nec in ulla compagine membrorum, ſed in te habitet virtus Chriſti altiſſimi, & Spiritus Sancti. Per eundem, &c.* Prima verba ſunt abſoluta, & indicativo modo proferuntur, poſteriora ſunt deprecativa, & adinſtar orationis pronuntiantur.

33. Tandem multis ab hinc ſæculis tam in Eccleſia Græca, quam in Latina, forma tantum deprecativa in uſu fuit. Pro illa teſtem habemus Arcudium lib. 3. de extrema unctione cap. 5. necnon Neophytum Rhodinum in ſynopſi vernacula. Pro hac vero ſatis eſt legere Rituale Monaſticum ſimul, & Eccleſiaſticum Gemeticenſe ſeptingentorum ferme annorum, ſatis Eugenium IV. in inſtructione Armenorum, ſatis Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. can. 1. de extrema unctione; Forma autem deprecativa eſt iſta: *Per iſtam ſanctam unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Deus quidquid deliquiſti per viſum, &c.* per, &c. juxta partes, quæ unguntur. Satis tandem S.Th. & alios quam plures Scholaſticos, qui ſæculo 13. tanti formam deprecatoriam fecerunt, ut abſolutam, & indicativam tanquam invalidam rejecerint, ac improbaverint.

34. His expoſitis inquirendum ſupereſt, quid ſentiendum de hiſce formis.

Dico 1. Formas illas indicativo modo expreſſas fuiſſe validas, & licitas; Aſſertio hæc S. Thomæ non placuit; placuit tamen S. Bonaventuræ, qui in reſpon. ad 2. hæc habet: *Objicitur, quod non ſit eadem forma; Dicendum, quod ſecundum id quod eſt neceſſarium & eſſentiale Sacramentum, eandem oportet eſſe, ſed forma verbi non eſt neceſſaria ratione vocis exterioris, ſed prout eſt expreſſiva verbi interioris*. Placuit & Paludano in 4. diſt.23. quæſt.1. dicenti: *Si aliquæ Eccleſiæ habent ſolam formam indicativi modi, ſicut Ambroſiana, tempore ſaltem S. Ambroſii, ut dicitur, non eſt dicendum, quod nihil ſit actum*. Moveor autem ad illud aſſerendum, quia concedi non poteſt, eam formam in praxi toleratam fuiſſe, quæ nulla foret

ac invalida, & toto illo tempore extremæ unctionis Sacramento privatos fuiſſe; Propter hoc fuerunt etiam licitæ, quia nulla tunc erat prohibitio. Ut tamen quodlibet diſſidium removeatur, dici poteſt, etiam in illis formis abſolutis & indicativis æquivalenter, & implicite contentas fuiſſe formas deprecativas, & ita ſatis ſervari quod dicit Jacobus: *Et oratio fidei ſalvabit, &c.*

35. Dico 2. Formam deprecatoriam: *Per iſtam ſanctam unctionem, &c.* aptiſſimam eſſe. Ratio eſt, præter definitionem Concilii Florentini, ac Tridentini, quia ſic melius ſervatur, quod habet Jacobus: *Orent ſuper eum ungentes, &c.* ex alia parte, dum dicitur: *Per iſtam ſanctam unctionem* exprimitur Sacramentum, dum: *Et ſuam piiſſimam miſericordiam* innuitur divina virtus, quæ in Sacramentis operatur; dum: *Indulgeat tibi Deus quidquid deliquiſti* indicatur effectus Sacramenti, nempe peccatorum remiſſio finalis; ergo.

Neque dicas, effectum Sacramenti eſſe debere infallibilem, quod autem per orationem obtinetur, infallibiliter non obtinetur; etenim hoc verum eſt de oratione abſolute ſumpta, non ſic de illa, quæ eſt in Sacramento tanquam forma Sacramenti, cui affixa eſt Chriſti promiſſio. Quare autem res ita ſe habeat, ut in aliis Sacramentis forma ſit indicativa, non ſic in extrema unctione, quin tibi aliquam rationem aſſignem; ſufficit voluntas, & inſtitutio Chriſti.

36. Nunc breviter reſolvo, quod in antecedente cap. in fine excitabatur, nempe circa numerum unctionum. Plures fuerunt Theologorum ſententiæ. Aliqui arbitrati ſunt, eſſe neceſſarias ſeptem unctiones, quas recenſet Concilium Florentinum in Decreto pro inſtructione dicens: *In oculis propter viſum, in auribus propter auditum, in naribus propter odoratum, in ore propter guſtum, vel locutionem, in manibus propter tactum, in pedibus propter greſſum, in renibus propter delectationem ibi vigentem*. Sed contraria eſt Eccleſiæ praxis, cum in Rituali Romeno Pauli V. unctio in renibus propter honeſtatem in feminis prohibeatur, nec etiam unctio in pedibus Monialium ſoleat adhiberi; Quare ſaltem iſtæ duæ unctiones cœremoniales ſunt ab Eccleſia additæ, nequaquam ad Sacramenti ſubſtantiam pertinentes.

37. Aliqui opinati ſunt, ad valorem hujuſce Sacramenti ſaltem neceſſario requiri quinque unctiones in quinque partibus, in quibus reſidet vis ſenſitiva, cum quinque partialibus formis iiſdem unctionibus correſpondentibus, ita ut ſi infirmus ante quintam unctionem decederet, Sacramentum nequaquam recipere; Ratio ipſorum eſt, quia extrema unctio inſtituta eſt ad peccatorum reliquias abſtergendas, iis igitur corporis partibus applicanda eſt, in quibus eſt peccatorum radix, nempe in quinque ſenſibus, per quos tanquam per inſtrumenta omnis notitia ortum deducit.

Sed etiam huic opinioni adverſatur praxis, & tempore neceſſitatis, vel peſtis certum eſt illas unctiones non adhiberi, & Academia Lovanienſis an. 1588. approbavit Rituale Mechlinienſe, in quo habetur: *Ut periculum vitetur, ſufficit inungi ſenſus organum magis ad unctionem expoſitum, ſeu detectum*.

38. Tertia eſt illorum ſententia, quæ aſſerit, neceſſarias quidem eſſe quinque unctiones, non tamen quinque diſtinctas partiales formas, ſed ſub unica forma, quæ omnibus quinque æquivaleat, dicendo: *Per iſtas ſanctas unctiones, & piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Deus, quidquid per viſum, auditum, odoratum, guſtum, & tactum deliquiſti*.

Verius tamen affirmatur ad neceſſitatem Sacramenti ſufficere unicam unctionem in quacumque corporis parte facta, ſub unica forma omnes complectente, dicendo: *Per iſtam ſanctam unctionem, &c. indulgeat tibi Deus, quid-*

quid per omnes ſenſus deliquiſti. Hoc tenent Silvius, Becanus, Capeavilla, aliique, quibus accedunt Suarez, Layman, Coninch. &c. & Diana affert Univerſitatem Lovanienſem ſuperius adductam, cujus Decretum approbavit Octavius Tricarice Nuncius Apoſtolicus in Germania, Honoratus Tournely affert Rituale Pariſienſe, in quo hæc leguntur: *Si non poſſit ſuper infirmum fieri niſi unica unctio, ungatur oculus, vel aliud ſenſuum organum, & cæteris precibus prætermiſſis dicatur: Per iſtam ſacri olei unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Deus quidquid peccaſti per ſenſus*.

39. Merito quidem id ſtatutum eſt; etenim nullo pacto probari poteſt, illas quinque unctiones neceſſarias eſſe, & unica unctio cum tali forma effectum Sacramenti ſatis ſignificat; primum oſtenditur, ſiquidem ex Jacobi verbis tantum colligitur, neceſſariam eſſe unctionem: *Ungentes eum*. Non ex uſu Eccleſiæ, nam iſte declarat quidem, quid convenientius faciendum ſit, & extra neceſſitatem, non tamen eſſentialia determinat; non ex aliqua Conciliorum definitione; nam Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 1. nullum ſtatuit unctionum numerum, & tantum dicit: *Unctio aptiſſime Spiritus Sancti gratiam, qua inviſibiliter ægrotantis anima inungitur repræſentat*; quo dicendi modo in ſingulari noſtram potius aperte indicat ſententiam, & quod ex Florentino ſuperius adductum eſt, jam rejectum fuit, & neque ab adverſariis ſecundæ, ac tertiæ opinionis admittitur. His omnibus adde diverſum Eccleſiarum ritum in unctionibus ſervatum, qui ab Eccleſia Romana, quæ eſt magiſtra veritatis, permiſſus non eſſet, ſi ad unctiones determinatas tanquam neceſſarias ad Sacramenti valorem confugiendum eſſet. Quod igitur ſint plures, vel pauciores unctiones, in his vel illis partibus, pertinet tantum ad neceſſitatem præcepti, & in unaquaque Eccleſia proprius ritus ſervandus eſt, qui, ſi abſque neceſſitate omittatur, reum facit Miniſtrum, non tamen nullum reddit miniſterium.

40. Si tandem quæras; quænam ex illis verbis eſſentialia ſint; exiſtimo, eſſe iſta: *Per iſtam unctionem indulgeat tibi Deus quidquid deliquiſti, ſeu peccaſti*, reliqua vero ad majorem expreſſionem, & ex præcepto adhibeantur. Ratio eſt, quia per priora verba innuitur actio ſacramentalis, per *indulgeat* declaratur miſericordia Dei, per *tibi* ſubjectum, per *Deus* cauſa principalis, per *quidquid deliquiſti* effectus, ſeu peccatorum remiſſio.

CAPUT V.

De hujus Sacramenti Miniſtro.

41. PER nonnulla poſtulata punctum hoc ex integro reſolvemus.

Quæres 1. Quinam ſit hujuſce Sacramenti Miniſter neceſſarius.

Reſp. eſſe ſolum Presbyterum, ideſt Sacerdotem rite ordinatum.

Colligitur hoc ex toties laudatis verbis S. Jacobi: *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Eccleſiæ, &c.* & quia Novatores Presbyterorum nomine intelligunt ſeniores ex populo, ſeu Chriſtiana ſocietate, ideo definitum fuit à Concil. Trident. can. 4. ſic: *Si quis dixerit, Presbyteros Eccleſiæ, quos Beatus Jacobus adducendos eſſe ad infirmum inungendum adhortatur, non eſſe Sacerdotes ab Epiſcopo ordinatos, ſed ætate ſeniores in quavis communitate, ob idque proprium extremæ unctionis Miniſtrum non eſſe ſolum Sacerdotem, anathema ſit*. Quod diſertis verbis declarat idem Concilium ſeſſ. 14. cap. 3. Ratio etiam ſatis congrue afferri poteſt, ſiquidem, cum Sacramentum extremæ unctionis ſit Sacramenti pœnitentiæ conſummativum, ut loquuntur Patres, & Concilia, aptiſſime à Chriſto inſtitutum fuit, ut ille eſſet Miniſter illius, qui

qui eſt iſtius; hoc ſolo dato diſcrimine, quod quilibet Sacerdos non eſt Miniſter idoneus pro valido pœnitentiæ Sacramento, niſi ipſi conferatur poteſtas juriſdictionis, cum hoc Sacramentum per modum judicii exerceatur, quilibet vero Sacerdos eſt Miniſter idoneus Sacramento extremæ unctionis, cum ad hoc non requiratur niſi poteſtas ordinis, nec ulla ſententia proferatur.

42. Dices, contrarium eſſe id, quod ſcribit Innoc. I. ad Decentium, ex quo declaratur, etiam à laicis Sacramentum hoc poſſe adminiſtrari; ſic enim habet: *Non eſt dubium de fidelibus ægrotantibus accipi, vel intelligi debere, qui ſancto oleo chriſmatis perungi poſſunt, quo ab Epiſcopo confecto, non ſolum Sacerdotibus, ſed omnibus uti Chriſtianis licet in ſua, aut ſuorum neceſſitate inungendo.*

Huic Summi Pontificis teſtimonio non una eſt Theologorum reſponſio. Aliqui cenſent, Innocentium in caſu neceſſitatis permittere, ut quilibet etiam ex laicis ungat, non quia laicus conficere poſſit hoc Sacramentum, ſed tantum ad aliquem ritum, qui propter Sacramenti deſiderium utcumque ejus vices ſuppleat ex parte ſuſcipientis, ſicut etiam permittitur, ut quis peccata ſua confiteatur cuicumque, non quia à quocumque conferri poſſit abſolutio à peccatis, ſed quia ſic oſtenditur doloris efficacia, ac animus peccatoris ad deteſtanda peccata paratiſſimus. Aliqui exiſtimant, Innocentii textum in ſenſu paſſivo uſurpandum eſſe, ſcilicet omnes Chriſtianos ungi poſſe, ac debere, non tamen omnes ungere poſſe, hoc quidem ſolis Sacerdotibus convenire, non illud; & hæc reſponſio evincitur ex illis verbis, *perungi poſſunt*, juxta quæ ſumendum eſt poſtremum verbum *inungendo*. Aliqui tandem arbitrantur, unctionem illam, de qua Innocentius, eſſe tantum materialem actionem infirmi, qua pie affectus erga oleum Epiſcopali benedictione conſecratum, ſe ipſum ungere, vel ab aliis ungi poſſit, non tamen ſacramentalem, eo pacto quo noſtris etiam temporibus utuntur aqua ad baptiſmum conſecrata, ut liberentur morbis, quibus cruciantur, & priſcis temporibus oleo ab Epiſcopo benedicto plures uſos eſſe, tradunt hiſtoriæ, ut videre eſt apud Palladium cap. 20. hiſtoriæ Lauſiacæ de Machario, & apud Euſtathium Presbyterum de Eutichio Conſtantinopolitano; imo Gregorius Turonenſis in vitis Patrum cap. 14. refert, Martium Abbatem infuſum benedicti olei liquorem quartanis, tertianiſque febribus ſolitum fuiſſe, veluti medicamen applicare. Ex illo igitur textu uno vel altero modo intellecto nihil evincitur; imo validius adverſus hæreticos, quam contra nos probaret; ſiquidem illi ſeniores Miniſtros eſſe contendunt, cum tamen Innocentius ad omnes hocce miniſterium extendat.

43. Dices 2. Apoſtoli Marci 6. ungebant infirmos, nec tamen tunc erant Sacerdotes, ergo etiam laici ungere poterunt, & quidem ſacramentaliter, quia tunc vel Sacramentum extremæ unctionis fuit inſtitutum, vel ſaltem fuit inſinuatum, proinde etiam inſinuatus Miniſter. Præterea; pro Sacramento baptiſmi quilibet homo idoneus eſt, ergo etiam pro Sacramento extremæ unctionis, quo ſummopere indiget homo in mortis periculo conſtitutus ad ſuperandas morbi moleſtias, & potiſſimum ad Dæmonis tentationes propellendas.

Sed contra. ad 1. jam dictum fuit, unctionem illam non fuiſſe ſacramentalem, & curativam animæ, ſed ſolum corporum, & ſicuti fuit umbra Sacramenti, quod dandum erat ab Apoſtolis, qui futuri erant Sacerdotes, ita fuit umbra Miniſtri, qui futurus erat Sacerdos. Qui vero dicunt, unctionem illam fuiſſe ſacramentalem, aſſerunt, tunc cum Apoſtolis à Deo diſpenſatum fuiſſe.

Ad 2. non tenet paritas, cum Sacramentum baptiſmi ſit ſummæ neceſſitatis, ſine quo ſalus obtineri non poteſt, extre-

extrema autem unctio non ſit Sacramantum neceſſitatis, ſed utilitatis, nec deſit alia via ad Dæmonum fraudes eludendas; Obſerva tamen, in hiſce rebus totam rationem facti fuiſſe voluntatem facientis.

44. Quæres 2. Quinam poſſit licite Sacramentum hoc adminiſtrare; dixi *licite*, nam ſi de Miniſtro quantum attinet ad valorem Sacramenti fiat ſermo, jam dictum eſt ſub fine num. 41.

Reſp. illum tantum Sacerdotem poſſe licite adminiſtrare extremam unctionem, qui vel ordinariam, vel delegatam ſaltem interpretative habet juriſdictionem; evincitur hoc ex Clementina 1. *De privilegiis*, ubi prohibentur Sacerdotes adminiſtrare ſine licentia proprii Sacerdotis, & ſi Sacerdos ille foret Regularis, additur pœna excommunicationis. Ratio autem deducitur ex debito regiminis modo, & ordinato poteſtatis ordinis exercitio; & ſi hoc valet de baptiſmo, qui, ſecluſo caſu neceſſitatis, licite conferri non poteſt niſi à Parocho, vel alio Sacerdote ex ejus licentia, potiori jure aſſerendum erit de extrema unctione.

Sed cum dictum ſit, pœnam excommunicationis inflictam eſſe Regularibus, ſi extremam unctionem miniſtrare abſque accepta facultate præſumpſerint, dubitari poteſt, an deficiente Sacerdote habente vel ordinariam, vel delegatam juriſdictionem, poſſet Sacerdos Regularis in caſu neceſſitatis eſſe hujus Sacramenti Miniſter. Negant Sylveſter, ac S. Antonin. 3. par. tit. 24. cap. 34. propter Clementinam ſuperius laudatam; Affirmative tamen ſentiendum eſt cum aliis Theologis, Soto, Silvio, Valent., Suarez, &c. In caſu enim neceſſitatis præſumi poteſt ac debet conceſſio facultatis, cum credi non poſſit Summum Pontificum, & Eccleſiam tam utili Sacramento infirmos velle privare, unde ſicuti poteſt Euchariſtiam præbere, ita & extremam unctionem; Neque ex illa Clementina poteſt argumentum haberi, nam ideo Regularibus id prohibitum fuit, quia ex vi ſuorum privilegiorum Parochorum jura, ac officia ſibi uſurpabant, tanquam ſi eſſent ordinarii Miniſtri, ſed ubi urgeat neceſſitas, & non adſit, vel adeſſe nequeat Parochus, iſte ſcopus locum non habet, ergo nec habet illa excommunicatio. Hinc S. Carolus in Concilio Mediolanenſi 5. hiſce verbis decernit: *Si porro is*, nempe Parochus, *impeditus, aut alias in mora eſt, mortiſque periculum inſtat, hoc Sacramentum Sacerdos alius adminiſtret*.

46. Ex dictis inferri poteſt, ac debet; Miniſtrum hujus Sacramenti eſſe etiam Epiſcopum, quod quinto ineunte ſæculo ab aliquibus negatum fuit; conſectarium noſtrum diſerte innuit Concil. Trident. ſeſſ. 14. cap. 3. Ratio clara eſt, quia non omnes Presbyteri ſunt Epiſcopi, omnes tamen Epiſcopi ſunt Presbyteri, nec quod iſtis conceditur, illis negari poteſt; Unde Innoc. I. in toties laudata epiſt. ad Decent. inquit: *Illud ſuperfluum videmus adjectum, ut de Epiſcopo ambigatur, quod Presbyteris licere non dubium eſt; Nam idcirco de Presbyteris dictum eſt, quia Epiſcopi occupationibus aliis impediti ad omnes languidos ire non poſſunt; Cæterum ſi Epiſcopus aut poteſt, aut dignum ducit aliquem à ſe viſitandum & benedicere & tangere chriſmate, ſine cunctatione poteſt, cujus eſt ipſum chriſma conficere*. Exempla non deſunt, nam de Carolo Magno ſic ſcribit Eparchius Engoliſmenſis. *Oleo ſancto inunctus eſt ab Epiſcopis, & viatico ſumpto & omnibus ſuis diſpoſitis, commendans Deo Spiritum ſuum obiit in pace*. Beatam etiam Mauram unctam fuiſſe à Prudentio Epiſcopo Tricaſſino, legitur in Promptuario antiquitatum Tricaſſinæ Diæceſis apud Nicolaum Camuſæum.

47. Quæres 3. An plures Sacerdotes neceſſarii ſint ad conferendam extremam unctionem. Calvinus & Lutherus hoc contendunt. Contra quos

Reſp.

Reſp. Validum eſſe Sacramentum extremæ unctionis, licet ab unico tantùm Sacerdote conferatur.

Docuit hoc Alexander III. cap. *Quæſivit. De verborum ſignificatione* dicens: *Quod Sacerdos uno præſente Clerico, & etiam ſolus poteſt infirmum ungere*. Hoc priùs Innoc. I. in epiſt. ad Decent. ubi dicens, Epiſcopum eſſe Miniſtrum hujus Sacramenti, alium collegam non adjungit. Hoc tandem exempla plurima, ut illud ſuperius recitatum de Prudentio Epiſcopo Tricaſſino, cui ſimilia leguntur in vita S. Eugendi, & S. Popponis ex Everhelmo; & Ælfricus in canonibus ad Wlſinum Epiſcopum unius tantum Presbyteri mentionem facit, dicens: *Habebit etiam Presbyter conſecratum oleum duplex, hoc infantibus, id ægrotis præparatum, & ægrotos ſemper unget jacentes*.

48. Nec obſtat in textu Jacobi legi, *inducat Presbyteros* non Presbyterum; nam ſenſus eſt, inducendum eſſe aliquem ex Presbyteris, ſicut cum dicitur, peccatorum confeſſionem faciendam eſſe Presbyteris, ſignificat, faciendam eſſe alicui ex Presbyteris. Exemplum in Scripturis Sanctis habemus. Siquidem Mat. 27. legitur: *Latrones, qui crucifixi erant cum eo improperabant ei*; & tamen unus ſolus improperavit; ut ſcribit Luc. cap. 23. etiam in pſalmis dicitur: *Aſtiterunt Reges terræ, & Principes convenerunt in unum*. Et tamen, ut adnotavit S. Auguſtinus, qui lib. 3. de conſenſu Evangeliſt. cap. 16. plura hujuſmodi affert: *Reges propter Herodem, Principes propter Pilatum intellexerunt, qui teſtimonium ejuſdem pſalmi adhibuerunt*. Hoc etiam apud nos uſitatum eſt, ſi enim unus ruſticus inſultat, recte dicimus, ecce quomodo ruſtici inſultant.

49. Si igitur de neceſſitate Sacramenti, vel præcepti Divini loquamur plurium Sacerdotum miniſterio opus non eſſe ſatis oſtendimus; Quid vero ſi de neceſſitate præcepti Eccleſiaſtici?

Reſp. variis temporibus in Eccleſia Græca, ac Latina fuiſſe varia præſcripta.

De Eccleſia Græca ita ſcribit Arcudius lib. 5. cap. 3. *Septem autem numero Presbyteros Græcorum Eccleſia exigit, ſive propter ſeptem peccata mortalia, ſive quia ſeptenarius numerus in Sacra Scriptura valde commendatur, dicerem etiam propter ſeptem corporis partes, quas ungunt*. Simeon Epiſcopus Theſſalonicenſis alias affert rationes, nempe *propter dona ſeptem ſpiritus, vel propter ſeptem Sacerdotes, qui Divino juſſu circumeuntes urbem Hierico, ſepties tubis cecinerunt, atque mœnia diruerunt &c.* & concludit: *Cæterum non eſt curioſius inquirendum de numero, quando neque numerus ſcriptus eſt: Niſi quod quamvis non ſit ſcriptus, neceſſarium tamen eſt, antiquam ſervare traditionem, & ſint quidem ſeptem, ut veteris moris eſt, ſi vero neceſſitas fuerit, tres ſint ad minus, eaque omnia recitent quæcumque per traditionem dicenda eſſe acceperunt. Quoniam quæ à Patribus ſunt, ea quoque Spiritus eſſe, fatendum eſt*.

50. Etiam in Eccleſia Latina plures Presbyteros adhibitos fuiſſe habetur ex Sacramentario S. Gregorii, ubi legitur: *Multi Sacerdotes infirmos perungent in quinque ſenſus corporis &c.* Hoc etiam declarat, quod ſupra retulimus de Carolo Magno, qui ab Epiſcopis unctus fuit; & rurſus reperitur in Codicibus Rotaldis, ac Tilianis.

51. Quomodo autem ſe gererent Sacerdotes iſti in unctionis extremę collatione, cenſeo, vel quod ſinguli eaſdem partes ungebant, & ſimul verba proferebant, & ſic erat unica plurium moralis actio, vel quod unus unam partem ungeret verba proferendo, alius aliam, & ſic ex pluribus partibus Sacramenti fieret poſtea unum Sacramentum; illos tamen non approbo, qui dixerunt, unum oleum applicare, & alium verba proferre, etenim ex verbis Jacobi,

bi, illius eſt ſuper infirmum orare, cujus eſt infirmum ungere,*orent ſuper eum ungentes*. Et ſicuti Sacramentum baptiſmi juxta à nobis dicta in proprio loco non valeret, ſi unus ablueret, & alius verba proferret, ita non valeret Sacramentum extremæ unctionis, ſi unus ungeret, & alius diceret.

52. Contra hoc poſtremum dici poteſt. In Sacramento Euchariſtiæ unus exhibere poteſt materiam, & alius conſecrare, in Sacramento Pœnitentiæ, Sacerdos profert formam, pœnitens porrigit materiam, quod etiam contingit in Sacramento Matrimonii, in quo Conjuges materiam præſtant, Miniſter formam, ergo etiam in Sacramento extremæ unctionis unus Sacerdos poterit ungere, alius verba proferre.

Parum mea intereſſet reſpondere, ſi enim velles, hoc factum eſſe, ita factum ſit, cum quomodo factum ſit, non legamus. Attamen ſcias valde diſparem eſſe rationem; Si enim de Euchariſtia loquamur, materia utique remota parari poteſt ab alio, præter quam à Conſecrante, non ſic tamen materia proxima, quæ conſiſtit in ſpeciebus panis & vini,quæ remanent poſt conſecrationem. Si de Pœnitentia, quid mirum? Sacramentum hoc eſt adinſtar judicii, judicium autem non fit, niſi reus exhibeat materiam circa quam verſetur. Si denique de Matrimonio; primo dici poteſt, hoc eſſe contractum, qui ut validus ſit, approbari debet ab habente poteſtatem; ſecundo in ſententia, quam ego defendam, conjuges utrumque præſtant, ſcilicet materiam & formam.

53. Si quæ ſuperius dicta ſunt n.51. non placent, accipe aliorum opinionem, qui dixerunt, interfuiſſe plures Sacerdotes, non ut ſinguli infirmum ungerent, ac verba proferrent, ſed tantum ut preces funderent, quibus infirmo Sacramenti effectum deprecarentur, ut etiam modo fit in Conventibus Religioſorum. Hoc expreſſe tradidit S. Thom. lib.4. contra Gen. cap. 73. inquiens: *Quia hoc Sacramentum perfectæ curationis effectum habet, & in eo requiritur copiagratiæ, competit huic Sacramento, ut multi Sacerdotes interſint, & ut oratio totius Eccleſiæ ad effectum hujus Sacramenti coadjuvet; Unde Jacobus dicit, inducat Presbyteros Eccleſiæ &c.*

54. Sed quidquid antiquis temporibus factum ſit, nunc etiam extra caſum neceſſitatis tum validæ, tum licitæ adminiſtrationi ſufficere unicum Presbyterum plura ritualia, & Eccleſiæ Romanæ conſuetudo demonſtrant.

CAPUT VI.

De ſubjecto hujus Sacramenti.

55. Solum hominem viatorem hujuſce Sacramenti idoneum ſubjectum eſſe, non dicam, etenim hoc commune eſſe omnibus Sacramentis jam pluries dictum eſt; Rurſus ſolum hominem baptizatum extremam unctionem recipere poſſe non probabo, cum conſtet ex illa regula generali, qua profitemur, baptiſmum omnium eſſe januam Sacramentorum. Itaque ad alia progrediendo.

Aſſero 1. Soli homini, qui pervenit ad rationis uſum conferri debet hoc Sacramentum.

Ratio eſt; quia ſicuti infantes capaces non ſunt Sacramenti Pœnitentiæ, ita neque capaces ſunt unctionis extremæ, quæ illius dicitur conſummativum, ut patet ex Trident. alibi laudato;& certe quinam eſt præcipuus ac proprius extremæ unctionis effectus? eſt ad abſtergendas peccatorum reliquias, & delenda finaliter peccata lethalia dimiſſa, vel venialia, necnon ad robur ferendum adverſus diaboli poteſtatem, neutrum autem ex his contingere poteſt in pueris, ergo.

56. Dices. Pueris, licet rationis uſu deſtituti ſint, valide confertur Sacramentum confirmationis, & ordinis, nec tamen capaces ſunt effectus utriuſque,

que, ergo à pari, quamvis capaces non ſint effectus extremæ unctionis, ipſis extrema unctio conferri poterit. Sed etiam falſum eſt, ejuſdem effectus omnino incapaces eſſe; Quamvis enim in ipſis peccata deleri non poſſint, poteſt tamen augeri gratia, proinde &c.

Sed contra. Non eadem eſt ratio de Sacramento confirmationis & ordinis, quæ de extrema unctione; confirmatio enim & ordo imprimunt characterem, dantque auxilia quædam pro tempore opportuno & ideo cum infans pervenire poſſit ad ætatem, in qua exerceri poſſunt effectus utriuſque, fit etiam utriuſque eſſe capacem; Non ita extrema unctio, quæ nec imprimit characterem, nec dat auxilia niſi pro determinato tempore, nempe pro illa ægritudine, qua quis detinetur, & ideo &c. Quod dicitur de augmento gratiæ in re noſtra non probat, etenim hoc eſt effectus communis omnium Sacramentorum, qui præſtari non poteſt utcumque, ſed ut connexus cum aliquo peculiari, & proprio eorum effectu, aliter dicendum foret, quod cum gratia habitualis producta ab omnibus Sacramentis ſit ejuſdem ſpeciei, eoſdem quoque effectus in omnibus Sacramentis produceret; Si igitur unctio extrema aliquem proprium & peculiarem effectum præſtare nequit in pueris, neque gratiæ augmentum poterit proferre.

Igitur inquies, neque Beata Virgo, quæ peccatum originale non contraxit, capax fuit baptiſmi. Sed ſcias quod etſi peccatum originale non contraxerit, fuit tamen ejuſdem capax, imo in ea fuit debitum contrahendi; Pueri autem nec capaces peccati ſunt, nec in eis eſt debitum peccandi. Id quod de pueris dicitur, aſſerendum de perpetuo amentibus. Si tamen concederetur ant. nihil incongrui concederetur, nec oppoſitum probari poſſet.

57. Aſſero 2. Sacramenti hujus capaces eſſe furioſos & amentes, qui rationis uſum antea habuerunt, dummodo tamen certo non conſtet, fuiſſe peccatores, nec de peccato doluiſſe, antequam uſum rationis amiſerint, vel non poſſet ipſis extrema unctio miniſtrari ſine evidenti irreverentiæ periculo.

De hiſce limitationibus nihil proferam, cum ex ſe res manifeſta ſit; ratio autem prioris aſſertionis eſt, quia furioſi & amentes in eo ſtatu conſiderandi ſunt, in quo erant, antequam in amentiam inciderent, ſed ſi fuiſſent graviter ægroti in illo priori ſtatu, ipſis collata fuiſſet extrema unctio, ergo. Præterea; Sacramentum hoc in iſtis ſuum effectum primarium habere poteſt, qui obtinetur per peccatorum venialium remiſſionem, vel etiam lethalium, quorum inculpabiliter obliti ſunt, & tantum per attritionem ſupernaturalem retractarunt. Hoc tradunt ferme omnia ritualia, & communius à Theologis ſuſtinetur, quamvis S. Th. in ſupplem. qu. 32. art. 3. ad 3. oppoſitum docere videatur, pro cujus explicatione dicerem, ita loquutum eſſe S. Doctorem attentis aliquibus circumſtantiis, & conditionatè, non ſic abſolutè.

58. Aſſero 3. Sacramentum hoc adminiſtrari poteſt ſolum infirmis, qui vel proxime morituri ſunt, vel qui ita gravi morbo decumbunt, ut de eorum morte prudenter timeatur. Hoc oſtendit perpetua Eccleſiæ Latinæ praxis; Idcirco Florentinum in decreto pro inſtructione dicit: *Hoc Sacramentum nonniſi infirmo, de cujus morte timetur, dari non debet*. Concilium vero Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 3. ſic loquitur: *Declaratur, eſſe hanc unctionem infirmis adhibendam, illis vero præſertim, qui tam periculosè decumbunt, ut in exitu vitæ conſtituti videantur, unde & Sacramentum exeuntium nuncupatur*. Nota particulam illam *præſertim* & ſatis intelliges, utramque noſtræ aſſertionis partem traditam eſſe; infirmitatem autem neceſſariam eſſe ad hujus Sacramenti valorem, tanquam conditionem, ſatis exprimitur per Jacobi verba: *Infirmatur quis in vobis?*

Ad-

59. Advertendum tamen eſt; Parochos in hac re ſollicitos eſſe debere, ne adeo extremam unctionem differant, ut infirmi ſenſibus omnibus, ac ratione ſint deſtituti; Hoc traditum eſt in pluribus Conciliis, Rhemen. an. 1583. Burdigal. eodem anno, Bituricenſ. anno ſequenti, & multo ante, nempe 836. in lib. 6. Capitularium Caroli Magni; ſed nobis ſufficiat Concilium Mediolan. 1. ſub Sancto Carolo, in quo ſic legitur: *Extremæ unctionis Sacramentum, curet Parochus, ut ægroto, dum integris eſt ſenſibus, adhibeatur*. Sed ſatis eſſe potuiſſet Catechiſmus Roman. p. 2. de Sacramento Extremæ Unctionis, qui eos graviter peccare aſſeverat, qui *illud tempus ægroti ungendi obſervare ſolent, cum jam omni ſalutis ſpe amiſſa, vita ac ſenſibus carere incipiat; Conſtat enim ad uberiorem Sacramenti gratiam percipiendam plurimum valere, ſi ægrotus, cum in eo adhuc integra mens & ratio viget, fidemque, & religioſam animi voluntatem afferre poteſt, ſacro oleo liniatur*. Ex quibus apparet, quam impudenter mentiendo, ut ſolet, calumniatur Calvinus, dum lib. 4. Inſtit. cap. 19. dixit: *Nos non infirmos, ſed ſemimortua cadavera noſtra pinguedine inficere, cum jamjam anima in primoribus labris laborat*.

60. Quod diximus de gravi ac periculoſo morbo laborantibus extendit S. Carolus in Concil. 4. Mediolan. tit. 6. de extrema unctione ad ſenes etiam in diem præ ſenectute morituros dicens: *Parochus extremæ unctionis Sacramentum ſicut his miniſtrare debet, adultis ſcilicet, periculosè ægrotantibus, propèque moribundis, ſenio confectis etiam non ægrotis, in diem morituris*. Aliis vero quibuſcumque etiam in vitæ periculo conſtitutis propter alias cauſas miniſtrari non debet.

61. Fuit quidem ante ſæculum decimum tertium conſuetudo hoc Sacramentum deferendi ſolum illis, qui jam animam agerent, nec ulla vitæ ſupererat ſpes, idque ex duobus capitibus, quorum unum falſum eſt, alterum iniquum ortum ducebat; Primum erat falſa aliquorum perſuaſio, non licere amplius convaleſcentibus poſt receptam extremam unctionem ad opus conjugale reverti, carnes comedere, atque alia hujuſmodi. Secundum erat ſordida avaritia & cupiditas Miniſtrorum, qui ab ungendis pecuniam & alia exigebant; Quare interdum pauperes ſine hoc Sacramento demigrabant.

62. Quæ hucuſque diximus juxta praxim Eccleſiæ Latinæ dicta ſunt; apud Græcos tamen ita res non peragitur, etenim Græci non tantum graviter infirmos, ſed etiam ſanos ac corpore vegetos inungere ſolent, præſertim pœnitentibus, ut fidem faciunt Arcudius, Simon Theſſalonic., Goarius, & Leo Allatius, quorum poſtremus lib. 3. de Eccleſiæ Occidentalis & Orientalis perpetua conſenſione cap. 16. inquit de Orientalibus: *Non tantum infirmos, ſed ſanos quoque homines extrema unctione, & ſæpius inungunt*.

63. Hæc igitur procul dubio eſt Eccleſiæ Græcæ praxis; attamen cenſendum eſt, unctionem illam, quæ ſanis conferebatur apud ipſos non fuiſſe habitam tanquam Sacramentum, ſed tanquam cœremoniam, quamvis oppoſitum Arcudius exiſtimans in hunc Sacramenti abuſum vehementer inſurgat; Plura autem momenta ad aſſerendum quod dixi me movent. Primo, quia Innocentius I. aſſerit, etiam plures ex Latinis oleo per Epiſcopos ſanctificato uſos fuiſſe ad morbos aliquos depellendos, nec tamen dici poteſt, unctionem illam fuiſſe verum Sacramentum. Secundo, quia Innoc. IV. in epiſt. ad Epiſcopum Tuſculanum præcipit quidem, *ne Sacerdotes Græcorum, aut Confeſſores pro ſanctificatione pœnitentiæ unctionem aliquam ſolummodo injungant*. Non tamen unctionem prohibet, dummodo ſatisfactio alia impoſita ſit, prohibuiſſet autem, ſi tanquam verum Sacramentum fuiſſet exi-

exiſtimata. Tertio, quia nunquam Græci à Latinis reprehenſi ſunt, quia promiſcuè ſanos ungerent ac ægrotos, reprehenſi autem fuiſſent, cum Latinis ſemper perſuaſum fuerit, ſolos infirmos unctione illa Sacramentali eſſe liniendos.

64. Oppoſitum tamen opinatur Juenin, atque pluribus argumentis unctionem illam Sacramentum apud Græcos eſſe declarare contendit.

1. Jacobus præcipiens, ut infirmi ungantur, non excludit ſanos; ſicuti cum dixit Chriſtus præcipiens adultis communionem, *hoc facite in meam commemorationem* non excluſit parvulos, ut patet ex Eccleſiæ praxi, quæ per duodecim priora ſæcula eis communionem porrexit.

2. In illa unctione eſt vera materia, vera forma, & legitimus Miniſter, quid ergo deeſt, ne ſit Sacramentum?

3. Affertur authoritas Origenis, qui hom. 18. in Levitic. ſic loquitur: *Eſt adhuc ſeptima licet dura & laborioſa per pœnitentiam remiſſio peccatorum, cum lavat peccator ſtratum ſuum in lacrymis ſuis, & ſiunt ei lacrymæ ſuæ panes die ac nocte, & cum non erubeſcit Sacerdoti Domini indicare peccatum ſuum, & quærere medicinam ſecundum eum qui ait; Dixi pronuntiabo adverſum me injuſtitiam meam Domino; & tu remiſiſti impietatem cordis mei: In quo impletur & illud quod Apoſtolus dicit: Si quis autem infirmatur, vocet Presbyteros Eccleſiæ, & imponant ei manus, ungentes cum oleo &c.* In hoc loco utriuſque Sacramenti, pœnitentiæ ſcilicet ac extremæ unctionis mentionem facit Origenes, utrumque igitur Sacramentum pœnitentibus confertur.

4. Idem confirmatur ex Jeremia Patriarcha Conſtantinopolitano, qui in cenſura Auguſtanæ Lutheranorum confeſſionis lib. 1. cap. 7. hæc habet: *Illis qui poſt baptiſmum peccaverunt, pœnitentia, conſecratique olei unctio conducunt; Quæ Sacramenta aut remiſſionem præteritorum peccatorum largiantur, aut ſordes animæ inhærentes expungant.*

65. Huic auctori nullo pacto ſubſcribere poſſum. Primum ejuſmodi argumentum non proponeret, ſi animadverteret; quod quotieſcumque alicujus Sacramenti ſpeciale ſtatuitur ſubjectum, aliud omnino excluditur, præſertim cum nullo exemplo oſtendi poſſit, alteri quam ſtatuto ſubjecto collatum eſſe Sacramentum; Ita autem res ſe habet in caſu noſtro, cum & ex Sancto Jacobo, & ex Conciliis Florentino & Tridentino, & tota Eccleſiæ Latinæ traditione, quod poſtremum ipſe Juenin fatetur cap. 3. infirmus homo ſtatuatur extremæ unctionis ſubjectum, nec ullum exemplum afferri poteſt, quo demonſtretur, Eccleſiam Latinam hominibus ſanis hoc Sacramentum contuliſſe, ergo. Neque paritas adducta valet, primo quia loquendo de Euchariſtia habemus exempla, non tantum adultis ſed etiam parvulis datam eſſe; ſecundo quia; verba illa, hoc facite in meam commemorationem ad Miniſtros conficientes pertinent, non ad omnes ſuſcipientes.

66. Ad ſecundum eadem ratione dicendum etiam eſſet, ritum illum, quo hæretici ad Eccleſiam redeuntes olim recipiebantur, fuiſſe verum Sacramentum confirmationis; erant enim eadem materia, eadem forma, idem Miniſter; nec tamen hoc conceditur. Quare? licet eſſent eadem materia, eadem forma, idem Miniſter, tamen non erat idem operandi modus, nec eadem intentio tam ex parte conferentis, quam recipientis. Idem in re noſtra dicendum eſt.

67. Ad 3. Quid rogo probat illud Origenis teſtimonium? Si recte perpendantur illa verba, plane ſermo in illis eſt de pœnitentibus, qui jam in lecto decumbunt, quibus conceditur dura & laborioſa pœnitentia, & pariter extrema unctio; ſumere autem verbum illud, *infirmatur* metaphoricè, ideſt pro in-

fir-

firmitate mentis per peccatum inducta, ſine aliquo fundamento fit, cum aperte loquatur Jacobus de infirmitate corporis, ſubditur enim, *& oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus*. Cur etiam profertur illud ex Jeremia Patriarcha Conſtantinopolitano? Fatemur & nos, pœnitentiam, conſecratique olei illis, qui poſt baptiſmum peccaverunt, conducere; ſed nunquid omni tempore? Utique de pœnitentia hoc dicendum eſt, quia in quacumque hora ingemuerit peccator, Deus iniquitatum ejus non recordabitur, non ſic de extrema unctione, &c.

68. Imo nos ita aſſerimus, infirmos tantum oleo hoc ſancto inungendos eſſe, ut in eadem infirmitate, manente eadem, ſemel tantum poſſint inungi, quod colligitur ex Concilio Tridentino ſeſſ. 14. cap. 3. dicente: *Quod ſi infirmi poſt ſuſceptam hanc unctionem convaluerint, iterum hujus Sacramenti ſubſidio juvari poterunt, cum in aliud ſimile diſcrimen inciderint*; ex quo conditionato dicendi modo patet aſſertio noſtra; dixi *manente eadem*, quia ſi infirmitas diuturna eſſet, & pluries infirmus mortis periculo ſubjaceret, ita ut nunc melius, nunc deterius ſe haberet, poſſet iterari; atque hoc declarat Catechiſmus Romanus explicans verba Concilii, & dicens: *Hic obſervari oportet, in una eademque ægrotatione, cum æger in eodem vitæ periculo poſitus eſt, ſemel tantum ungendum eſſe*; ſi igitur ſit diverſum vitæ periculum, pluries inungi poterit. Ita modo ſervandum eſt; non inficiamur tamen olim infirmis in eadem infirmitate, eodemque ſtatu poſitis per ſeptem dies unctionem repetitam fuiſſe, etenim in Sacramentario S. Gregorii juxta editionem Hugonis Menardi hæc leguntur: *Deinde communicat eum*, ideſt infirmum, *Corpore, & Sanguine Domini, & ſic faciant illi per ſeptem dies, ſi neceſſitas fuerit, tam de communione, quam de alio officio*, ſcilicet unctione.

CAPUT VII.

De obligationibus tam Miniſtri, quam ſubjecti.

69. Miniſter hujus Sacramenti alius eſt ex officio, & proprius, alius in defectu proprii. Primi generis ſunt Epiſcopi, Parochi, & Superiores Religionum erga ſuos ſubditos; Secundi ſunt omnes Sacerdotes, ad quos animarum cura non ſpectat. De primis conſentiunt Doctores teneri ex juſtitia, & ſub præcepto ad mortale obligante opportuno tempore vel per ſe, vel per alium Sacramentum hoc adminiſtrare, nam ideo à Chriſto, & Eccleſia in eo munere conſtituti ſunt, ut ovibus ſuis non ſolum illa Sacramenta præbeant, quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt, ſed etiam quæ multum utilia, & à Chriſto ad hunc finem inſtituta, quale eſt Sacramentum extremæ unctionis. Aliqui volunt ab hac obligatione Religionum Superiores eximere, ita ut tantum teneantur ex charitate, quia Parochi pro Sacramentorum adminiſtratione mercedem accipiunt, & ideo tenentur ex juſtitia, non ita mercedem accipiunt Superiores; ſed iſtam ſententiam non approbo. 1. Quia ſubditi Regulares petentes hoc Sacramentum eſſent deterioris conditionis, quam laici. 2. Quia Superiores reſpectu ſuorum ſubditorum locum obtinent Epiſcoporum, ſeu Parochorum, proinde etiam eaſdem contrahunt obligationes. 3. Quia etſi mercedem pecuniariam non recipiant, recipiunt tamen obſequium & obedientiam, quæ altiorem, quam pecunia, ordinem obtinent.

70. Difficultas potior eſſe poteſt, an Parochus graſſante peſte teneatur cum vitæ periculo Sacramentum hoc adminiſtrare. Affirmant Silvius, & Nugnus; plura momenta pro hac opinione afferri poſſunt, ſed præcipue, quia ſicuti Militiæ duces tenentur ex officio pro Republica vitam exponere, dum gravis urget

urget neceſſitas, ita, & à fortiori duces ſpirituales, eo præſertim tempore, quo pugna adverſus Diabolum inſtante morte ſuſtinenda eſt; & quia ſi oppoſitum de extrema unctione tenendum eſſet, quia non eſt Sacramentum neceſſitatis, idem dicendum foret de Euchariſtia propter eandem rationem. Negant communius alii Doctores, Armilla, Tabiena, Suarez, Filliucius, Diana; & ratio horum eſt, quia extrema unctio nec eſt neceſſaria neceſſitate medii, ut ſunt baptiſmus, & pœnitentia poſt lapſum, neque neceſſitate præcepti divini, ut eſt Euchariſtia; & ſicuti nemo cum periculo vitæ tenetur ad recipiendam extremam unctionem, ita neque tenetur ad illam adminiſtrandam.

71. Primam ſententiam tanquam nimis rigidam, ſecundam, tanquam nimis laxam evitant alii, & diſtinguunt; Vel infirmus confeſſus fuit in infirmitate, aut paulo ante, & prudenter judicari poteſt, illum in aliquod mortale peccatum poſtea non incidiſſe, vel non eſt confeſſus, & prudenter timeri poteſt, aliquod mortale peccatum perpatraſſe; ſi primum, inquiunt, Parochum non teneri, quia hoc Sacramentum non eſt neceſſarium, ſed tantum utile, & ex alia parte pro utilitate ſpirituali proximi non debet propria vita tanto periculo exponi; ſecus vero, ſi ſecundum, quia in hac hypotheſi, Sacramentum hoc cenſeri poteſt neceſſarium ad remittenda peccata per accidens, quod Sacramentis vivorum convenire, probabilis ſententia defendit.

72. Quantum vero ad Miniſtrum, qui non eſt proprius, & ex officio, communiter docent Theologi, teneri ex charitate, & quidem graviter peccare, ſi petatur ab infirmo, nec adeſſe poſſit Parochus, qui miniſtrat, præſertim vero ſi abſque alio Sacramento prius ſuſcepto infirmus eſſet moriturus; peccare vero ſolum venialiter, ſi aliud Sacramentum ſuſceperit, præſertim vero pœnitentiæ.

73. Nunc ad obligationes ex parte ſuſcipientis. Quidam, ut Petrus Soto, & Turrianus cum Magiſt. ſententiarum dixerunt, teneri fideles ſub peccato mortali ad hoc Sacramentum ſuſcipiendum, ita ut ſine gravi culpa ex negligentia omitti non poſſit. Deducunt hoc ex Jacobi epiſtola, in qua præcipitur per illa verba: *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Eccleſiæ, &c.* in quibus contineri præceptum affirmat Concilium Colonienſe par. 7. cap. 20. celebr. an. 1536. dicens: *Eſt autem unctio impendenda cum expoſitione unctionis, & mandati Apoſtolici, quod ſic habet. Infirmatur quis in vobis? &c.* imo Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 3. dicit, non eſſe audiendos illos, qui contra Jacobi ſententiam docent: *Hanc unctionem vel figmentum eſſe humanum, vel ritum à Patribus acceptum, nec mandatum Dei.* Neque ratio deeſt, quæ deſumitur, vel ex ſollicitudine, qua jubentur Parochi illam miniſtrare, vel ex charitate, qua quiſque debet in mortis articulo ſibi conſulere, aptiſque armis ſe munire, ut adverſus Diabolum ſtare poſſit.

74. Communior tamen ac magis recipienda Summiſtarum ſententia eſt, nullam eſſe neceſſitatem hoc Sacramentum ſuſcipiendi, & tantum per accidens peccare, qui non ſuſciperet, puta ex contemptu, vel ſcandalo. Ratio generalis eſt, quia non eſt affigenda obligatio, ubi nullum eſt obligationis fundamentum, nullum autem eſt in re noſtra; non quidem ex verbis illis Jacobi, qui Sacramentum hoc promulgans non eſt locutus præcipiendo, ſed docendo, & adhortando; non ex Concilio Colonienſi, vel quovis alio ante Tridentinum, quia in ipſis non eſt ſermo de præcepto ſuſcipiendi, ſed adminiſtrandi per reſpectum ad Parochos, ſi quis petierit; & manifeſtum eſt hoc, quia Concilium Senonenſe comparat præceptum ungendi infirmos præcepto illi, quo Apoſtoli miſſi ſunt ad prædicandum,

dum, & ungendum ægrotos, quod non obligabat infirmos ut ungerentur, ſed Apoſtolos ut ungerent; non ex Concilio Tridentino, nam dum dicit extremam unctionem eſſe mandatum Dei, vel ſumit mandatum Dei pro inſtitutione Chriſti, vel pro præcepto, quo juſſit, Sacramentum hoc eſſe in Eccleſia, ut Paſtores ad miniſtrandum illud paratos haberent, quare & ſolliciti eſſe debent; non denique ex charitate, quam quiſque erga ſe ipſum adhibere debet, ſiquidem ſatis ex debito ſibi conſulit, qui mediis neceſſariis carere ſe non permittit, neque charitas cogit ad id faciendum, quod melius eſt; Sequitur igitur, &c. Omnia autem argumenta, quæ in oppoſitum promoventur, reducuntur ad id, quod in ſecunda parte aſſertionis dicebatur, nempe, ſi extrema unctio negligeretur ex ejuſdem contemptu, vel in aliis ſcandali occaſio oriretur.

75. Denique ad hujus licitam ac cum fructu Sacramenti receptionem id omne requiritur, quod ad alia Sacramenta vivorum recipienda neceſſarium eſt, ac exiſtimatur, nempe ſtatus gratiæ, ideo præmittenda eſt pœnitentia, & ſacramentalis abſolutio in iis, qui peccati alicujus mortalis ſibi conſcii ſunt, aut ſaltem actus contritionis cum voto, ſeu deſiderio illud confitendi, ubi primum dabitur occaſio; Quod vero dicit S. Th. in ſupplem. quæſt. 32. art. 4. ideſt, requiri actualem devotionem, & cordis ardorem, id quidem laudamus, ac à Deo Opt. Max. pro omnibus ſuppliciter petimus, attamen neceſſarium non affirmamus.

CAPUT VIII.

De effectibus unctionis extremæ.

76. HUjuſce Sacramenti effectus explicat Jacobus in toties ſua laudata epiſt. cap. 5. *Et oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & ſi in peccatis ſit, remittentur ei.* Quos omnes adhuc expreſſius deſcribit Concilium Trident. ſeſſ. 14. cap. 2. de extrema unctione dicens: *Res porro, & effectus hujus Sacramenti illis verbis explicantur ..... Res etenim hæc gratia eſt Spiritus Sancti, cujus unctio delicta, ſi quæ ſunt adhuc expianda, ac peccati reliquias abſtergit, & ægroti animam alleviat & confirmat, magnam in eo divinæ gratiæ fiduciam excitando, qua infirmus ſublevatus & morbi incommoda ac labores levius fert, & tentationibus Dæmonis calcaneo inſidiantis facilius reſiſtit, & ſanitatem corporis interdum, ubi ſaluti animæ expedierit, conſequitur.* Can. vero 2. anathemate damat eos, qui dicere auderent ceſſaſſe effectum extremæ unctionis, ſicut ceſſarunt gratiæ curationum, definiens: *Si quis dixerit, ſacram infirmorum unctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleviare infirmos, ſed jam ceſſaſſe, quaſi olim fuerit gratia curationum, anathema ſit.*

77. Porro hoſce omnes effectus tanquam proprios ac peculiares extremæ unctionis concedunt omnes Theologi, ſed in aſſignando effectu, qui præcipuus ſit, non eſt una eorumdem ſententia.

Patres Thomiſtæ communius cum Dominico Soto in 4. diſt. 23. quæſt. 1. art. 2. docent, hoc Sacramentum primario, & per ſe non eſſe inſtitutum ad peccatorum remiſſionem, ſed ad peccatorum reliquias abſtergendas. Si autem quæras, in quonam hujuſmodi reliquiæ conſiſtant, reſpondent, conſiſtere in quadam animi infirmitate, ſeu torpore, & proclivitate ad malum cum tædio & debilitate ad bonum operandum; Ita laudatus Doctor; Alii vero dicunt auferri per extremam unctionem etiam peccata mortalia vel venialia, quæ per alia Sacramenta dimiſſa non ſunt, & iſta dicuntur peccatorum reliquiæ, alii contendunt eſſe reatum pœnæ temporalis relictum ex culpis remiſſis quo ad culpam, alioſque pravos habitus, qui ex iiſdem exorti ſunt.

Eſt

78. Eſt etiam aliorum opinio dicentium, proprium ac primarium hujuſce Sacramenti effectum eſſe animam infirmi adverſus difficultates, ac tentationes per aliquot auxilia ad hoc ſpecialiter ordinata corroborare, & ſic etiam ex ſecundaria inſtitutione remitti peccata mortalia, ſi forte ex inculpabili ignorantia fuerint omiſſa in confeſſione. Hanc tradunt Suarez, Laym. Coninch. Becan. &c. idemque ferme exponunt Bellarm. Amic. Averſa.

79. S. vero Bonavent. Alen. Richard. Aureol. Altiſiod. Navar. docent, peccatorum venialium, tanquam primarium effectum, extremæ unctioni eſſe tribuendum, ſed dividuntur in explicando, utrum hujuſmodi remiſſio progrediatur à Sacramento immediate, etiam ſine ulla poſitiva diſpoſitione ſubjecti, vel mediate, quatenus ab ipſo excitetur ſubjectum ad peccatorum deteſtationem, vel formalem, vel virtualem. Tali opinioni adhæret Scotus, qui addit huic remiſſioni, eſſe remiſſionem finalem, quia nulli alteri Sacramento convenit, hoc modo peccata remittere. Ego interim nonnullas aſſertiones exponam.

80. Aſſero 1. Primarium effectum Sacramenti extremæ unctionis eſſe remiſſionem peccatorum.

Facillime ac breviſſime hoc ſuadeo, quia ille eſt effectus primarius alicujus Sacramenti, qui per formam ejuſdem exprimitur; id enim Sacramenta novæ legis efficiunt quod ſignificant, ſed in forma Sacramenti extremæ unctionis exprimitur peccatorum remiſſio, dicitur namque: *Per iſtam ſanctam unctionem, &c. indulgeat tibi Deus quidquid deliquiſti*: ergo. Conſonum eſt hoc Jacobo dicenti: *& ſi in peccatis ſit, remittentur ei*. Peccatorum enim nomine proprie in ſcriptura intelliguntur peccata ſecundum culpam, non vero tantum ratione pœnæ, aut aliarum reliquiarum, quæ peccatum conſequuntur; nec recendendum eſt ab hac propria ſignificatione, niſi ex contextu, vel ex locutionis circumſtantia cogamur, ſicut in aliquibus caſibus cogimur.

81. Aſſero 2. Primarium effectum hujus Sacramenti eſſe remiſſionem peccatorum venialium per ſe, & ex ſui primaria inſtitutione, non ſic peccatorum mortalium.

Probando hanc poſteriorem partem, etiam priorem declarabo, atque utramque oſtendit Catechiſmus Romanus dicens: *Docebunt igitur Paſtores, hoc Sacramento gratiam tribui, quæ peccata, & in primis leviora quidem, & ut communi nomine appellantur, venialia remittit, exitiales enim culpæ pœnitentiæ Sacramento tolluntur. Neque enim hoc Sacramentum primario loco ad graviorum criminum remiſſionem inſtitutum eſt, ſed baptiſmus tantum & pœnitentia vi ſua hoc efficiunt*; quæ particulæ *vi ſua* idem ſignificant *quod ex opere operato*. Hinc eſt, quod in Rituali Romano præcipitur, ne peccatori manifeſto Sacramentum hoc conferatur, quod non fieret, ſi per illud peccata lethalia per ſe dimitterentur. Adde, quod ſi extrema unctio per ſe peccata lethalia remitteret, poſſet adminiſtrari infirmis Euchariſtia præmiſſa extrema unctione, non vero confeſſione ſacramentali, hoc autem eſt contra diſpoſitionem Tridentini ſeſs. 13. cap. 7. Tandem; apud Con- Concilia & Patres ſecundam tabulam poſt naufragium invenio, quæ eſt pœnitentia, tertiam, quæ ſit extrema unctio, non lego. Peccata igitur lethalia remittentur ex virtute hujus Sacramenti per accidens, & ex fine ſecundario, quod proprium eſſe omnium Sacramentorum, quæ vivorum dicuntur, in priori hujuſce libri parte probavimus, & magis de extrema unctione dicendum eſt; & ſic explicabis omnes Patrum, vel Conciliorum ſententias, quibus peccatorum remiſſio extremæ unctioni conceditur.

82. Hæc autem venialium remiſſio ita propria eſt hujus Sacramenti, ut nulli alteri ita conveniat; Primo, quia, etſi

Digitized by Google

etſi alia via remitti poſſint, puta per orationes, eleemoſynas, & actum charitatis, attamen non remittuntur ex opere operato, ſicut per extremam unctionem; Secundo, quia licet per alia Sacramenta, videlicet per pœnitentiam, & Euchariſtiam remittantur, attamen hoc neque contingit finaliter, neque ſine prævia poſitiva ſuſcipientis diſpoſitione; at in hoc Sacramento habetur remiſſio, etiamſi nulla prævia diſpoſitio poſitiva ſit, dummodo non ſit obex.

83. Dices contra 2. aſſertionem. Jacobus generatim & indefinite dicit: *Si in peccatis ſit, remittentur ei*; & Concilium Tridentinum: *Delicta, ſi quæ ſint expianda, abſtergit*. Patres etiam, dum loquuntur de hujus Sacramenti effectu, non diſtinguunt inter venialia ac lethalia peccata; imo nec diſtinguit forma, cum dicatur: *Indulgeat tibi Deus quidquid deliquiſti*.

Sed contra. Quomodo intelligendum ſit dictum Jacobi, quomodo Tridentinum ſatis explicavit Catechiſmus Romanus à nobis ſuperius laudatus, imo Tridentinum ipſum ita loquendo, ſe tantum de venialibus ſermonem habuiſſe, ſatis declarat; Plerumque enim in ſcripturis delicti nomine peccatum veniale intelligitur; Unde Pſalm. 18. legitur: *Delicta quis intelligit*; & Pſ. 24. *Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris*. Levitic. etiam 6. & 7. delictum à peccato abſolute tali diſtinguitur. Patres etiam loquti ſunt, quia ipſorum propoſitiones veræ ſunt, ſive peccata lethalia remittantur per ſe & de primaria, ſive per accidens & ſecundaria inſtitutione. Certe, etiam de Euchariſtia inquiunt Patres abſque aliqua diſtinctione peccata dimittere, ut patet ex iis, qui diximus de gratia, quæ per Sacramenta vivorum cauſatur, & tamen certum eſt, eam per ſe lethalia non dimittere. Idem dicendum de forma.

84. Sententiam noſtram fuiſſe etiam S. Thomæ pro certo exiſtimo, inquit enim lib. 4. contra Gen. cap. 73. *Contingit, quod homo omnium peccatorum, quæ commiſit, notitiam vel memoriam non habet, ut poſſit per pœnitentiam ſingula expurgare, ſunt enim quotidiana peccata, ſine quibus præſens vita non agitur, à quibus oportet hominem in ſuo exitu per hoc Sacramentum purgari*. Sed in hiſce rebus piget diutius immorari, cum quidquid dicatur Catholice dici poſſit, nec ex Theologorum varietate ſententiarum aliquid, quod ad fidem pertinet, perturbetur.

85. Aſſero 3. alium effectum extremæ unctionis eſſe, ut peccatorum reliquias abſtergat, nempe pœnam temporalem, quæ poſt peccata dimiſſa ſupereſt, pravas diſpoſitiones ad peccandum, animi torporem ac infirmitatem, quæ omnia contracta ſunt per peccatum originale, deinde aucta per actualia; conſtat hoc ex textu Concilii Tridentini num. 76. atque ex eodem probatur, etiam infirmi alleviationem inter effectus eſſe recenſendam; ejus enim anima magnam in ſe divinæ miſericordiæ fiduciam concipit, & morbi incommoda ſpe melioris vitæ interna affecta conſolatione tolerabilius ſuſtinet. Pariter de corporis ſanitate idem Concilium ſatis dixit; quamvis Eſtius dicere non dubitaverit, quod per ordinem ad hunc effectum, cum non conferatur ex opere operato, ſed ex opere operantis, extrema unctio non ſit Sacramentum, ſed aliquod ſacramentale, ſicut eſt aſperſio aquæ benedictæ.

86. Quamvis Tridentini doctrina obſequenti non cavilloſo animo recipienda ſit; attamen nonnulla apertè opponi poſſe videntur. Frequenter enim ſanantur illi, qui, ſi mortui eſſent, ſalvi facti fuiſſent, quia tunc erant in ſtatu gratiæ, & deinde ſanati priora peccata committunt, quibus poſtea damnantur, & è contrario moriuntur aliqui, quos vivere expediret. Præterea; ſi Sacramentum hoc ſanitatem reſtitueret, prout animæ expedierit, ut loquitur Conci-

cilium, omnes, qui ſanitatem vi Sacramenti non recuperarent, eſſent electi ac prædeſtinati, etenim ipſorum ſaluti expediebat non ſanari, ſed illud non eſt dicendum, ergo.

Propter hæc cenſuit Sotus in 4. diſt.23. qu. 1. art. 2., effectum hujus Sacramenti non eſſe ſanitatem, ſed auxilium ad recuperandam ſanitatem, quod cum de ſe non ſit ſemper ſufficiens ad ægritudinis vim ſuperandam, ſemper ſuum non ſortitur effectum. Hæc, bona tanti Doctoris venia, ſpeculatio non placet; atque retinendum eſt quod ait Tridentinum; Neque illa argumenta tanti facienda ſunt; ſiquidem ad primum dicimus, illos, qui exiſtentes in ſtatu gratiæ uncti non moriuntur, ſed ſanitate ſibi reſtituta in deteriora labuntur, non fuiſſe ſanatos per Sacramentum, ſed per aliquam naturalem virtutem provenientem vel à medicamentis, vel à proprio temperamento; Quamvis obſervandum etiam eſt cum doctiſſimo Patre Suarez, quod, ut verum ſit, extremam unctionem conferre corporis ſanitatem, ſi animæ expedierit, ſatis eſt, ſi pro aliquo tempore expediens ſit, quamvis anima non ſit in bono perſeveratura, nec alio tempore in gratia deceſſura, ſecundum ſe enim expediens erat, & ſola mala hominis voluntate hujuſmodi factum non eſt; Quod vero moriantur illi, quos vivere expediebat, quis hoc affirmare merito poteſt? Dei conſilia, & vias quis inveſtigavit?

Ad 2. juxta priorem doctrinam concedunt aliqui electis & prædeſtinatis concedi ſanitatem virtute Sacramenti, reliquis vero concedi naturali virtute, quare cum nobis non conſtet qua virtute ſanati ſint, neque nobis conſtare poteſt, quinam ſint electi ac prædeſtinati; juxta vero poſteriorem, patet quid dicendum ſit; præſertim ſi dices, verbum illud *expedierit* non eſſe attendendum penes humanum ſenſum, ſed Divinam præſcientiam, atque ordinationem, apud quam quid animæ expediat, nos ignoramus.

Si tamen quid liceat, quod meum ſit, exponere, diceremus, quod Sacramentum extremæ unctionis habet pro effectu ſuo ſanitatem corporis, ſi in corpore fuerit aliqua diſpoſitio, ſaltem negativa, ſicut habet pro effectu ſuo peccatorum remiſſionem in anima, ſi in anima ſaltem negativa diſpoſitio non deerit &c.

87. Supereſt, ut inquiramus, ac breviter more noſtro reſolvamus, quandonam extremæ unctionis Sacramentum ſuum effectum producat.

Primo dixerunt aliqui, id dependere ex intentione Miniſtri, ita ut ſi velit miniſtrare per quinque unctiones, non niſi in fine quintæ, ſi per ſeptem, non niſi in fine ſeptimæ effectus producatur. Rejicienda eſt hæc opinio ex eo potiſſimum, quod ſi Miniſter vellet ſepties ungere, peracta quinta unctione nondum haberetur effectus, & tamen juxta illud opinantes in quinque unctionibus eſſentia Sacramenti conſtat; quotieſcumque autem habetur Sacramenti ſubſtantia, etiam haberi debet effectus Sacramenti, ſi ex parte ſuſcipientis nihil impediat.

Secundo dixerunt alii, gratiam pro eo inſtanti produci, pro quo eſſentialiter completum eſt, completur autem, quando quinque unctiones cum formis correſpondentibus peractæ ſunt; errat hæc ſententia ſupponens, quinque unctiones ſpectare ad hujus Sacramenti ſubſtantiam; à nobis contrarium demonſtratum eſt.

Tertio dixerunt alii; totam gratiam conferri per primam unctionem, & formam ſibi correſpondentem, alias vero addendas eſſe ex Eccleſiæ conſuetudine, & præcepto, atque ideo illis novum gratiæ gradum non correſpondere, niſi per accidens propter uberiorem ſuſcipientis diſpoſitionem, quod oſtendi poteſt paritate Sacramenti Euchariſtiæ, in quo tota gratia Sacramentalis confertur per ſumptionem primæ ſpeciei.

Sed neque hoc placet aſſerere, nam ſicuti

ſicuti aliæ unctiones Sacramentales ſunt, ita & debent gratiam Sacramentalem ſuo modo proferre, nec quidquid exprimitur per unius unctionis formam, implicite exprimitur per alias, ſeu non quidquid continetur in aliis unctionibus, in unica continetur; Contrarium autem contingit in Sacramento Euchariſtiæ, nam totus Chriſtus eſt in unica tantum ſpecie, ſicut in utraque, & ubi eſt corpus, non deeſt ſanguis, nec ubi ſanguis, deeſt corpus, proinde paritas non tenet.

88. Melius igitur arbitratu meo docuerunt alii, qui dixerunt; per ſingulas unctiones dari ſingulos gradus, ſeu portiones gratiæ; Hoc enim Sacramentum non eſt unum unitate indiviſibilitatis, ſed unitate integritatis, & ex alia parte in nullo alio Sacramento repetitur eadem materia cum ſua forma, ex quo certe inferri poteſt, haberi diverſum effectum, diverſamque efficaciam; & ſicuti quia in ſingulis ordinibus eſt partialis forma & materia, ſinguli perficiuntur in ratione Sacramenti, ſuoſque proprios habent effectus, qui reſpectu totius partiales ſunt, ſicut ipſi ſunt Sacramenta partialia unum totale integrantia, ita in re noſtra. Denique ſi id dicamus, nulla ſequitur repugnantia; ſi enim aliqua, præſertim quia gratia, ut eſt remiſſiva peccati, ſucceſſive produci non poteſt; at hæc nulla eſt; nulla ex parte peccatorum venialium, quæ ſucceſſive remitti poſſunt, cum gratiæ non opponantur; nulla ex parte mortalium, etenim per primam unctionem omnia tolluntur, ſicut per hoc Sacramentum tolli poſſunt, ſed diverſo modo, nam ea, quæ per organum unctum commiſſa ſunt, tolluutur directè, alia vero indirecte; & ideo &c. Atque hæc de extrema unctione, utcumque ſcripta ſufficiant, & ſi male ſcripta eſſe Eccleſia Mater, & Judex exiſtimaverit, tanquam non ſcripta, & reſcindenda habeantur.

F I N I S.

Digitized by Google

Errata.		*Corrige.*
Pag. 33.	commiſſione	commiſtione
34.	datum	datus
34.	diſtinctum	diſtinctam
39.	40.	60.
54.	aliquem	aliquam
67.	75.	87.
73.	alios	alias
82.	ſecundam	ſecundum
83.	adjuvaret	adjuraret
83.	baptizatus	baptizatum
91.	loqutionum	loqutionem
134.	prævium	proprium
176.	Sanctis	Sancti
177.	baptizando	baptizandi
305.	alterum	alterutrum
306.	redderetur	redderet

Alia reperies, quæ facillimè tu ipſe corriges.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google